



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. F. Ioannis Nider Ordinis Prædicatorum Theologi De Reformatione Religiosorum Libri Tres

Nider, Johannes


Antverpiæ, 1611


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45728)





Th 2634

J VIII
30









R. P. F. IOANNIS NIDER
Ordinis Prædicatorum Theologi

DE
REFORMATIONE
RELIGIOSORVM

LIBRI TRES:

Editi in lucem per R. P. F. IOANNEM
BOVQVETIVM Dominicanum Antuer-
piensem ac Priorem Yprensem.

*Accedit R. P. F. VINCENTII IVSTINIANI
ANTISTII Valentini, eiusdem Ordinis Theologi,
pro Dine CATHARINÆ SENENSIS Ima-
ginibus Disputatio.*



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.

CL. DC. XI.

Collegii Socii Juv Paderbornæ

INSTITUTION

OF THE

ROYAL

ACADEMY

OF SCIENCES

AND ARTS

OF GREAT BRITAIN

AND IRELAND

IN THE YEAR

1783

PRINTED BY

J. JOHNSON

ST. PAULS CHURCH-YARD

LONDON

IN THE

PRINTING

OFFICE

OF THE

ACADEMY

OF SCIENCES

AND ARTS

OF GREAT BRITAIN

AND IRELAND

REVERENDISSIMO

P A T R I

F. AVGVSTINO

GALAMINIO

S. THEOL. PROFESSORI
ORDINIS PRÆDICATORVM

MAGISTRO GENERALI

F. IOANNES BOVCQVETIVS

eiusdem Ordinis Ypris Prior

S. D. P.



NIHIL est, R^{ME} PATER,
quod adeò vehementer
desidero, quàm omnium
omnino Religiosorū Or-
dines florere, eorumque
vigere dotes, aut certè emortuas reui-
uiscere, quibus olim sunt nati, propa-
gati, totique orbi Christiano commen-
dati. Quod si fiat, omnia mihi polli-

centur, totam Rempub. Christianam felicissimam futuram, dum videbimus omnem perfidiam, quæ plurimas orbis plagas longè lateque inuasit, hominumque deploratos mores obliterari & emori; & auitam fidem, puros castosque mores renasci & caput erigere. E diuerso grauitè perpèdo, quòd si vel paucorum Religiosorum hominum mores non probantur, neque religioso pallio respondent, Christianam pietatem magnopere labefactari, ac veræ fidei hostibus animos addi, ad insultandum & debacchandam in sacratam fidem & priscam Religionem; & quidquid apud fideles bonarum legum, quidquid bonorum morum, quidquid veræ pietatis, intermori prorsus aut certè frigere vehementer. Vt enim inferior hic mundus pendet à corporibus cælestibus, atque his præcipuè quæ primas tenent inter sidera: ita Rempub. ac populi status pendet à viris Ecclesiasticis, præsertim Religionem
ali-

aliquam professis ; ad quorum adfectus, mores vitæque rationem vulgus componit: haud aliter quàm ad lunæ cursum mare reciprocis æstibus nunc affluit, nunc defluit; aut ad solis motum terra nunc vernat floribus, nunc æstu finditur, nunc fœtibus oneratur, nunc gelu riget. Cumq; Religiosa vita celsa sit & clara, (vtpote quæ in propria voluntate abdicanda, niuea puritate tuenda, rebûsque terrenis spernendis, ambiendis cælestibus, tota versatur) omnium est oculis exposita, vt vel leuissima macula si eam inficiat, conspiciatur; non secùs quàm minima quædam sese in candida veste prodit, quæ in pulla vix, vel ne vix quidem apparet. Quo fit vt his infaustis & exulceratis temporibus multum huic præclarissimo vitæ generi derogetur, dum nimium oculati in aliorum mores, & alioqui fidem profitentes, si quid conspexerint magis cum voluptate in eorum moribus quàm cum pietate

* ;

con-

conuenire & conspirare, sibi sectari licere arbitrantur: autumant alij, nihil indecorum videri debere in tam decora vitæ professione; & si quid viderint, haud desinunt queritari. At vehementer erigunt cristas à fide alieni, si Monachum vel latum vnguem à pietatis via diuersum abiisse conspexerint; & totum Monachorum genus, tot millia monasteriorum, ac Religiosorum innumeras myriades immerentes atrocissimis conuiciis petunt, iisque immanissimè oblatrant, quos constat omni virtutum & probitatis genere ornatos esse: quod etiam ipsi fateri cogerentur, si iis familiariter vterentur, vel saltem à limine salutassent. Sed videant ipsi quàm hoc sit Christianum, imò quantum sapiat Ecclesiam reformatam, apud imperitam plebem lacerare famam proborum, quos ne agnoscunt quidem, non cogitantes verè dixisse Paulum: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Nullum autem tam crudele

dele facinus, nullum tam improbum
scelus, quod his impingere assueréque
vereantur. Et simul atque ex isto grege
vnus quisquam grunnire cœperit, mox
grunniunt vniuersi, veluti obliti suæ
scilicet Euangelicæ reformatæ profes-
sionis; quasi nil professi sint, quàm vt
virorum bonorum vitam & famam,
linguæ suæ virulentia contaminent: ac
prorsus iuxta Psalmographi vaticiniũ,
*acuerunt linguas suas sicut serpentis; ve-
nenum aspidum sub labiis eorum.* Ita qui
deberent Christianæ pietatis prædica-
tores esse, studio & mendaciis sunt
alienæ pietatis obtrectatores. Et qui se
profitentur Hierophantas, exhibent
fycophantas: & quod prodigij simile
est, homines ad benedicendum infan-
tissimi, ad mordendum & calumnian-
dum linguam habent: & aliàs prorsus
à pietate & litteris alieni, in conspur-
canda bonorum virorum fama falsi
sibi videntur & venusti. Inquient for-
tè: An desunt quos ostentemus Mona-
chos,

chos, omni vitiorum genere opertos?
Ex ingenio profectò suo Nouatores
nostri: quos si porcorum aut suum af-
fines dixerim, nihil errabo; qui si deli-
ciarum hortum ingrediuntur vbi salu-
bres herbæ, lætòque gramine campi
virent, blanda florum varietate omnia
rident, hinc rosis formosè rubentibus,
hinc niueis liliis placidè candentibus,
hinc purpureis violis arridentibus, hinc
fuluis thymis suauè spirantibus, ho-
rum nihil vident, in nihilo horum de-
liciantur: ita isti minimè attendunt
salubria pietatis exempla in Religioso-
rũ campo, rosas rubentes, pectora in-
quam Dei proximiq̃ue amore non ru-
bentia, verùm omnino flagrantia, ni-
hilq̃ue appetentia vehementiùs, quàm
Dei euehere honorem beneq̃ue mere-
ri de vniuerso mortalium genere: non
vident lilia niueæ castitatis vtroque in
sexu placidè candentia, & purpureas
violas quæ nihil desiderant rerum ter-
renarum, quæ professam voluntariam
pau-

paupertatem queunt violare : non sentiunt quàm suauibus omnium virtutum & scientiarum thymis Religiosorum campi redolent. Sed si fortè fortuna multos inter pios & doctos, improbus & aliquis indoctus ceu fœdum sterquilinum in horto Religionis occurrit, ibi tandem sistunt, ibi ocelli aperiuntur, ibi gaudent. ô ibi quantum volutantur, deliciantur! hunc solum cogitant, hunc solum amant, hunc solum loquuntur & somniant, in eo toti deliciantur. Quod & quibusdam, qui alioqui inter Catholicos cupiunt recenseri, familiare esse solet; ob paucissimos qui legem monasticam violant, alios legum obseruantissimos spernunt. At imprudentissimè profectò: nisi fortè purissimæ illæ cælorum mentes, hymnidici Angelorum chori, vileant, quia ab eis Lucifer cum suis defecit : & sordet Apostolorum senatus, in quo aliquot annorum spatio perfidus Iudas confedit. Verùm enimuerò, R^{ME} PA-

* 5

TER,

TER, ne vllis calumniis aut querelis sit
locus, adnuitur R. P. Frater IOANNES
NIDERSVS professione Dominicanus;
medicorum imitatus exemplum, qui,
morbi causa conspecta, inaniunt cor-
pus, quod tandem reficiunt quo pos-
sunt optimo nutrimento: ita trifariam
tractat de Religiosorum reformatione.
Primò indagat lapsæ Religionis cau-
sas: deinde malo curando præsentissi-
ma remedia confert: denique pascit
suauissimis fructibus Religionis opti-
mè institutæ. Pharmacum hoc saluta-
re, & reficiens nutrimentum P. Ioan-
nis Nideri, repertum à R. P. Fratre Ia-
cobo Mollano Antuerpiæ Dominica-
no, viro pio, docto, & humili, manu
tantùm conscriptum; quod postmo-
dum vidi superiori sæculo typis excu-
sum, sed adeò rarum & mendis obsi-
tum, vt extare vix videretur; iam re-
purgatum, Tuæ R^{mæ} Prati omnibus in
sacra Religionis professione ægris at-
que exhaustis & deficientibus propi-
nan-

nandum, offerre decreui, eò quòd totum debeat R^{ME} P. T. à tuo confectum, à tuisque repertum. Accipe igitur R^{ME} PATER quod totum est tuum. Accedit, quòd licet omnes qui sacram monasticen profitentur, incolumes velim, maximè tamen eos quos Deo peperit sacra mea mater Dominicana Religio; cum quòd suo iure id à me expostulet, tum quòd hæc incolumis & suis viribus constans, fortissimè hominum improborum & hæreticorum castris castra opposuit sua, maximo sanctæ Romanæ Ecclesiæ triumpho, vitorumque hæresumque interitu. Hanc quia Religionē curas R^{ME} PATER, prorsus confido, salutari hoc poculo optatam sanitatem, & vires desideratas ei, si vlla in parte est ægra, restituendas, si quotidie tuorum manibus teri, ac auribus curaris ingeri, quæ hoc libello traduntur. Nec tuos curabis modò; sed tuo auspicio cuncti, quod tuos curavit, suis morbidis administrabunt:
quo,

quo, si quid deperit SS. P P. Basilij,
Augustini, Dominici, Francisci, aut
aliquorum institutis, restituetur; rur-
sumq; egregias illas consequentur do-
tes, atque decorem rarissimum, qui
istorum heroum tempore hūc statum
ornauit. Quod quàm tibi, R^{ME} PATER,
erit honorificum, Deo acceptum, san-
ctis Patribus Religionum institutori-
bus gratum, earumq; professoribus
salutare, nemo dicendo assequi potest.
Age igitur, R^{ME} PATER, infracto ani-
mo susceptam tuæ Religionis restitu-
tionem, in Regno Neapolitano & Ita-
liæ locis perfectam, in Christianissimo
Franciæ Regno conceptā, peragas; teq;
intueantur ceteri Religionum Præfecti,
ceu organum quoddā à Deo electum
ad euehendā & illustrandam gloriam
& maiestatem status Religiosi: eumq;
professos ad eius amorem inflamma,
obtreçantium obstruas ora: crede, be-
nè fortunabit pientissimos tuos cona-
tus, qui ad hoc munus te tot egregiis
doti-

dotibus instruxit; qui pectus dedit verę
pietatis, purę castęq; Religionis zelo
flagrans; qui linguam dedit eruditam,
vt dissipēs, & euellas, & plantes; qui
magno vsu rerum agendarū ornauit,
qui tātus est, vt nihil tam arduum, tam
difficile nihil, nihil tam profundum in
rebus publicis & priuatis, quod nō ex-
pediat & conficiat R. V. P. quod non
emendicandi fauoris gratia loquor,
quippe qui noui me agere cum illo qui
suarum laudum cumulū non linguis
aut calamis hominū cupit ornari, sed
rutilare in conspectu Diuinę maiesta-
tis: quod facit me vberrimos tuarum
laudum campos tacitum transire. Hoc
solū voueo & apprecor, sit gratum
quod defero munus, faustum & salu-
tare nostro Prædicatorio, ceterisq; om-
nibus Ordinibus, totiq; Reip. Chri-
stianę. Vale R^{M E} PATER, diu nobis &
S. Matri Ecclesię incolumis & florens.
Ypris è nostro Prædicatorum conuen-
tu, Kal. Febr. M. DC. XI.

R. P. F.

R. P. F. IOANNIS BOVCQVETII
Dominicani Antuerpiensis

A D
RELIGIOSOS
PRÆFATIO.



H A EST natura rerum huma-
narum, Religiose lector, vt
nullius vnquam boni tanta
fuerit felicitas, quin felicitatis
summæ prætextus, mali
quidquam conaretur irrepere. Nihil auita
fide præclarior, cuius tamen obtextu erum-
pere conatur perfidia: quam qui sectantur,
merito obscuro & infelices habentur; cum
titulo dumtaxat sint Christiani, dum in-
tus perfidiam spirant. Idem laudatissimæ
Religiosorum professioni obtingere vide-
mus, quam ad summam morum integritatem,
vitæque candorem constat institutam esse;
in qua vehemens pietatis ardor flagrare
solet, cum cultus vili, victu tenui contenti,
omni-

omnibus rebus terrenis spretis, omne tempus dicabant aut sacris hymnis, aut sanctæ lectioni, aut cælestibus colloquiis, aut piis precibus, aut charitatis officiis, quibus ægroti aut hospites refocillabantur, aut egentes subleuabantur. Nec aliud Religiosi, quàm grex vltro conspirans in purissimos Christi mores atque doctrinam. In hanc præclaram vitæ rationem videtur velle irrepere quedam vitæ corruptio & languor pietatis: quod dum grauiter perpendo, video periclitari dotes illas præclaras, & rara ornamenta quæ hoc præclarum & sanctum vitæ genus Deo & hominibus commendabant; & instituta sanctorum Patrum, qui varias vitæ sanctissimæ formas suis præscripsere, nonnihil labefactari. cui malo ni tempestiuè ij quorum interest occurrant, in maximum discrimen deueniet quidquid est Religionis, quidquid bonarum legum, quidquid monasticæ discipline, quidquid probatorum morum, quidquid honestorum studiorum; & fiet sicut Osee 4. populus, sic & sacerdos. Audeo itaque, quod

P R A E F A T I O

quod in maris tempestatibus quiuis audet. Scio prudentes Praefectos Religiosorum meis monitis non egere: non aspernabuntur tamen, cum nullum fretum adeo tranquilum, quod non quandoq; suos patiatur motus; in quibus quantumuis periti gubernatores, se à quouis moneri patiuntur. Iungo peritissimo Religionis Praefecto IOANNI NIDERO, qualemcumque exhortationem: qui dum quodam in loco tempestates seuire vidisset, prudenter admodum de REFORMATIONE RELIGIOSORVM libros conscripsit, quibus docet seuiantes tempestates, ventos & vndas euadere; modumque designat quo monasticam nauim tuta in statione reponas, vel tempestatibus quassam & attritam pristinae integritati restituas, vt ea veri Christiani iuuentur, & in caelestem Ierusalem inuehantur, omni bonorum aggregatione repleti. Ad hoc quantum hic status conferat, ex admirabundo Vate Evangelico habes, dum rogat: Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbae ad fenestras suas? quo duplex vitae religiose

Isa. 60.

AD RELIGIOSOS.

giosa genus eleganter describit : alterum nubibus , alterum columbis equiparatum. Nubes solis ardore à terra deducta & in sublime elata terram rigant , atque fœcundant. Vides in orbe Christiano hominum genus quod solius iustitiæ amore atque ardore supra cunctos mortales ut nubes eminent , & celestis pluvia verbi atque exempli terram subiectam fertilem reddit. Hæ nubes Religiosi , qui altiores sunt quàm ut terræ conglutinètur , aut rebus terrenis inhereant.

Tria in terra geruntur quibus hominum mentes ceu glutino quodam terrenis adherent : coaceruare opes , libertate frui , & affluere voluptate. At Religiosi ij quibus nihil hisce cum rebus est familiare , sed quibus mundus crucifixus est ; omnia quæ mundus sectatur , quadam Paulina generositate arbitrantur ut stercora , ut lucrifaciant Christum : non libertati sed obedientiæ legibus , non opulentia sed paupertati Evangelicæ , non voluptati sed purissimæ castitati omnino deuoti. Vtinam atque vtinam discant Religiosi perpendiculo & linea uti ,
 ** sui que

P R A E F A T I O

suique status nobilitatem metiri; quam ignavi & inertes quidam in terram abiiciunt. Discant quàm sit ignobile, caput supra nubes extollere, & cor in huius mundi fecibus volutare: quod faciunt qui non moribus, sed pallio dumtaxat religiosi sunt, eaq; praeuaricantur quæ mentem ornant atque illustrem reddunt. Id cum primis obedientia præstat, necessarium Religiosi decus: hæc, propria voluntate exuta, facit ut tua voluntas Christi fiat, aut sanè eius qui non minùs quàm ipse Christus est audiendus, dum inquit: Qui vos audit, me audit. adeò quòd cernere liceat Religiosos, absque sua voluntate non suos sed Christi, & cum voluntate Christi ipsos quasi Christos, ad instar Pauli dicentis: Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus. quo consequuntur nomen quod est supra omne nomen; quod obedientia legibus subiectis, cum Christo Isaias Propheta addicit, dum ait terram, quæ nuncupatur Voluntas mea in ea, futuram coronam gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei.

Hunc

Luc. 10.

Galat. 2.

Isa. 62.

AD RELIGIOSOS.

Hunc summum ambis honorem, Religiose
 lector, hic tibi splendor placet? in tua terra,
 terreno corpore dico, inhabitet Dei eiusque
 vices gerentis voluntas; nihil ex tuo arbi-
 trario, ne minima quidem agas; te ad eorum
 nutum & iussum totum componas: vel dor-
 mire, expergisci, redormiscere, loqui, tacere,
 ire, redire, cibum capere, desinere pastu, ex
 ipsorum praescripto fiat, & nobilis Domini
 Dei tui corona eris.

Alij opum affluentia sibi magni videntur:
 ego è diverso hanc homines miseros, sed Eu-
 angelicam paupertatem felices & celsos fa-
 cere demonstro. Nemo nescit optimè Apo-
 stolum dixisse, omnium malorum radi-
 cem cupiditatem esse, quæ est & magistra
 atque ministra totius improbitatis, quæ ho-
 mines calamitosos & obscuros facit: hinc
 sceleratus amor habendi nascitur, hinc iniu-
 ria oriuntur, hinc factiones pullulant, hinc
 furta, hinc sacrilegia, hinc rapinae, hinc la-
 trocinia proficiscuntur: hæc incestus parit,
 adulteria gignit, supra nutrit, amores insa-
 nos & luxus alit. Harum congestio diros
 ** 2 labores,

P R A E F A T I O

labores, custodia anxios metus, amissio miser-
ros afficit cruciatus. Aliud prorsus Domini

Matth. 19. *consilium*: Si vis perfectus esse, vade, &
vède omnia quæ habes, & da pauperi-
bus. Agit quod homines fortunatos facit,
& mirificè beat, dum ab his malis hominem
immunè seruat, & ad perfectionis gradum
deducit. Inaurentur mundani, & suo auro
in fastigium euehantur. Dei consilio, Deo-
que agente voluntarie paupertati dicatis

Isa. 58.

Vates promittit: Sustollam te super alti-
tudines terræ. Te eueham & extollam cui
cuncta terrena vident & sordent, qui in id
totus incumbis vt thesaurizes thesauros in
calis, pietatis opibus locuples fias; quibus
nihil ditius, vt nihil pauperius quàm vir-
tutibus egere, & pecuniis abundare. Hac
altitudine status mirum in modum delecta-
ti proceres Ecclesie sanctæ: & quotquot
tempore nascentis Ecclesie Christo nomen
dederunt, reliquerunt domos & agros, &
omnia quæ possidebant communibus vsibus
tribuebant, vt hac sublimitate gauderent,
& potirètur Christi pollicitatione, quæ cen-
tuplum

AD RELIGIOSOS.

tuplum in hoc seculo, & post illud vitam
 eternam vouet & dicat iis qui sese Euan-
 gelicæ paupertati vouerunt. Nihil itaque
 tibi possessionum aut diuitiarum tuarum
 decerpas, ne teruncium quidem, quin &
 omnem habendi affectum deponas: tunc
 tandem te senties felicem, nihilque habentem
 omnia possidentem; centuplum promissum
 ore diuino, abundè fateberis tibi collatum.
 At secùs continget si mundum corpore fu-
 gere videris, animo in monasterium defers
 opes Aegypti, census, pecunias, vel quid
 eiusmodi. eueniet enim quod Israëlitis ad
 terram lacte & melle manantem properan-
 tibus; quibus dum Aegypti farina fuit, non
 gustarunt panem caelestem omnibus eduliis
 suauiore, cunctisque opibus præferendum.
 Non gustabis caelestia, non suauia illa diui-
 na, quibus hominum mentes reficit Deus,
 nisi repudies res umbratiles quas colit
 mundus. quin nisi ab iis reuoces mentem,
 paupertatem professus, te dira & dura illa
 manent, quæ Ananiam & Saphiram in-
 uaserunt; qui paupertatem voluntarianam

** 3 men-

P R A E F A T I O

mentientes, perierunt morte repentina & calamitosa. Ab his malis immunis si esse cupis, id serio meditare, vt animus omnibus huius mundi cupiditatibus defecatus, quotidie expeditus ac liber ad Deum euolet, eo fruatur & delectetur; in eo enim totius felicitatis summam reperiet.

Sap. 4.

Neq; hic sistit tua dignitas & felicitas, Religiose, quae tanta est, vt eam quasi admirandus collaudet in Sapiente Spiritus sanctus, dicens: O quam pulchra est casta generatio cum claritate. quo eodem spiritu B. Paulus afflatus, virginem castitati dicatam, longè coniugio iuncta predicat beatiorē; vtpote quae casti amoris facula succensa, non mortalem sed immortalem sponsum ardet, & in eo omnes casti pectoris adfectus defixos habet. His quantum afficiatur, manifestum reddit, dum Virgo ex Virgine natus, sacro Ioannis Virginis contubernio & familiariori vsu delectatus, virginibus in monte Sion peramanter associatus, his nimirum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines perman-

Apoc. 14.

man-

AD RELIGIOSOS.

manferunt: quos adeò in delitiis habet,
 vt eos Ioannes indigetet, non (vt sectarum
 magistri) quisquilias, sed Agni primitias;
 quasi diuinorum fructuum primitias, quæ
 cunctis aliis longè sunt gratiores. At fortè
 legitimam Venerem amas, vxorem cogitas,
 hocque beatum putas; non equidem damno:
 meministi qui dixerit; Melius est nubere 1. Cor. 7.
 quàm vri. Pateat istud infirmis asylum.
 Non inuideo Segor urbem, ex Sodomorum
 incendio fugienti: sed hoc nomine longè vir-
 ginibus inferior es, qui non vxorem, non
 licitam Venerem refugium habent, quæ li-
 bidinem acuit magis; sed, cum Paulo, qui sui
 nos similes optat, ad carnis macerationem
 & castigationem recurrunt, qua sese contra
 libidinis flammam munivit, qui ait: Casti- Ibid. 9.
 go corpus meum, & in seruitutem re-
 digo. Ad quod asylum si confugissent casti-
 tatem professi, numquam ad hæreticorum
 castra profugissent impudica carnis manci-
 pia, nimio libidinis aestu flagrantia; nec sibi
 damnationem acquireret, vt ille apud san-
 ctum Apostolum viduæ, quæ primam fi- 1. Tim. 5.

P R A E F A T I O

dem irritam fecerunt : qua fide sese obstrinxerūt, qui castitatis votum emiserunt. Nec est quòd sibi blandiantur Apostoli verbis ; Melius est nubere quàm vri : quibus student sacrilegam suam prostitutionem purgare, quasi ignorent hanc licentiam tantum fieri iis qui ad nuptias sibimetipsis aditum contrario voto aut sponsione non occluserunt : alioquin frustra damnationem minitaretur viduis sacer Apostolus, quæ dum vri se sentirent ad nuptias, cum fidei-fragis religionum apostatis confugerunt. Et si quæ vos libidinis flamma urit, omne voti castitatis vinculum exurit ; cur existimatis, dum nescio quo cæco amore fidem dedistis mulierculæ fortè seni, turpi, sordidæ, malitiôsæ, cuius pertæsi, tandem oculis apertis nympham speciosam, quæ tota nitet, cui decora cæsaries, purpureum iuuentæ lumen, quæ letos oculis afflat amores, conspiciatis ; cur inquã existimatis istiusmodi flammam exurere fidem datam Deo, non autem fidem mulierculæ delatam ? Fortè dicitis, illam turpem asylum esse. At libido pulchrioris puellæ

AD RELIGIOSOS.

puellæ exurit. O miseros, & impudentissimos, quibus libido soluit & violat fidem datam Deo, non item mulieri! O perniciosam libidinis pestem, quæ omnem pietatem violat & depopulatur, si eam à suo non arcet pectore castitatem professus. Si mentem oppugnat, eius feruori, Dei amorem, preces flagrantem, acerbam carnis macerationem cum D. Paulo & D. Hieronymo opponas, ne inescatus ab illa, conciteris ad nullum non scelus audendum, dum animi cæcitatem inducit, quæ tandem in supremi Numinis contemptum degenerat, & quasi catena homines ad æternos cruciatus trahit; ubi flammæ ultrices tuæ libidinis flammæ exurent. Omitto quæ leuiora sunt; exiit honores, infamiam induit: conficit opes nimio partas labore, efficit pauperem, aufert corporis mentis quæ salutem, infert sordidos morbos. O acerbam dulcedinem, quæ tot vallata miseriis! quàm momentaneam, tot atrociam cõsequuntur in æternum duratura! Qui his voluptatibus indulgent, nihil præclarum habent: quin nihil his tetrius, nihil

** 5

spur-

PRAEFATIO

*spurcius, nihil pecudī vicinius; nulla enim
 re ad brutorum conditionem propius acce-
 dunt homines, quàm hac fœda carnis libidi-
 ne, qua etiam homines pecudibus infeli-
 ciores efficiuntur. Ille enim gratis suis qua-
 libuscumque voluptatibus potiuntur. At
 hominibus (Deus bone!) quanti constat bre-
 uissimo tempore carnis libidini deseruiss-
 se! dum quantum in deliciis fuisti, tantum
 tibi dabitur tormentum & luctus: cum
 pars tibi cedit non cum puris & castis illis
 in monte Sion, in consortio Agni; sed cum
 impuris illis mentibus in stagno & igne &
 sulphure flagrante, ut minatur Apostolus,
 & Euangelista prophetico spiritu vatici-
 natur. Vah carnis spurciciem, & fœdam
 libidinem, quæ tot tantisque priuat bonis,
 tot tantisque onerat malis! Desinet suis cu-
 piditatibus ancillari, & libidinibus inhæ-
 rere, qui à domestico hoste palmam trium-
 phi cupit referre, & virginum præclara au-
 reola decorari; qua nihil sublimius, nihil
 celsius, maximè si ei sacratam obedientiam,
 & Evangelicam iunxeris paupertatē. Nihil*

in

AD RELIGIOSOS.

in hoc sublunari mundo illustre, clarum & diues, quod non his virtutibus ornatus, Religiose, vincis, & post te longissimè relinquis: adeò quòd si eius felicitatem, honores, opes, voluptates eleuo, & vestra cum felicitate compono; crede, etiamsi Regum essent splendores, Cræsi diuitiæ, Salomonis delitiæ vestris comparatæ, & propiùs admotæ, vestræ elucescunt magis, seseque pulchriùs ostentant: neque, si hæc coniungo, aliud ago quàm pictores agunt, qui umbras suis tabulis addunt.

Videtis (ni fallor) Religiosi, meritò vos ob status altitudinem & claritatem nubibus equiparari. Agite igitur quæ digna amplitudine status, & vocationis in quam estis vocati: quod obedientiæ placitum habete, & quouis suffragio sanctius iudicate. Amplectimini quæ vos supra altitudinem terræ eleuat Euangelicam paupertatem. Angelorum puritatem ardete, qui neque nubent neque nubentur. Omnia præclara & magna vobis addicit Christus, Vates, & Apostolici viri.

Eant

P R A E F A T I O

Eant nunc qui has nobiles virtutes sectantes conuitiis & sannis insectari nunquam quiescunt, & nescio qua caeca invidia extinguere moluntur, & suum reformatum (vt aiunt) vitae modum Religioso anteponunt. sed quàm ritè, audite. Religiosi Dei & Superioris sunt voluntati subiecti; at Lutheri aut Caluini pulli se onagros liberos & effrenes putant, quibus quod lubet licet. Religiosi nihil cum carnis libidine & voluptate commune habent; at quinti Euangelij fratres, Nouatores dico, Epicuri de grege porci, iis quæ ventris & sensus sunt omnino immersi. quod mouit Apostolum, sectas operibus carnis annumerare; quia ad carnis cupiditatem sectandam homines inducunt, vt vita religiosa ab ea longissimè abducit, cum ne quidem matrimonij vsum suis permittit. Religiosi Christi consilium de rebus terrenis abdicandis capessunt, nec animum quidem quid possidèdi priuatim reseruant, sed propria despiciunt, & aliorum vsibus deferunt: sed hi laudatissimi Euangelici, aliena, non propriis contenti, aspiciunt, suisque

AD RELIGIOSOS.

suisque visibus rapiunt; prædam faciunt de bonis alienis, violant testamēta, voluntates mortuorum, iura viuorum, & bonos per summū nefas suis exturbant bonis, (ō insignem Euangelicorum perfectionem!) quod quàm impudēter, quàm palàm, quàm acerbè agunt, illi omnis iuris tã diuini quàm humani violatores, nemo non meridiana luce clariùs videt, qui illorum ditiones est vniquã ingressus. Hos sacrosanctos iusti equiq; cultores, rerum alienarum amatores, quo titulo donabimus haud equidem scirem, nisi summi Imperatores Constantinus Magnus & Iustinianus L. iubemus, cap. De sacrosanctis ecclesiis, L. Prætor, S. Ne quid, ff. de vi, & vi armata, lege Iulia publicorum iudiciorum plectēdum, L. Nec interest. ff. ad legem Juliam de vi priuata, hos suis titulis ornarent; qui quàm illustres, illi viderint.

Nolo pluribus hanc scabiem fricare. Id vnum dico, hæreticis inuitis Religiosam professionem incolumem florere, & ob altitudinem status concinnè nubibus conferri. Neque vnica est eius causa, quòd nimirum

vt

PRAEFATIO

*ut nubes, ceteris sint sublimiores, celoque
 viciniores; Verum & ideo nubes vocan-
 tantur, quod terram subiectam rigent, ir-
 rigando reddant foecundam caelestis pluvia
 verbi, & pietatis exemplis mentes homi-
 num humiles ac steriles imbuant, ut euulsis
 vepribus vitiorum producant fructus Deo
 dignos. per hos enim S. Ecclesiae terra aut
 fertilis est aut sterilis; cui utinam cum
 Joële meritò gratulari liceret: Noli timere
 terra, exulta, lætare, &c. ac mox: Filij
 Sion exultate & lætamini in Domino
 Deo vestro, quia dedit vobis doctorem
 iustitiæ, & descendere faciet ad vos
 imbrem matutinum ac serotinum, &
 implebuntur areae frumento, & redun-
 dabunt torcularia vino & oleo. Hoc ei
 licet congratulari, quia Ecclesiae tellurem
 vix malignam minutamq; frugem videmus
 producere, cum suis nubibus, Religiosis dico,
 est destituta. Quæris cur Sarraceni in ter-
 ra Orientali pullularunt? Eo loco periëre
 nubes Ordinum sanctorum institutores, aut
 veterum probi observatores. Graciam à
 Tur-*

AD RELIGIOSOS.

Turcis occupatam miraris? Desine mirari, quia nubes caelestem rorem stillantes (Religiosos volo) discussserunt. Cupis quid Hungariam, Mysiam, Daciam, Pannoniam Gottis, Hunnis, Gepidis, Auaribus, Bulgaris, Slavis replet? Siccitas nimia, ex nubium inopia nata. Doles in nostro Belgico agro, & finitimis terminis oriri tot sectas dissectas? Expulsi sunt Ordines Religiosorum, aut interiëre, qui ut nubes olim hoc in agro segetes latissimas fidei & pietatis sua fecunditate prouenire fecerunt. Huius rei fidem facit Munsterus à nobis alienus, qui in insula amplissima Grotulandia narrat impiam idololatriam reuirescere, exsicari Dei cultum: causam Zinus in libello suæ navigationis significat, dum Dominicanos, qui ut nubes hanc terram rigabant, inde à Protestantibus dicit exactos. Hic nubium defectus, sterilitatis grauissima causa: hinc rara antiqua fides, hinc luxuriant maligni mores, casti purique minuti habentur; omniaq; pietatis studia quadam ariditate perire videmus. Secus se omnia habent,

P R A E F A T I O

habent, dum hæ nubes Religiosorum Ordinum Ecclesiam tegunt: tum quamdam bonorum copiam veluti cornu pleno calitus in Ecclesie agrum diceres dimissam, dum segetes totius Christianæ pietatis letissimæ proveniunt, quibus nec lolium, nec spinam ullam aut carduum improbitatis videas internasci: dum florent aurea mala fidei flore, & fructu charitatis, fici misericordie pinguisimæ, & frugum virtutû omniuga genera, quæ hac nubium fœcunditate, & in sterili & in infœcundo agro vberrimè pullularunt & floruerunt. Lues Arriana totius Orientis agrum pervasit: protulit binam nubem Deus, in Ægypto Antonium illum magnum, in Cappadocia Basilium; horum sodalitium amplissimè se extendit, fidei & pietatis doctrinam & exempla pluit, quo omnia fœcundavit. Eadem tabes sese in Occidentem effudit, Vandalis Africam, Ostrogotthis Italias inuadentibus. Africam cum suis quasi nubes valida rigat Augustinus, Italias cum suis Benedictus. Albigenses omnigenique hæretici agrum Domini

AD RELIGIOSOS.

Domini in Occidente depopulantur & vastant, fœcundat eum cum suis Dominicus, Franciscus cum suis, feruentes hæreses fidei doctrinâ extinguunt; aridi in Christiana pietate sanctis eorum exemplis reuirescunt. Omitto quòd sancti Dominicus & Franciscus, nubes arctissimo amore conglutinata, ingentem & ardentem Dei iram temperarint & deleuerint, ne acriùs in hominum perniciem scuiret. O nubes præclaras, celsas & orbi salutare, quæ mundum rigarunt & protexerunt! Utinam talem nobis fructum proferant quos Deus novos Religiosos, ceu recentes nubes, hoc nouissimo sæculo excitauit. Benè, vt spero, ominabitur Deus, qui in id Religiosos destinasse videtur, vt Euangelicam doctrinam, & Christianam pietatem mortalium animis inserant, Dei gloriam illustrent, & hominum pectus in huius studium inflamment: ad quod munus rectiùs obeundum Religiosis dedit cor veræ pietatis amore flagrans, & mentem egregia doctrina instructam, & linguam eruditam. Notissimum est,

inter

P R A E F A T I O

inter Occidentales, quatuor ex antiquis Do-
 ctorum primas tenere, Ambrosium, Augu-
 stinum, Hieronymum, Gregorium: horum
 tres posteriores Ordinum religiosorum Pa-
 tres. Inter Orientales, similiter princeps lo-
 cus datur Basilio, Nazianzeno, Athanasio,
 Chrysostomo; è quibus Basilius, Nazian-
 zenus, Chrysostomus, monachi fuere. Horum
 vestigiis si insistere cupis, Religiose, Pa-
 trumq; tuorum moribus respondere; non po-
 tes, nisi summo studio & cultissimis mori-
 bus (ipsi enim plerique omnes viri doctrina
 præcellentes, morum innocentia commenda-
 ti, gravitate venerandi, prudentia consilioq;
 suspiciendi) in id totus incumbas, vt te
 Religionum Sanctis componas, sapientiæ Dei
 cultum addas, simulque in te pietas & sa-
 pientia colluceant. Tota tua vita sit nihil
 nisi sacra concio: misce sermones eruditos,
 plerumque sacros, & ad pietatem facien-
 tes: ea promas, quæ locupletius & orna-
 tius quàm vlla gemmæ adornent & di-
 tent. fiet sic, vt neminem non dimittas me-
 liorem & pietatis amantiorem. Grauis &
 efficax

AD RELIGIOSOS.

efficax eiusmodi sermo : sed dictu mirum,
 quanto efficacior præstantis quod docet ; ac
 virtutis exemplar non dictis tantum , sed
 factis ponentis ob oculos. Ideò tibi, Religiose,
 cura erit , vt incessus, vt oculi, vt sermo,
 vt mores , vt facta veræ Religionis indicia
 præ se ferant. Passim tua exempla referan-
 tur, quomodo fortiter spreueris obuiam vo-
 luptatem , quomodo lucrum posthabueris
 pietati , quomodo tuæ gloriæ prætuleris glo-
 riam Christi, quomodo malè merentem of-
 ficiis obrueris , quomodo mala quæque pa-
 tienter pertuleris. Videant omnes tuæ vitæ
 integritatem , sanctimoniam , mundi con-
 temptum, mores puros & castos: Et rectè
 nubis munus expleueris, si altitudine fueris
 delectatus , quæ Paulum in cælum agebat ;
 (Conuersatio, inquit, nostra in cælis est)
 deplueris etiam cælitus sapientiam Chri-
 stianam veræ pietati coniunctam.

Sunt & Religiosi columbis similes, quæ
 euolant ad fenestras suas: summa celeritate
 mouentur pullorum amore, qui intra colum-
 barij fenestras agunt. Fugiat Religiosus tu-

*** 2

multus,

P R A E F A T I O

multus, non amet strepentia fora, sed gaudet quiete, & amicam sibi faciat tranquillitatem, nisi aut vocationis aut muneris ratio ad publica impellat: quia in solitudine frueris eo quem toto ardes amore. Elias Dei contubernium petit: reperit non in curia, sed in spelunca; non in turbine petras conterente, non in commotione, non denique in igne, sed in aura tenuis leuis sibilo Deum sentit adesse. Ioannes angelus Domini vocatus, caelestem vitam in eremo exegit, ubi diuina arcana edoctus est; ut dissimulatum homine Deum oculis usurpare & digito monstrare meruerit. In montibus, in desertis, in litoribus potissimum Christus docuit, & tribus discipulis gloriam caelestem praelibandam peramanter exhibuit, qui non nisi secretius in suorum pectora illabatur, & in ea suos effundit amores; cum non nisi in thalamo castissimo sponsam sui amore languidam Sponsus reficit & amplectitur. quod inter multos sacer Hieronymus testatum facit. Dic, quæso, virorum sanctissime, quid tu in ista horrenti solitudine, immodica

AD RELIGIOSOS.

dica confectus inedia, vigiliis propè perpe-
 tuis maceratus agis? O quoties, inquit, in
 eremo constitutus, in vasta illa solitudine,
 quæ exusta solis ardoribus horridum mona-
 chis præstat habitaculum, putavi me Ro-
 manis interesse delitiis. Et ut mihi testis
 est Dominus, post multas lacrymas, post
 celo oculos hærentes, nonnumquam mihi
 videbar interesse agminibus Angelorum,
 & letus gaudensq; cantabam: Post te in
 odorem unguentorum tuorum curre-
 mus. Nimia Domini suauitate affectus ni-
 hil præter illum desiderabat. Tali nos ar-
 dentissima amoris facula succensi, ceu co-
 lumbæ ad pullos, nos ad Deum & Chri-
 stum eius, animæ nostræ delicias & volu-
 ptatem, euolemus; mente totoque cordis af-
 fectus pensitantes: Ecce tu pulcher es di-
 lecte mi, & decorus; lectulus noster
 floridus. Sub umbra illius quem desi-
 deraueram sedi, & fructus eius dulcis
 gutturi meo. Defecit caro mea, & cor
 meum, Deus cordis mei, in te cogita-
 tione defixum. Quis amores, quis volupta-

*** 3 tes,

PRAEFATIO

tes, quis honores ex hoc pudicissimo stil-
lantes glutino recensebit? Si columbino ei
inheremus ardore, ipsi arctissimo charita-
tis vinculo adstricti, in suam nos conuertet
dignitatem, gloriam & claritatem: non
aliter quàm virtute agendi præstantissima
ignis natura carbonem, quantumuis atro
colore, in suum continuò transfert splendo-
rem. Sic felices illi animi in lumen claritatis
transformantur aeternæ, sicque diuinæ sunt
consortes naturæ.

Verba deficiunt, excidunt sententia,
cùm ad beatissimam illam deuenio vnionem.
Unum te volo, ut ad hanc properes vnio-
nem, euoles à rebus creatis, aduoles ad re-
rum omnium Conditozem, aduoles quò vo-
caris in foramina petrae, in cauernam ma-
ceriae: ibi tutus, ibi beatus eris. Sic, si quid
boni habes, augebitur. Ea quæ extuli præ-
clara facinora paratissimæ obedientiae, opu-
lentiæ paupertatis, & niuæ puritatis, se-
ctare, amplectere; quia hæc sunt quæ verè
consecrant immortalitati. Olim Olympicis
victoriis claros in Deos euehi scripsit Hora-
tius.

AD RELIGIOSOS.

tius. Olim solemniter qui cum laude gessissent imperium referebantur in numerum diuorum. Sed hæc non nisi inanis & adumbrata veræ felicitatis imago: tu sacrosanctis, quas tibi prædicaui, virtutibus solidam eminentis felicitatis possessionem mercari contende. Sic enim itur ad astra.



*** 4

CAN

CANDIDO

LECTORI.

GRAVIS est iactura, candide Lector, nobis interire quod doctissimi viri nostræ salutis prodiderunt. R. P. F. IOANNIS NIDERY, natione Germanus, professione Dominicanus, & Theologus eximius, multa doctissimè conscripsit: cuius summa fuit habita ratio in Concilio Constantiensi & Basileensi, & bina vice iussus est Concilij nomine legationem ad Bohemos obire: claruisse eum constat circa annum M. CCCC. XXX. Huius varia extant opera doctrinâ referta, inter alia opusculum quoddam DE REFORMATIONE RELIGIOSORVM, perutile ad collapsas Religiones erigendas, pristinoque candori restituendas. Hunc thesaurum & aureum opusculum, hac tempestate collapsis Religionibus utilissimum ac planè necessarium, magno labore & industria quæsitum, repertum & rescriptum à religioso & admodum zeloso Patre, Fratre Iacobo Buyens Mollano, Conuētus Antuërpensis Dominicano, non
finc

AD LECTOREM.

sine magno multorum fructu & salute euulgandum existimauimus. Cùm autem prædictus Pater Iacobus reperisset tria exemplaria manu scripta satis vitiosa, arbitrabatur numquam antea typis mandatum; quod postmodum reperi a centum annis Parisiis typis fuisse excusum, sed etiam ita mendis oblitum, vt non exstare meritò dici posset. A mendis ergo purgauit, & sacrarum Scripturarum, ac sanctorum Patrum locorum designatione ornauit; sed præmatura morte ex hac vita subtractus, non potuit ad optatum finem perducere. Quare hic thesaurus, tum ab illo, tum à R. Patre nostro Prouinciali mihi commissus est, vt cunctis communem facerem. Sed aliis studiis, & variis negotiis obrutus, & continuò occupatus, ac tandem Antuerpia Ypras euocatus ad Prioratus officium obeundum, coactus fui hoc negotium confratri meo Fratri Ioanni Nys committere; qui sedula sua diligentia, statim typis mandare curauit, atque ad optatum scopum & effectum perduxit.

Suadebant, qui vehementer amant doctrinæ & pietati eloquentiam ancillari, huic libello cultiorem sermonem conferremus, quòd putarent auidius lectitandum si ornatiùs loqueretur. At quia Spiritu sancto inspirante locuti sunt Sancti, tanti Magistri

*** §

verbis

AD LECTOREM.

verbis standum existimaui. vt enim Sacrae littere vilent nemini, licet humilius loquantur; ita neque vilebit Niderus, confido. Vt enim optimus est iaculandi artifex, non cui est pharetra gemmis distincta, cui arcus quam maxime insignis, sed qui certissima manu scopum feriat: ita optimi auctoris munus absoluit, qui hominum corda suis dictis transfigit, qualicumq; sermone. Senties salutare vulnus, si Nideri tela excipias, licet minus ornata.

Subiunximus R. P. F. Vincentij Iustiniani Disputationem de stigmatibus lectissimae IESV sponsae D. CATHARINAE SENENSIS, argumentum lectu dignissimum. Boni confulas, & vtere in salutem quod tuae salutis damus.



IN

IN IDEAM
STATVS RELIGIOSI
DECASTICHON.

ARCHETYPON *vita quod promsit Ni-*
DER agunda,

En, cui viuendi seria norma placet.

Strictius hic arcto RELIGENTEM tramite
ducens

Format; & in priscam restituit faciem.

Qua male collapsa est, tenebris respersa
situque,

RELLIGIO, hic medicam languida sentit
opem.

Lydius en lapis hic, & Lesbia regula moru,

Igneaq; Hebraeum qua rota vexit Auum.

Nec minus ardenti moru rapiere quadriga,

Hoc quisquis fixo limite tendis iter.

R. P. F. IOANNIS NIDER
Ordinis Prædicatorum Theologi
IN LIBROS
DE REFORMATIONE
RELIGIOSORVM
PROLOGVS.

*Quid Au-
ctorem mo-
uerit, hos
libros con-
scribere.*



ROGATVS sum à te, Pater
mi, qui reformationis of-
ficio in tuo collapso Or-
dine insistis pro viribus,
quatenus pro disponendis minùs ido-
neis fratribus, velut ad informem ma-
teriam, aliqua colligerem de sacris co-
dicibus, per quæ, superna assistente
gratia, sub sermonis schemate, vel per
normas alias, forma tuæ Religionis
olim pulcherrima, sed (heu!) à multis
nunc perditâ, possit reinduci faciliùs.
Quamuis autem modò, vt tua nouit
pietas, constitutus in itinere, vnà cum
aliis sacri generalis Concilij Legatis ad
Maie-

PROLOGVS IO. NIDER.

Maieſtatem tranſmiſſis Cęſaream, ſim
 circa eandem plerumque in fidei oc-
 cupatus negotiis : tamen quia non ho-
 ris omnibus tali neceſſariò imminet in-
 cumbere operi, quędam interim, quòd
 in vno loco fixi maneremus, mihi ven-
 dicare ſeorſum cogitavi tempora pro
 aggrediendo tractatum aliquem de re-
 formatione ſtatus cęnobitici. Vnde
 etiam motus zelo charitatis & humili-
 tatis, tuis acquieui ilicò. An temerarius
 ſim, ambigo. Scio tamen quòd protin-
 nus mihi occurrit verbum Apoſtoli,
 tuo propoſito & meo accommodatiſ-
 ſimum: *Nolite conformari huic ſeculo, ſed* Rom. 12.
reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt v. 2.
probetis, quę ſit voluntas Dei bona, &
beneplacens, & perfectã. Gratiã cuius,
 propoſitum in tres diſtinxì libellos: *Diuiſio-*
 quorum primus LAPSVM RELIGIO- *tius operis.*
 SORVM aperit; ſecundus CVRAM RE-
 FORMANDI tradit; & tertius, FRV-
 CTVS REFORMATIONIS oſtendit.

Mouebo ergo in his plura mala,
 quę

PROLOGVS IO. NIDER.

Bern. in
Apolog.
circ.med.

quæ tibi displicere cognoui, vt verbis
B. Bernardi vtar in suo Apologetico:
inò omnibus bonis vitanda esse, non
dubito. Ea enim, quæ necessaria reor;
habeo subiungere; quæ etsi fieri vi-
deantur in Ordinibus, absit tamen vt
sint de quocumque Ordine. Nullus
quippe Ordo quippiam recipit inordi-
natum. Vnde non aduersus Ordines,
sed pro Ordinibus exclamare putan-
dus ero: quia non Ordines in homini-
bus, sed hominum vitia reprehendo.
Si quibus verò displicuerint sequentia,
ipsi se manifestant, quia Ordines non
diligunt, quorum vtique corruptio-
nes & vitia damnari nolunt. Ipsi ita-
que illud Gregorianum respondeo:
Melius est, vt scandalum oriatur,
quàm veritas relinquatur.

Greg. ho-
mil. 7. in
Ezech.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAP. I. *Ostendit libertatem arbitrij esse causam omnium bonorum gratiâ assistente, & eâ absente causam omnium deformitatum, per quaedam exempla & auctoritates Sanctorum.* 1

II. *Docet quid sit conformitas in bono & in malo: quomodo per tria vitia conformantur saeculo. Et per tria dubia ostendit, quàm sit periculosum intrare Religionem deformatam.* 12

III. *Quòd forma saeculi est omni luto immundior, sicuti & ipsa peccata, ratione multiplici.* 23

IV. *Recenset xv. argumenta deformatorem Clericorum & Religiosorum, quibus se tuetur, ne à forma saeculi recedant. Et primum soluit argumentum, nempe obiicientium complexionis debilitatem; ostendens contrarium.* 30

V. *Soluit quam obiiciunt compertam consuetudinem; ostenditq; quando contra statuta Monastica excuset, & quando non.* 39

VI. *Soluit quando obiiciunt Prelatorum peccata; & declarat quòd propterea refor-*

INDEX CAPITVM.

- reformationi eorum actiua nullus resistere debet. 48
- VII. Quando obiiciunt reformationem esse nouitatem & singularitatem; ostendit, quæ sit bona nouitas & singularitas, & quæ sit mala. 51
- VIII. Quando obiiciunt esse expectandum cum reformatione vsque ad generalem reformationem Ecclesiæ, ostendit quòd hoc sit callidè reformationem refugere. 57
- IX. Soluit quando obiiciunt reformare esse Ordinem diuidere, & notam personarum in eo ponere; declaratq; contrarium, scilicet, quòd hoc sit Ordinem vnire, & edificare. 61
- X. Cùm se iactant viuere, vt patres eorum, distinguit de bonis & malis patribus; & admonet ne temerariè iudicet quis de locis deformatis. 65
- XI. Cùm obiiciant dispensationem eis factam; docet vbi, quando, & in quibus, & qualiter possit fieri dispensatio, & quando non. Et mouentur tria dubia de proprietariis monachis. 71
- XII. Cùm causantur necessaria in victu se nō habere, tradit, quomodo tunc fieri debet: & quanta confidentia sit habenda in Deo de temporalibus administrandis. 83
- XIII. Cùm obiiciant status nobilitatem vel digni-

INDEX CAPITVM.

dignitatem; manifestatur, quòd propter-
eà acriùs & ampliùs reformationi debe-
rent insistere. 90

XIV. Quando timent sequi in diuino of-
ficio, vel seruitio, personarum paucita-
tem; declarat contrarium, & quomodo hoc
non sit timendum. Et quòd obsequia ma-
lorum, modicum; bonorum verò, multum
Deo placent. 94

XV. Quando conqueruntur ad reforma-
tionem sequi pacis perturbationem, do-
cet quòd duplex est pax & discordia,
& quando scandalum sit timendum, &
quando non. 99

XVI. Quando arguunt sequi lapsum graui-
orè, & apostasiam, vel huiusmodi; ostendit
quòd propter talia non semper reforma-
tio per Prælatos prætermitti debeat. 105

XVII. Quando ostendere nituntur, quòd ex
laxa vita maiora sequuntur bona, quàm
ex reformatione; manifestatur multipli-
citer contrarium, & quanta mala sequun-
tur in deformatis locis, ex sumptibus in
ædificiis, picturis, & huiusmodi. 111

XVIII. Quando obiiciunt modum proce-
dendi in reformatione ineptum; pandi-
tur quanta calliditate se palliare consue-
nerunt vitiosi & hypocritæ: sicut faciunt
Behemoth, lamia, draco, & ericius.

LI-

LIBRI SECVNDI.

- C**AP. I. Proponit tria dubia, & primum soluit, scilicet quid sit forma seu pulchritudo, & quotuplex sit; nempe in natura, in gratia, & in moribus. 123
- II. Respondet ad secundum dubium. Quid sit reformare, definit. Quomodo quilibet Ordo quasi ex materia componatur & forma. Quantus decor sit in reformato monasterio; & è contrà, quanta turpitudine in deformato. 131
- III. Mouet triplex dubium: & primum soluit, docendo quid sit status Religionis; unde Religio dicatur; & quomodo tria substantialia Ordinis contrariantur tribus vitiis principalibus. 138
- IV. Ostendit ex quinque causis, quàm sit difficile reformare; & duas primas declarat: tum scilicet quia magni vix hoc obtinuerunt, vt Christus in suo monasterio, Esdras in templo, & Patres quorundam Ordinum; tum quia Religiosi lapsi deteriores aliis fiunt. 142
- V. Declarat residuas causas difficultatis reformandi; videlicet, quia mali hoc multipliciter impediunt; quia consuetudo & natura corrupta tendunt in contrarium; & quia astuti homines acutissima argumen-

INDEX CAPITVM.

- menta formant in contrarium. 151
- VI. Incipit reformatorebus septem reformationis utilitates ostēdere, & duas primas declarat; nempe quòd talis iuuat Ecclesiam multipliciter, & equipollet adificationi noui monasterij. 157
- VII. Deducit tertiam & quartam utilitatem: quomodo videlicet auget reformati accidentale premium; & quòd satisfacit intentioni fundatorum & offerentiū. 165
- VIII. Ostendit residuas tres utilitates: videlicet, quòd ibi procuratur cōuersio peccatorum: quòd subuenitur in peccata ruituris; & quia reformatibus patroni Religiosorū primitiui sunt fauorabiles. 172
- IX. Declarat vnde proueniat, quòd communiter omnes in Ecclesia clamant reformationem debere fieri; & tamen ferè nullus quando reformari incipit, est voluntarius. & quinque causa assignantur: scilicet, incōsideratio arduitatis negotij, modica dilectio sui, fictio boni desiderij, ignorantia defectus proprij, & timor inordinati desiderij. 180
- X. Procedit ad preparatoria reformationis: & sunt septem, quæ ante reformationis introductionem disponi debent. Primum est, ut viri habeantur pro loco idonei, qui maneant; & illud declarat per naturalia,

*** 2

arti-

INDEX CAPITVM.

- artificialia, & per dicta Theologica. 189
- XI. Declarat secundum & tertium preparatorium reformationis: tum scilicet, ut reformatores sint negotio congrui, aliàs visitatores multa mala faciunt; tum ut consensus habeatur Clericorum aliquorum, præsertim Episcopi, quia tales impediendo sunt pessimi. 194
- XII. Deducit quartum & quintum preparatorium: scilicet, ut potestas habeatur secularis brachij, & ut provideatur pro fratribus humano victui. 202
- XIII. Deducit duo vltima preparatoria; videlicet, ut inuoluntarijs sæpè seminetur verbum Dei, & ut in puniendo reos non parcatur excessui. 210
- XIV. Proponit duos modos reformandi; scilicet generalem & specialem. Et circa generalem tria dubia mouet. Primum, an aliqua lapsa Religio possit simul tota reformari: & illud determinat quòd non, per multa illud probando. 216
- XV. Mouet secundum dubium, an melius sit reformationem laxè vel rigide incipere. Et mouet argumenta, pro vtraque parte contradictionis, distinguens finaliter, & ostendès per quinque exempla, quòd quilibet lex in obseruando tepescit, nisi reformatio fiat in ea. 224
- XVI.

INDEX CAPITVM.

- XVI. Determinat tertium dubium, & ostendit quot fuerint, & sint radices lapsuum in diuersis Ordinibus, nempe sedecim. Et primas quinque declarat: quæ sunt malorum prælatio, correctionis omiſſio, officialium multiplicatio, larga dispensatio, & inobedientium rebellio. 232
- XVII. Declarat quinque alias radices: quæ sunt, temporalium priuata appropriatio, incauta cum extraneis conuersatio, studij religiosi omiſſio, ineptorum ad officia promotio, & minimorum debitorum inconsideratio. 237
- XVIII. Declarat tres alias radices: quæ sunt, locorum nimia multiplicatio, feminarum incauta adhesio, & bonorum virorum perditio. 244
- XIX. Declarat duas alias radices: quæ sunt, diuitiarum improporcionata augmentatio, & bellorum ac tyrannorum oppressio. 250
- XX. Pandit decimam sextam & ultimam radicem: quæ est parochiarum plurium incorporatio, & elicit sedecim remedia contra lapsum Religionis. 254
- XXI. Dat specialem modum reformandi per septem monitiones: quas animaduertere iubet, quarum tres declarat; quæ sunt, ut eligatur locus ubi verisimiliter reformatio citius inducatur, ut per principalia

**** 3 pro-

INDEX CAPITVM.

professionis inchoetur, & vt officia Con-
uentus per bonos administrantur. 257

XXII. Declarat residuas alias quatuor, vi-
delicet, vt turbatores reformationis com-
pescantur, vt confessores boni instituan-
tur, excessus etiam parui cum discretione
puniantur; & vt radices, per quas Ordo
lapsus est, caueantur. 263

LIBRI TERTII.

CAP. I. Proponit nouem Religionis fru-
ctus, eosq; declarat: & sunt isti, quod
sit abundans pauperi, mediocri sufficiens,
tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis
compatiens, fortioribus moderata, pœni-
tentibus misericors, peruersis seuera, &
bonis optima. 270

II. Proponit alios duodecim fructus ingres-
sus Religionis, & sex declarat; qui sunt,
matrimonij non consummati solutio, à
debito pecuniario exemptio, à voto quo-
cumque absolutio, in defectibus facilior
dispensatio, & macula ingratitude seu
infamie abolitio. 279

III. Declarat residuos sex fructus: qui
sunt; iuramenti præstiti deobligatio, he-
reditatis perditæ recuperatio, immunita-
tis clericalis adeptio, defectuosè natorum
legitimatio, priuilegij specialis collatio,
&

INDEX CAPITVM.

- & honorū spiritualium participatio. 287
- III. Recenset alios fructus Religionem intrantis, qui sunt duodecim. Primum declarat, qui est vocationis diuinae certificatio. Vbi notantur vocationum & instinctuum multiplices differentia. 297
- V. Deducit secundum fructum, qui est veneni charitatis abiectio. Et ostendit quod charitatis triplex sit venenum, quod Religio docet euomere; nempe superbia, auaritia, & luxuria. 305
- VI. Declarat tertium fructum, qui est ad victimam perfecta dispositio. Vbi docetur, quomodo homo ad modum hostiae veteris Testamenti, per septem, se Deo sacrificare debet. 311
- VII. Manifestat IV. fructum, qui est, holocausti veri oblatio. Vbi docetur, quomodo totaliter se Deo per Religionis ingressum immolet per tria substantialia Ordinis. 321
- VIII. Ostendit quintum fructum, qui est vitae Christi conformatio, potissime in duodecim quae Christus passus est pro nobis; quae Religiosus, imitando Christum, pati debet. 327
- IX. Manifestat sextum fructum, qui est plena peccati remissio, & à purgatorio pro tunc absolutio, si ita decederet. Et ostenditur quomodo Religiosus moriatur mundo. 343
- X. Dedu-

INDEX CAPITVM.

- X. Deducit septimum fructum, qui est philosophia suprema professio. Et ostenditur quod Religio sit vera philosophia. 351
- XI. Ostendit octauum fructum, qui est spiritus ad Deum facilior erectio à mundo vano: qui assimilatur visco, Aegypto, puteo fœtenti, & obsessæ ciuitati. 357
- XII. Ostendit nonum fructum, qui est, in dubijs tutior ambulatio. Vbi traditur, quomodo in dubijs obediri debeat; & quod ingressus Religionis libro vitæ ascribat. 364
- XIII. Declarat decimum fructum, qui est operum per vota melioratio. Vbi ostenditur, quod idem factum per laicum & monasticum, est monacho magis meritorium, etiamsi inuitus faciat. 371
- XIIII. Manifestat undecimum fructum, qui est peccati commisi minoratio. Vbi ostenditur, quod, tribus casibus exceptis, idem peccatum per Religiosum & per sæcularem commissum, Religioso quoad plura est tolerabilius. 377
- XV. Concludit duodecimum fructum, qui est iudiciaria potestas. Vbi ostenditur quomodo in extremo iudicio multi iudicare dicuntur, sed Religiosi perfecti perfectius alijs. 386

IOAN.

IOANNIS NIDER
 DE
 REFORMATIONE
 RELIGIOSORVM
 LIBER PRIMVS.

Reuocans à conformitate sæculi, &
 lapsum Religiosorum aperiens.

CAPVT PRIMVM.

*Ostendit libertatem arbitrii esse causam om-
 nium bonorum gratiâ assistente, & eâ ab-
 sente causam omnium deformitatum,
 per quadam exempla & auctoritates San-
 ctorum.*



NOLITE conformari huic se- Rom. 12.
 culo, sed reformamini in no- v. 2.
 uitate sensus vestri, ut pro-
 betis, quæ sit voluntas Dei bo-
 na & beneplacens & perfecta.

ita inquit diuinus Apostolus. Ecce triplex *Triples do-*
 doctrina admodum necessaria cuique fideli: *ctrina ex*
 potissimè Religionis approbatæ regulâ pro- *verbis Apo-*
 fesso. Primò, ut vitam suam huic assilimari *stoli.*

A mur-

mundo caueat; *Nolite*, inquit, *conformari huic saeculo*. Secundò, vt mores & actus sui ad normam non saeculi, sed spiritus, instituat, ait: *Reformamini in nouitate sensus vestri*. Et quia hæc duo imperfectis sunt difficilia, tertio promittit obedientibus, huius vitæ & futuræ præmia felicia, dicens: *Probetis quæ sit voluntas Dei bona & bene placens & perfecta*. Primum reformationem præcedit, secundum eam concomitatur, & tertium ipsam consequitur. Primum quemque, nisi cautum, deturpat; secundum animam & corpus pulchrificat; tertium fructibus spiritus dulcissimis ditat. Per primum docet vitare malum; per secundum, instruere facere bonum; & per tertium, inuitat ad salubre præmium.

Primò, inquam, monet, vt Religiosus qui vitam suam huic saeculo nequam conformare caueat. Hortatur ad hoc triplici motiuo: quia habemus arbitrij libertatem, dum dicit, *Nolite*: quia habemus ad conformandum nos saeculo animi mobilitatem, cum subiungit, *Conformari*: & quia ad fugiendum videmus in mundo, peccatorum foeditatem, cum concludit, *Saeculo*. Ipsa namque libertas arbitrij, vt primum profequamur, quâ rationales & ad Dei imaginem formati sumus, quâ mundo præmi-

*Nobilitas
hominis ex
arbitrij li-
bertate.*

nemus

nemus visibili, imperamus cunctis animantibus, assimilamur Angelis, & diuinam participare vitam possumus, nisi vitio ingratitude grauari velimus culpabiliter, merito nobis persuadere habet, vt nolimus & detestemur conformari mundo. Ipsa libertas arbitrij tantæ potestatis extat, vt assistente Dei gratiâ, velle valeat bonum, & nolle, imò detestari malum. Astruunt hoc multipliciter Scripturæ sacræ dicta, & sapientum eius documēta, dum dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mādāta & præcepta sua: si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hinc B. Hieronymus ait: Volens Deus rationalem creaturam voluntarij boni munere & liberi arbitrij potestate dotare, vtriusque partis possibilitatem homini inferendo, proprium eius fecit esse quod velit, vt boni ac mali capax naturaliter vtrumque posset, & ad alterum voluntariè deflecteret. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere. Nec est, quo magis rationalis creatura præfertur ceteris, nisi quòd cum alia omnino conditio-

Probat libertatem arbitrij. Eccli. 15. v. 14.

Hieron. ad Demetr. tom. 9.

nis tantum ac necessitatis bonum habeat
 hæc sola habeat etiam voluntatis. Idcirco
 B. Bernardus in quodam Sermone; Cesset
 inquit, voluntas propria, & infernus non
 erit. Multa enim mala ex propria voluntate
 oriuntur. In quid enim defæuiet ignis, nisi
 in propriam voluntatem? Et subdit: Nam
 propria voluntas Deum impugnat, & adue-
 sus eum extollitur: ipsa est, quæ paradisum
 spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi
 euacuat, & ditioni diaboli mundum subiu-
 gat. De hac etiam Anselmus libro de simi-
 litudinibus dicit: Hæc est propria voluntas,
 quæ & in inobedientiâ, Dei voluntatem
 sibi aduocatâ habere non potest: ut si quaer-
 ratur, Cur hoc vel illud velit, veraciter dice-
 re non possit, Quia Deus vult. Quæ quia De-
 voluntate priuatur, propria dicitur volun-
 tas. Hæc superbia est initium omnis peccati.
 Superbia dicitur, quia supra quod non de-
 beat, graditur, cum sub Dei voluntate non
 vult esse. Et quoniam illam homo habet
 se, nec voluntatem Dei, quam sequatur, vult
 habere supra se; ideò aufert Deo, quod pro-
 prium & singulare Dei est. Solus enim Deus
 quidquid vult, debet velle propriâ volunta-
 te, quæ sibi velut corona regia debetur, quæ
 anima Deo auferre conatur. Ex quibus patet
 quòd duplex est voluntas. Vna propria

Bern. ser. 3.
de resurr.

Ansel. de
similitud.
cap. 6.

cap. 7.

cap. 8.

Duplex vo-
luntas.

& mala, quâ secundum desideria carnis, mundi huius inhæremus illecebris. Alia est voluntas quodammodo diuina & bona, quâ Dei nos conformamus voluntati, quâ mundi huius detestamur oblectamenta, & cælestia amplectimur. Ad hâc hortatur B. Ioannes in primâ suâ Canonicâ, vbi dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Conari ergo debemus pro viribus, vt bonâ freti voluntate, per gratiam, sine quâ nihil possumus, libertatem consequamur. Gratia enim sola est, quâ liberi veri efficimur. *Omnis quippe, inquit Christus, qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et, *Spiritus vite in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis,* dicit Apostolus. Reperimus namque, Deum nos per gratiam liberare multipliciter. Primò, à culpâ: vnde, ad Rom. 6. *Liberati à peccato, serui autem facti sunt iustitiæ.* Secundò, à fomitis dominatione, vt Rom. 8. *Liberauit me à lege peccati & mortis.* Tertio, à diaboli tyrannide per crucem, Ioan. 12. *Iam princeps huius mundi eiicietur foras.* Quarto, à mundi sollicitudine, Gal. 5. *In libertate vocauit nos Deus.* Et quintò, ab omni pœnali liberauit nos corruptione, quia *ipsa creatura liberatur à seruitute corruptionis, in quâ nunc est.* Voluntas prætereà, & eius libertas, gratiâ

*Voluntas
assimilatur
fœcunda
uxori.*

*Anselm. de
similitud.
cap. 2.*

cap. 3.

*Bona qua
parit vo-
luntas san-
cti Spiritus
suggestione.*

diuinâ assistente, est sicut cor & velut prin-
cipium omnium virtuosarum operationum
in homine: & è diuerso, propria voluntas
omnium facinorum est exordium. Quam
obrem voluntas uxori assimilatur fœcunda
simæ, quæ si Deum habeat in maritum, per
semen verbi diuini omnia virtutum germi-
na nouit producere: si verò maligno iungitur
spiritui, per suggestionem eius sententia
efficitur cunctorum flagitiorum. Vnde Anselmus;
Voluntas est sic inter Deum & diabolum,
quomodo mulier inter suum legitimum virum
& adulterum. Vir enim præcipit, vt sibi
soli coniungatur; adulter vt sibi. Si itaque
soli legitimo se coniungat, legitima est, filios-
que legitimos generat: si autem adultero se
coniunxerit, adultera est, & filios generat
adulterinos. Similiter ergo Deus imperat
voluntati, vt sibi soli iungatur. Quomodo
si facit, id est, sancti Spiritus suggestionem
velut semen bonum recipit, fit eius coniun-
ctio legitima, filiosque legitimos parit, virtutes
& bona opera. Mox enim ad imperium eius
omnes aperiuntur animæ & corporis sensus
ad implendum, quod præcepit Deus. Ipsa
namque voluntas aperitur ad virtutum affec-
tiones, & ad volendum optanda; memoria
verò ad memorandum memoranda; cogitatio
ad cogitandum cogitanda; intellectus ad

ad discernendum quid sit volendum, cogitandum, vel memorandum; animus quoque ad charitatem dirigitur, & ad alias aperitur virtutes. Similiter & corporis sensus aperiuntur ad imperium voluntatis, videlicet visus ad rectè videndum, auditus ad rectè audiendum, & ceteri sensus similiter: item oculi ad vigilandum & plorandum, aures ad verbum Dei audiendum, & sic de reliquis: item membra, vt os ad benè loquendum, manus ad rectè operandum, pedes ad ambulandum, quomodo debent. Sicq; vna sola voluntas, postquam Dei voluntati est iuncta, tot virtutes generat & opera bona.

Quòd si voluntas diabolo se iunxerit, eius recipiendo suggestionē velut inordinatum semen, adultera mater effecta filios adulterinos, id est, vitia & opera mala generat. Vniuersos enim hominis sensus claudit ad ea, quæ præcipit Deus: & pandit ad ea, quæ præcipit dæmon. Ipsa namque prius aperitur ad affectionem vitiorum, & ad ea perpetranda.

Sed contra hæc, scio, obiiciunt reformationis emuli. Bonum, inquiunt ad reformatores, est reformari: sed hoc folius Dei proprium est. Vos autem gratiam reformationis dare non potestis. Cur igitur frustra nos vexatis? Respondet Alexander de Halis

Anselm. de
similitud.
cap. 4.

cap. 5.
Voluntas
diaboli
suggestione
quæ mala
pariat.

Obiectio.

Responsio.

Alex. Halis. Anselmum libro suo de libertate arbitrii
 p. 3. qu. 59. Gratiam habere, non est in hominis potestate: sed sibi oblatam respuere vel recipere. Verum quidem est, hominem gratiam de sui libertate arbitrij, sine Dei munere non posse habere solis propriis viribus: nec enim istis non obstantibus, in potestate hominis est, gratiam Dei oblatam recipere.

Anselm. de Sicuti ponit Anselmus ibidem exemplum
 lib. arbit. quòd ad visum exiguntur quatuor: scilicet
 c. 3. cir. fin. obiectum visibile, medium, scilicet lumen non obstaculum; & potestas potentiae visu seu oculus. Et quolibet sublato homo non videret, & tamen habet potentiam videndi, solâ potentiâ visuâ retentâ. Omnibus enim datis, solo lumine sublato, nihil videret. Ita de tribus aliis dicendû est. Sic etiam ad videndum Deum & diligendum super omnia, exigitur Deus diligibilis, lumen gratiae, ne obstaculum ponatur peccati per peuerfam voluntatem, & potentiae * voluntatis actus liber. Nec aliquis causari potest ad ultus, quòd gratia sibi non datur, quia concors omnium Theologorum est doctrina. Facienti quod in se est, infallibiliter gratiam donari gratuitè: non necessariò absolute, sed ex Dei pacto, quo ait: *Convertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Præterea dicit idem Anselmus: Homo non dicitur

Ad videndum Deum & diligendum, quae requirantur.

** al. actus voluntatis liberæ.*

Zach. 1. 3.

non habere gratiam, quia Deus non dat, sed Anselm. de casu diabo-
quia homo nõ accipit. Præterea sicut in na-
turalibus, dispositâ materiâ sufficiēter, à da-
tore formarū, confertur forma etiam in em-
bryone ex grandi peccato sacrilegij conce-
pto; sic à Deo, qui vult omnes homines sal-
uos fieri, haud dubium, nostrâ annuente
volūtate, gratia ei infunditur. Quamquam
cum his stet illud Christi: *Sine me nihil po-* Ioan. 15. 5.
testis facere. Quod quidem verum est, quia
sine Dei speciali motione gratuitâ, nullus à
morte peccati mortalis resurgit. Sed hanc
motionis gratiam, Deus (vt ab Anselmo di-
ctum est) nulli subtrahit: & eâ oblatâ, in po-
testate est hominis, eius motum seu instin-
ctum sequi, negligere, vel refutare. Quam-
obrem etiam Prælatis, rebelles subditos per
pœnas positiuas & priuatiuas licitè castiga-
re possunt, potissimè in his, in quibus se eis-
dem Prælatis subdiderunt. Porrò sicut pro
bonâ libertate voluntatis summopere labo-
randum est; ita è contrario summè à malâ
& propriâ voluntate est fugiendum. Cuius
malitiâ B. Anselmus tribus assimilat: fon-
ti fœtido, reginæ adulteræ, & herbæ vene-
nosæ. Hæc, inquit, propria voluntas initium
omnis mali est, velut fons, qui in tria capita
diuiditur. E quibus riui diuersi & innume-
rabiles deriuantur, qui locis in quibusdam

*Præua vo-
luntas tri-
bus assimi-
latur.*

Anselm. de
simil. ca. 9.
37. & 38.

*Propria vo-
luntas simi-
lis fonti.*

ab inuicem separantur. In aliquibus verò duo & duo; & plures pluribus coniunguntur. Ita quoque propria voluntas in tria genera diuiditur, è quibus vitia diuersa & sine numero nascuntur, quæ aliquando in homine sunt disiuncta, quandoque verò duo vel plura coniuncta. Propria namque voluntas, aut est in delectatione, aut curiositate, aut exaltatione. Delectationis genera sunt duo principalia: vnum exterius in quinque corporis sensibus, aliud interiùs in animæ affectionibus. Et postea late deducit, quòd ex delectatione nascuntur xxxi. delectationum genera: de exaltatione, xv. genera: & de curiositate, quæ est studium perferutandi ea, quæ scire nulla est vtilitas, nascuntur xvi. vitiorum genera. Insuper ostendit, quòd ex delectatione nascuntur luxuria, adulterium, fornicatio, immunditia, ventris ingluuies, & multa alia: de exaltatione, inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, & similia: ex curiositate, inquietudo, susurratio, detractio, & cetera. Vnde subdit: Propria namque voluntas est velut quædam adultera Regina, quæ se cuidam Regi coniunxit adultero, ex quo etiam tres filios habuit. Ex his verò tribus, tot alij filij & nepotes sunt generati. Rex itaque cum Reginâ illâ, cuidam alij Regi aduersatur, collecto filiorum & nepotum

*Propria
voluntas in
tria genera
diuiditur.*

*Anselm. de
similit.
cap. 10.*

*cap. 13. &
seq.*

cap. 37.

*Assimila-
tur Regina
adultera.*

tum exercitu, & regnum ipsius aggressus prædatur. Hic autem exercitus sic seruos illius Regis inuadit, vt aut plures vnum, aut vnus plures, aggrediantur. Quoscunque vero deuincere possunt, vinctos & adductos in carcerem tradunt, exigentes ab eis, que numquam persolvere possunt: sed omnes omnibus affecti miseris, in carcere illo deficiunt. Rursus propria voluntas cuidam herbe assimilatur venenosæ, quam medicus quidam peritissimus progeniei cuidã, primis scilicet parentibus interdixit, cõminans, vt si ex eâ comederent, leprosi effecti proculdubiò interirèt. At illi præceptis eius obedire noluerunt, sed ex eadem herbâ comederunt. Vnde & leprosi effecti, leprososque filios genuerunt; atque vt medicus eis comminatus est, mortui sunt. Quorum filij scilicet, licet patres agnouerint herbâ illâ infirmatos fuisse & mortuos, seque ipsos leprâ percussos, & * morituros: eandem tamen herbam illam super omnes alias diligunt, indeque cibos suos vniuersos condiunt: manè quoque surgentes, ex eadem quasi medicamento accipiunt; sed & somnum serò capturi similiter faciunt. Ita reuera est de herbâ voluntatis propriæ, quemadmodum ibi deducit Anselmus. Ex quibus iam liquet auctoritatibus, quàm sit nociua voluntatis in malo

cor-

Anselm. de
similit.
cap. 38.
*Est velut
herba ve-
nosa.*

* al. mor-
tuos:

corrupta libertas, quæ sæculo conformari nititur maligno. Quo contrà Apostolus clamat, *Nolite*: vt ostendat facultatem arbitrij liberi, & eiusdem nolitionis facilitatem.

CAPVT I I.

Docet quid sit conformitas in bono & in malo: quomodo per tria vitia conformatur sæculo. Et per tria dubia ostendit, quàm sit periculosum intrare Religionem deformatam.

DEINDE Apostolus, se difformare à sæculo suadet, ex eo quòd habemus ad conformādum nos animi mobilitatem. Ex cuius corruptione, nisi potenter resistamus, faciliter nimis conformamur huic sæculo. *Nolite*, inquit, *conformari*. Vbi scire primùm opus est, quid sit conformitas, & quæ sæculi forma: & quàm sit detestabile, se huic nequam sæculo conformare. Conformitas, dicit S. Thomas, est conuenientia in formâ vnâ. & sic idem est, quod similitudo, quam causat vnitas qualitatis, vt dicitur 5. Metaphysicæ. Hæc iste. Secundùm enim gradus & modum participationis formę vel qualitatis, erit variatio conformitatis; ita quòd vbi maior est vnitas formæ, ibi expressior est conformitas. Quemadmodum prima

S. Thom.
I. d. 48. ar. 1.
*Quid sit
conformi-
tas.*
5. Meta-
phys. text.
10.

ma inter diuinas personas & pulcherrima conformitas reperitur, inter quas maxima est vnitas. Materia verò, propter eius distantiam à summo bono, & ab vnitate ac participatione diuinæ pulchritudinis, è diuerso turpis dicitur & informis: quia, secundum B. Augustinum, materia prope nihil situatur. Forma autem sæculi, ex consequenti, ipsum est nihil, pessimum & turpissimum, scilicet peccatum. De quo Ioan. i. *Sine ipso*, id est, Deo, *factum est nihil*. Et alibi: *Sine me nihil potestis facere*. id est, solùm peccare possumus à nobis: omnia verò alia Deo mediante possumus. Quemadmodum igitur vitia, formæ deformes sunt animarum rationabilium: ita virtutes (vt latè libro 2. ostendetur cap. 1.) formæ sunt comptissimæ intellectualium spirituum. Vnde ille se huic sæculo conformare conuincitur, qui eius facinora imitatur. Hæ sunt vitiorum formæ indecoræ nimis, quæ diuinas virtutum in animâ adeò formas corrumpunt, vt rationalis homo in formas bestiarum & irrationabilium quodammodò transformetur. Nam auaritiâ ardentes, igni; mobiles inconstantia, aëri; & frigescentes inuidiâ, aquæ glaciei; & luxuriæ immersi, sæcibus assimilantur. Terræ bestiis denique vitiosi conformati esse dicuntur, imò modo quodam

Aug. lib. 12
confess. c. 7.

Ioan. i. 3.

Ioan. i. 5.

dam

dam in eas transformati, vt sacra testatur
 Scriptura, Sanctorum docent exempla, &
 Philosophorum etiam non fidelium tradi-
 derunt præcepta. *Homo*, inquit Psalmista,
cùm in honore esset, non intellexit; compa-
ratus est iumentis insipientibus, & similis
factus est illis. Hinc Chrysofomus: Nec
 homo, si est peccator, manifestè dici posset.
 Cùm enim calcitres vt asinus, saltet vt cer-
 uus, fremas in mulieribus vt equus, & ga-
 strimargiam patiaris vt vrsus, impingues car-
 nem vt mulus, rapias vt lupus, irascaris vt
 serpens, percutias vt scorpio, dolosus sis vt
 vulpes, venenum malitiæ obserues vt aspis
 & vipera: qualiter potero te cum hominibus
 numerare, non videns in te talis vitæ chara-
 cteres? Ideò dicit Hermes Trismegistus ad
 Æsculapium: Si homo per electionem se
 mundo inferiorem fecerit, quasi honore
 humanitatis exutus, proprietatem accipiet
 bestię. Eamdem ob causam, hanc confor-
 mitatem secundam vocauit animarum in-
 corporationem, dicens; Animas virorum
 non colentium iustitiam, & Diis non obse-
 quentium, in secundâ generatione transire
 ad bestias. Quam translationem Gregorius
 Nyssenus, quia Platonicus, Platonem excu-
 sando, intelligi debere, vt præmittitur, dixit.
 Cui concordat Boëthius: Versi, inquit, in
 mali-

Psal. 48. 21.

Chrysof.
hom. 4. in
Matth.Hermes ad
Æsculap.
quē tamen
locum inter
illius ser-
mones Pa-
risiis 1554.
editos non
reperio.Greg. Nys.
lib. 2. de a-
nimâ, c. 8.
Boëth. li. 4.
de consol.
philos. pro-
lâ 3.

malitiam, humanam quoque amisere naturam; ut quem transformatum vitiis videas, hominem æstimare non possis. Et formis talibus laruatis mundus iste plenus est, quarum tamen tres deteriores sunt, & velut fontes spurcissimi, à quibus omnibus aliis vitiis deformitas hauritur, superbia scilicet, auaritia, & luxuria, quæ 1. Ioan. 2. agnoscenda traduntur. *Omne, ait, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite.* Quid enim * fœdus luxuriâ, quâ corpus inquinatur & anima, & in eâ velut idolo Priapi deseruitur turpissimo. Quo cōtrà laudatur plurimum Rex Asa, in cuius commendationem dicitur: *Subuertit specum Priapi, & confregit simulacrum turpissimum.* Quid enim animæ indecentius auaritiâ? quia per concupiscentiam oculorū, fit de templo Spiritus sancti, per culturâ idolorum, malignorū spirituum habitaculum, teste Apostolo ad Coloss. 3. ubi dicit: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus.* Quid prætereà spiritui nostro potest obesse amplius, quàm ut ipse à Deo creatus totaliter, & ab ipso redemptus misericorditer, per inobedientiam eius mandatis recalcitret?

1. Ioan. 2.

16.

* al. fœdus

3. Reg. 15.

Coloss 3. 5.

citret? Cùm tamen Dei Filius oriens ex alto, nos visitando, factus sit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. *Qui*, inquit, *cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Formam itaque huius mundi turpissimam, fratres charissimi, nolite concupiscere, ei conformari nolite; sed formam Religionis nostræ sanctissimæ, quæ in paupertate, castitate consistit & obedientiâ, potiùs induite: quia talibus Christiformes effici possumus, & mundi huius immundi lutosi velaminibus quisque carere poterit, secundùm illud: *Cùm conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen*; scilicet malitiæ libertas. Hæc est enim secundùm S. Thomam causa, cur omnes Religionum Patres primitiui, suis, qui sæculo renuntiare statuerunt, tria principalissima vota imposuerunt; paupertatem, castitatem, cum obedientiâ: quia per hæc tria, forma huius mundi totaliter abiicitur. Nam per paupertatē voluntariam, diuitiis sæculi seu oculorum concupiscentiæ resistitur. Per castitatem puram, quis concupiscentiæ carnis, quæ in venereis
maxi-

Philip. 2. 6.

2. Cor. 3.
16.S. Thom.
2. 2. q. 96.

maximè militat, aptè renititur: & per obedientiam humilem, superbiam vitæ obuiatur. Sed quia (heu!) Religionum professores plurimi, non se huic formæ Religionis conformare gestiunt, quin imò fœditatibus sæculi se iniiciunt: ideò contra tales B. Bernardus sic inuehit in quadam epistolâ: Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident, vestri pedes omne forum circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiuntur cõsiliis, vestræ manus omne alienum diripiunt patrimonium. Et iterum in homiliâ super *Missus est*: Video quosdam, quod sine dolore videri non debet, post aggressam Christi militiam, rursus implicari sæcularibus, rursus terrenis cupiditatibus immergi: cum magnâ curâ erigere muros & negligere mores, sub prætextu quoque communis vtilitatis verba vendere diuitibus, & matronis salutationes: sed & contra Imperatoris sui edictum, concupiscere aliena, & sua cum lite repetere. Et iterum: Video, quod non parû doleo, post sæculi pompam nonnullos in scholâ humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis humilis magistri grauius insolescere, & impatientes amplius fieri in claustris, quàm fuissent in

B

sæcu-

Bern. ep. 43
circa fin.Bern. hom.
4. super
Missus, cir.
fin.

Dubium I.
An indu-
cens ad de-
formatam
Religionē,
peccet mor-
taliter?

Ioan. Nea-
polit. parte
2. qu. 31.

Mat. 23. 15

ſæculo. Sed dubitatur hîc primò, an indu-
cens aliquem ad intrandũ Religionem de-
formatam taliter, quòd in eâ non ſeruetur
regula, ſupra quam fundata eſt Religio, pec-
cet mortaliter. Hanc quæſtionem mouet
Ioannes de Neapoli Ordinis Prædicatorum
in vtroque iure magnus, libro ſuo de quæ-
ſtionibus ſtatum Religioſorum cõcernenti-
bus; & reſpondet. Quæſtio, inquit, iſta diſ-
ſoluitur per terribilem maledictionem Do-
mini in Euangelio dicentis: *Va vobis Scri-
bæ & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare
& aridam, vt faciatis vnum profelytum: &
cũ fuerit factus, facitis eum filium gehen-
næ duplo quàm vos.* Tenetur etiam indu-
cens, qui ſcit regulam & ordinem non ſer-
uari, actione de ſeruo corrupto, eò quòd non
viuunt tali exemplo, quin conuerſatione ſuâ
mores intrantis corrumpant. Sicut enim in-
ducens ſeruum ad furandum vel ad fugien-
dum, ipſum furem facit vel fugitiuum, vel
mores eius corrumpit, tenetur: ſic & hic in-
ducens, qui exempla ſibi trãſgreſſionis præ-
fert. Sunt enim multi modi corruptionis,
quos inuenies Digestis De ſeruo corrupto
l. 1. & 2. Et tenetur corrûpens ad exemplum
ſancti Euangelij, actione ſerui corrupti, in
duplum. vt in eodem titul. l. Doli verbum.
ſ. Hęc actio. & nihilominus actione l. Aquil-
liæ,

lia, dicto. §. Hæc actio. Sed commodius hæc
 Ioannes. Hanc etiam quæstionem soluit
 Hugo de Folieto in libro de claustro anime,
 exponensquamdam historiam lib. Iudicum
 cap. 18. sic dicens: Cùm aliqui de sæculo ad
 domũ Religionis veniunt, domum Michæ
 se reperisse credunt. Michas interpretatur,
 Quis est hic? Dum enim inueniunt ephod,
 id est, habitum conuersionis; & conflatile,
 id est, verba detractionis; & sculptile, scilicet
 peruersi operis; exeunt quandoque & rece-
 dunt admirantes huiusmodi cõuersionem,
 Quis est hic, dicunt? Multi siquidem isto-
 rum societate peiores fiunt. Hæc ille.

Hugo lib. 3
 cap. 9. Huic
 & Vincent.
 lib. 27. hist.
 cap. 18. hos
 lib. affcri-
 bit: quidam
 cū operib.
 Hug. de
 S. Victore,
 excud. Ve-
 net. 1588.

Dubitatur secundò, an modus habendi
 consuetus in Religionibus, sit sine periculo
 animæ? Iuxta Apostolum respondet Ioan-
 nes de Neapoli: Non solùm à malo, sed à
 specie mali est abstinendum. Regula autem
 omnis Religionis præcipit monachum nihil
 debere habere. Idem statuitur tam in iure
 Canonico, quàm Ciuili: Auctent. De mona-
 chis coll. 1. §. Illud quoque discernimus.
 cap. 6. & C. De sacros. Eccles. Auctent. In-
 gressi. Item in iure Canonico, Ext. De statu
 monachorum, cap. 2. vbi dicitur: Monachi
 nihil peculiare habeant. & cap. 6. Cùm ad
 monasterium; in principio, vbi dicitur: Pro-
 hibemus quoque districtè in virtute obe-

Dubium 2.
 Quid de
 consuetis
 modis ha-
 bendi?
 Par. 2. q. 79

dientia, sub obtestatione diuini Iudicij, nè quis monachorum, proprium aliquo modo possideat. & in fine : Nec æstimet Abbas, quòd super habendâ proprietate possit cum aliquo monacho dispensare : quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, ad eò annexa est regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ad idem allegat infinita quasi iura, vt 16. qu. 1. Si cupis esse. & cap. Qui verè. & 12. qu. 1. Augustinum De vitâ Clericorum: Non dicatis. & cap. Nolo vt aliquis. & Clementem recitantem paupertatè Apostolorum, & de Ananiâ & Sapphirâ, & subdit : Sciendum quòd pecuniæ nomine legis interpretatione ff. De verborû significatione, l. Pecuniæ, omnis res intelligitur, quæ in pecuniam verti potest. Excipit tamen ius & excusat ab habendo proprium, eum religiosum, cui administratio temporalium ab Abbate & Prælato concessa est, vt 18. qu. 2. Abbates pro humilitate. & Ext. De statu monach. cap. 6. §. Qui verò. vbi dicitur: Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniunctâ administratione permiffum, à communione remoueatur altaris. Sed in Religionibus, quæ propriis & possessionibus renuntiauerunt, nullum est peculium; & per consequens, nec administratio pecu-

Clemens
li. 7. recog-
nit. act. 5.

peculij. Et eodem modo de religiosis habentibus proprietates & possessiones, exceptis administratoribus rerum monasterij in procurationibus personarum. Quid ergo dicemus de monachis & aliis religiosis, qui thesaurizant pecunias, vel alia, quæ in pecuniam conuerti possunt? & quod detestabilius est, qui, id quod habent, occultant & à Prælatiis suis, vel per manus sæcularium negotiationi exponunt? Quid differt à proprio, habere vestes superfluas, libros habere inutiles, de quibus longa esset narratio: & specialiter accipere, & expendere non ad necessitatem, nec ad utilitatem, sed fortè ad voluptatem, & plerumque fortè ex causis illicitis? Sed quia sunt, qui excusant per excusationes in peccatis, patebit hoc quæstione sequenti. Hæc Ioannes.

Vnde tertio quæritur, an sufficiat subdito dispensatio Prælati, vt quidam se defendunt. Respondet idem Ioannes: *Dispensatio est prouida iuris communis relaxatio, utilitate seu necessitate pensatâ. vel sic: Dispensatio est rigoris iuris, per eum, ad quem spectat, canonicè facta relaxatio.* Vtraq; definitio habetur i. q. 7. c. 5. § Rigor. & §. Multorū. & c. sequenti. §. Genera. Ex quibus definitionibus colligitur, quòd in dispensatione requiritur, primò potestas volentis dispen-

*Dubit. 3.
An sufficiat subdito dispensatio Prælati.
Part. 2.
qu. 80.*

Videantur ibidem Glossæ.

fare, ibi, *Per eum, ad quem spectat*. Secundò, ratio mouens ad dispensandum, vnde dicit, *Prouida*. Nam prouidà deliberatione in dispensationibus procedendum est: vt Ext. De translatione Prælat. cap. Fui. Et notat Dominus Innocentius Ext. De renuntiatione, cum inter P. Gaufridi in glossâ finali dicens: Si non subesset iusta causa, quantumcumque dispensaret Papa, non consulerem Clerico, qui iurauerat, quòd ageret contra Capitulum: alioqui potius dissipatio, quàm dispensatio dicenda est. Tertiò, quòd is, cum quo dispensatur, necessitatem patiat: vnde dicitur in definitione, *Necessitate pensatâ*. Quartò, quòd id, super quo dispensatur, non sit contrarium iuri: vnde dicitur in definitione, *Iuris communis relaxatio*, non destructio. Quintò, quòd secundum ius fiat: vnde dicitur, *Canonice facta*. Sextò, quòd utilitas communis in dispensando procuretur: vnde dicit, *Utilitate pensatâ*. Quæcumque harum causarum vel conditionum defecerit, deficit definitio, & per consequens definitum. Hæc Ioannes. Ex his elicere videtur idem Doctor terribiles propositiones, contra multos Religiosos, non habentes omnia in communi. Vide eum, si placet, Doctorem latè de hoc. Quia igitur habemus, fratres charissimi, magnam animi nostri mobilitatem

tem

tem ad conformandum nos sæculo (anima enim nostra naturam habet speculi, & facilliter ei, cui se applicauerit, conformari incipit) idcirco nolite, quæso, conformari huic sæculo: sed potius trino sanctę Religionis voto conformemini, ut possit de vobis tandem dici illud Apostoli: *Gratias autem* Rom. 6. 17 *Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

CAPVT III.

Quòd forma sæculi est omni luto immundior, sicuti & ipsa peccata, ratione multiplici.

DEMVM tertio suadet Apostolus, ut Religiosorū nullus conformari velit huic sæculo. Vbi notandum, quòd sæculum, cum sit mundus periodo aliquo qualiter mensuratus, accipitur multifariè. Primò dicitur arthetypus, principalis scilicet, & exemplaris aliorum mundorum. de quo Boëthius:

Ducis ab exemplo pulchrum, pulcherrimus ipse,

Mundum mente gerens.

Boëth. de
consol. phi-
los. lib. 3.
met. 9.

Secundo modo dicitur ipsa vniuersitas rerum creatarum. Tertio modo, homo sæcu-

laris in vitiis viuens: vnde dæmon dicitur
 Ioan. 14. 30 *princeps mundi huius*, qui in Christo nil
 Ioan. 1. 10. habuit. De his dicitur: *In mundo erat*, quo-
 ad primum: *& mundus per ipsum factus est*,
 quoad secundum: *& mundus eum non cog-
 nouit*, quoad tertium. Et sæculo huic nul-
 lus se conformare debet: quia videmus in
 sæculo peccatorum fœditatem. Nam præ-
 ter triplicia vitia, quæ sunt dicta, adhuc in-
 finita penè vitiorum sunt in sæculo fœda-
 mina. Quod B. Ioannes breui perstringit
 1. Ioan. 5. oraculo, cum dicit: *Mundus totus in ma-
 18. ligno positus est*. Iccircò B. Iacobus è con-
 trà, describendo veram Religionem, ita
 Iac. 1. 27. definit: *Religio munda & immaculata apud
 Deum & Patrem, hæc est, visitare pupillos
 & viduas in tribulatione eorum, & imma-
 culatū se custodire ab hoc sæculo*. Proprium
 est igitur huic sæculo, se ei conformantes
 maculare & deturpare: nec mirum; cum
 eius tota forma sit informitas, quia peccatis
 referta & plena. Vnde longè amplius ipse
 mundus, qui sic inquinat, est fugiendus,
 quàm sint vitandæ aliæ materiæ corporales
 fæculentæ. Septem enim de causis fordes vi-
 tiorum sunt immunditiis aliis peiores. Nam
 inquinant fœdius, corrumpunt deterius,
 fœtorem diffundunt latius, tangunt inti-
 mius, adherent fortius, ab eis cauetur diffi-
 cilius,

cilius, & subiectum reddunt Deo despectabilius ac abominabilius. Inquinant foediùs sordes sæculi, eò quòd inquisitiones quarumcumque aliarum sordium, quasi nihil ad istas computatur, Christo attestante, qui dicit: *Non quod intrat per os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* & post pauca, illud declarando subinfert: *De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hac sunt quæ coinquinant hominem.* Constat autem mundum his sordibus vbique esse plenum. Corruptunt istæ sordes deteriorius, quàm sordes corporis. Quamuis enim commune sit sordibus, proprium subiectum corrumpere, hoc tamen sordes vitiorum faciunt amplius, quia animam nobilissimam, Dei insignitam imagine, inficiunt, vulnerant, & spoliant. Quamobrem bestiarum sordibus comparantur vitia. Ioël. i. *Compu- truerunt iumenta in stercore suo.* Quod B. Gregorius exponit de vitiorum sordibus. *Fœtorem insuper suum diffundit latius: quia vsque ad mediam regionem aëris, vel x v. cubitis ultra omnia montium cacumina. In cuius euidencia olim mundus per aquæ diluuium à sordibus peccatorum purgatus legitur, & per ignis diluuium in fine*

Mat. 15. 11

Ibid. v. 19.

Ioël. i. 17.

Greg. 24.

Moral. c. 8.

sæculi per idem spatium mundandus creditur: imò eius foetor vsque ad Angelos sanctos ascendit, & ad Dei sedem in cælo empyreo. Ideò dicit: *Irrigabo terram foetore sanguinis tui* (scilicet peccati) *super montes*. Quod ideò dicitur; quia non solum per plana mundi, sed etiam vsque ad cæli alta, foetor iste diffunditur. Tangit & intimiùs, quia cameram summi Regis maculat in corde animæ, vbi sedem sibi soli constituit Rex gloriæ, & vbi eidem in vase cordis parari deberét cibi animæ, cum quâ delicias quaerit & cœnare, si sibi aperitur, & mûdo clauditur. Caufatur hoc ille, qui ait: *Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis*. Et ideò grauiùs lamentatur id ipsum Christus, dicens: *Va vobis Scribe & Pharisei hypocrite, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem estis pleni rapinâ & immunditiâ. Pharisee caece, munda priùs, quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & quod deforis est mundum*. Adhæret proinde hoc lutum peccatorum fortiùs, quàm turpitude alia: quia per nullum hominem, quin imò nec per Angelum deleri potest peccatum, & macula animæ, nisi per Dei misericordiam & potentiam, quamquam ad hoc vtatur libero arbitrio hominis, quod tamen sæpè Dei resistit

voca-

Ezech. 32.
6.

Ibid. 14. 3.

Mat. 23. 25

vocationi gratuitæ. Hinc dicit turpatæ ani-
 mæ: *Immunditia tua execrabilis est. Mun-* Ezech. 24.
dare te volui, & non es mundata à sordibus 13.
tuis. Animaduertite igitur, fratres charissi-
 mi, quàm fortis vitiorum adhæsiō, quam
 vix Deus dicitur posse abstergere. Cauetur
 prætereà difficilius ab his sordibus, quia ab
 aliis caueri potest, ab his verò numquam in
 præsentī sæculo totaliter. Vnde Iob 9. *Si lo-* Iob 9. 30.
tus fuero aquis niuis, & fulserint velut
mundissimæ manus meæ: tamen sordibus in-
tinges me. Vbi glossa: Nec vitæ nec la-
 crymæ perfectè mundos reddunt, dum du-
 rat hæc corruptio. Quod ideò dicitur, quia
 semper renouantur sordes istæ. Reddunt
 postremò subiectum Deo despectabilius.
 Non enim Christus paupertatem, non cor-
 porum infirmorum sorditiem, nec leproso-
 rum, quibus misericorditer locutus est, & eos te-
 tigit, horruisse legitur: sed vitiorum huius
 sæculi turpitudinem vsque ad mortis ama-
 ritudinem persecutus est. In cuius typum o-
 lim de Deo legitur creberrimè, quòd abo-
 minabatur vitia, quæ sola Deo abominatio-
 nem faciunt. *Abominati sunt in confusio-* Osee 9. 10
nem (peccatores scilicet) *& facti sunt abo-*
minabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. Et: *Ab-* Prou. 15.
ominatio Domini, cogitationes malæ. *Victi-* 16.
ma impiorum abominabiles Domino. Cui se
 con-

- Pfal. 118.
113. conformans Propheta, dicit: *Iniquos odio habui, & abominatus sum iniquitatem: legem autem tuam dilexi.* Istæ sunt immunditiæ peccatorum, quibus præsens mundus plenus est. Quamobrem nolite conformari huic sæculo: quod fœditatibus tot deformatum est. Ob prædicta etiam patet, cur series sacræ Scripturæ in plerisque mundum seu sæculum comparat luto; à quo Psalmista liberari petiit, cum ait: *Eripe me de luto, ut non infixar.* Et reuera forma sæculi aptè luto comparatur, ex causa triplici. Primo, quia inquinat turpiter, quoad concupiscentiam oculorum seu auaritiam. Vnde Sapientia: *Luto vilior vita eius*, scilicet peccatoris. Vnde Augustinus lib. de quinque septenis: Per gulam cor inficitur & quasi humectatur, per luxuriam conculcatur. & septem capitalia ibidem enumerans concludit: Ita in lutum redigitur, ut iam miser dicere possit: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Cumq; huic limo profundi animus infixus fuerit, & luto coinquinationis & immunditiæ obuolutus, euelli nequaquam potest, nisi ad Deum clamet, & eius consilium postulet.* De quo Propheta loquitur, dicens: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit*

pre-

preces meas, & eduxit me de lacu miseria,
& de luto facis. Cui dicto, hoc consonat
 Senecæ: Opifices, per quorum manus steri- Sen. ep. 95
 le terræ genus & infirmum purgatur, vide- cix. fin.
 bis quantâ fuligine obliniantur. Atque ista,
 aurum & argentum, magis inquinant ani-
 mos, quàm corpora: & in possessore eorum,
 quàm in artifice, plus sordium est. Secundò
 comparatur vitium sæculi luto: quia detinet
 molliter, & tamen fortiter, quoad concu-
 piscentiam carnis seu luxuriam. Est enim de
 luxuriâ sicut de bitumine, quod, secundum
 Isidorum, tam tenax est, quod nec aquâ nec Isid. lib. 16.
 ferro corrumpitur. Et secundum eundem, Ety. c. 2.
 in Syriâ limus est passim à terrâ æstuans, cu-
 ius natura est ardens, & igni cognata. Sic
 peccatum præcipuè malâ consuetudine in-
 troduktum tenet fortiter, adeò vt nec aquâ
 lacrymarum, nec ferro queat solui poeni-
 tentiæ. A terrâ limus iste emanat, scilicet ab
 imperfectione corporis; & propter eius con-
 cupiscētias, cognata est igni infernali. Com-
 paratur tertio sæculum luto, quia submergit
 miserabiliter, quoad superbiam vitæ. Quam-
 uis enim in luto quis ascendere gestiat: ta-
 men ascensus iste fit in re discensus, etiamsi
 homo nesciat. Pari modo est in superbiæ vi-
 tio; in quo etsi secundum suam æstimationem
 videatur quis ascendere, secundum il-
 lud

Pfal. 73. 23. *Iud Pfalmistæ: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper: ad ima tamen inferni reuerà tales noscuntur descendere. Vnde*

Pfal. 106. 26. *Pfalmista: Ascendunt vsque ad calos, & descendunt vsque ad abyssum. Quantoque lutum fuerit densius, tantò homo mergitur miserabilius. Ideò talis, qui huic immerfus est sæculo, illud eiusdem Prophetæ gemendo potest dicere: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, &c.*

CAPVT IV.

- *Recenset XV. argumenta deformatorum Clericorum & Religiosorum, quibus seruentur, ne à formâ sæculi recedant. Et primum soluit argumentum, nempe obiectium complexionis debilitatem, ostendens contrarium.*

QVAMVIS autem Religiosorum plurimi (quod cum gemitu moueo) in transgressionum facibus præfatis sint immerfi validè: tamen vt illud Dominicæ pœnæ grauissimum impleant, *Qui in sordibus est, sordescat adhuc: & vt conformes sint sæculo nequam, apponunt iniquitatem super iniquitatem, ne in Dei intrent iustitiam, & addunt excusationes in peccatis, atque sibi & aliis contra reformationes cudunt & texunt*

argu-

argumenta callidissima. Quantum verò memorię occurrunt apud diuersos Clericos sæculares & monasticos, reformationi resistentes, quindecim excusationes in summâ reperi. Quidam enim in se fieri sanctam reformationem refugiunt, & dicunt, propter humanæ naturæ modò fragilitatem; alij propter vitæ repertæ consuetudinem; alij propter Prælatorum, vt dicunt, malam voluntatem; alij propter rei inuisæ nouitatem seu singularitatem; alij dicunt eam differendam vsque ad generalem reformationem; alij propter cauendam Ordinum confusione[m] & multiplicitem; alij propter præcedentium Patrum auctoritatem; alij propter Superiorum, quæ fieri posse videtur, dispensationem; alij propter necessariorum victus & amictus defectionem; alij propter nobilitatis vel status personæ dignitatem; alij propter personarum, quæ in Dei sequeretur officio, paucitatem; alij propter pacis, quæ timetur, turbationem; alij propter inuitorum, ne sequatur, peierationem; alij propter procurandarum rerum religioni necessariarum faciliorem subuentionem; alij propter Reformatorem in modo procedendi inordinationem. Hæ sunt fabulationes, quas narrant iniqui, sed non vt lex Dei; propter quas se huic sæculo conformare non desinunt.

nunt. Hæc sunt xv. iacula malignorum hominum, quibus maior virtutum omnium charitas in suis quindecim operationibus extinguitur, quas de ipsâ tradit 1. Corin. 13. 1. Cor. 13. 4. Apostolus, vbi dicit: *Charitas patiens est, benigna est, & similia.* Hæc sunt etiam scuta peccatorum pessima, quibus Leuiathan serpens tortuosus suum tueri consuevit corpus mysticum. De quo Dominus ad Iob de turbine ait: *Corpus eius quasi scuta fusilia compactum squamis sese prementibus; vni vna coniungitur, & nec spiraculum incedit per eas.* Quod B. Gregorius sic ad nostrum exponit propositum: Durum, sed tamen cum labitur, fragile solet esse vas omne, quod fusile est. Scuta ergo si sunt fusilia, in suscipiendâ sagittarum percussione robusta sunt, sed casu fragilia: ictu quidem ferientium minimè penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissoluunt. Corpus verò Leuiathan istius, id est, omnes iniqui, quia per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba prædicationis audiunt, nulla correctionis iacula se penetrare permittunt: quia in omni peccato, quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Nam cum talium quisque de reatu suæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat, quomodo culpam emen-

1. Cor. 13.
4.

Iob 41.6.

Greg. 33.
Moral.
c. 30.

emendet; sed quid in adiutorio suæ defensionis opponat. Ut autem videatur, quàm sint fragilia superius contra reformationem tacta motiua; soluenda sunt singula.

Ad primum, vbi obiiciunt humanæ fragilitatē naturæ, nō posse scilicet portare regulam & statuta; respondetur primum, quòd Ordinis cuiuslibet approbati modus viuēdi, tam infirmo quàm sano est regulariter humanæ complexionī accommodatior, quàm sit vita sæcularium. Deducit hoc eleganti stilo Helinandus, in epistolâ de reparatione lapsi ad Gualterum apostatam monachum. Helin. ad
Gualter.

Quid, inquit, Ordinem nostrum accusas intolerabilis duritiæ? Profectò non Ordinis, sed accusantis est vitium. Neque enim Ordo ita durus est, vt sit inaccessibleis duritiæ, aut importabilis, aut contra naturam; alioquin nec Ordo esset; sed tu fluidus es. Præterea quid magis secundum naturam, quàm ordinatè viuere? at nulla vita ordinatior, quàm nostra. Ibi enim omnia in numero, & pondere, & mensurâ disponuntur. Ibi cibus, & quies, & somnus ad sufficientiam naturalem indulgentur. Ieiunia verò, & labores, & vigiliæ à nemine vltra vires extorquentur: sed omnia in mensurâ fiunt. Simplici enim victu & vestitu vita sustentatur, natura fouetur, conseruatur sanitas. Denique quid

C natu-

naturalius, quid sanius illo cibi & potus genere, ad cuius apparatus sola natura & cocus & medicus est? Quis pane triticeo & leguminibus benè coctis famem non expellat? Ieiunus stomachus rarè vulgaria contemnit. Anima saturata calcabit fauum: anima verò esuriens, etiam amarum pro dulci habebit. Parabile enim est, ut ait Seneca, quod natura desiderat, ad superuacua sudatur. Taceo quòd ad seruandam sanitatem nihil est efficacius, quàm cibi & potus identitas conseruata. Varia enim fercula, variarum sunt naturarum. Omnis autem talis varietas, parit humorum repugnantiam: & omnis humorum repugnantia, repugnat sanitati. Vnde elegantissimè & prudentissimè respondit quidam de nostris adolescentibus Belluacensi Episcopo, eum interroganti, unde contingeret, quòd sanior & pulchrior esset in claustro, quàm solebat esse in mundo: Quia, inquit, vniformiter viuo & decenter. De quorum primo habeo, quòd sanus sim; de secundo, quòd pulcher sim. In sæculo autem viuebam tam deformiter, quàm multiformiter. De quorù primo, turpitudine nascitur etiã corporalis; de secundo, ægritudo. Perrexitque Episcopus quærere, dicens: Quid ergo comedisti hodie? Satis, inquit. Quid heri? Similiter satis. Non quæro, inquit,

* *al.* Pro-
babile
Sen.ep.4.

Ex Heli-
nan.refert
Vincen.
lib.29.hist.
cap.136.

quit, de quantitate, sed de qualitate. Quid comedisti heri? quid hodie? Heri, inquit, comedi pisa & olera; hodie olera & pisa: cras autem comedam pisa cum oleribus, post cras olera cum pisas. Hæc de Helinando. Huic concordat Macrobius 7. Saturnalium, ubi disputat, an cibus simplex digestibilior sit, quàm multiplex: & respondet quidam Philosophus, quòd sic, multiplici ratione. Videmus enim quòd bestia simplici cibo cibata sunt saniores, quàm multiplici cibo cibata. Item quia simplex citius digeritur, ideò medici infirmis dant simplicia: item sicut multiplex potus plus lædit, sic de cibo multiplici: item qui simplici cibo cibatur, citius perpendit unde infirmetur: item stomachus uniformius laborat, & per consequens fortius in simplicem cibum, quàm in variū. Secundò respondeo ad obiectionem. Aut Religiosus talis est infirmus aut sanus. Si infirmus, obedientiam, castitatem, & voluntariam paupertatem benè potest tenere, ita quòd omnia habeantur communia. De abstinentiâ autem, ieiunio, & aliis carimoniis, per dispensationem faciliter in omni Religione subuenire potest Prælatus. Si verò sanus est, excusatio est in peccatis, ut patet ex humanâ potētâ, ex Dei coassistentiâ, & ex complexionis valore. Nam natura

Macrobius.
lib. 7. Saturn.
cap. 4.

humana non adeò debilitata est, quin multa possit, etiam in abstinentiis, quas tepidi causantur. Amplius manifestum est hoc in magnis & longis abstinentiis, quas sustinent inuiti in carceribus; quas subeunt alij pro tuendâ sanitate; quas faciunt & fecerunt boni viri, & quod amplius est, sexus fragilis; quas tolerant milites in exercitibus, & obsessi in castris, & quas exhibent philocapti circa mulierum obsequia. Si igitur pro diuitiis aut honoribus, pro sanitate corporis, aut fœdis delectationibus, filij sæculi tanta sustinent: cur non corpus exercendum erit in abstinentiis pro æternâ gloriâ obtinendâ, & pœnis euadendis æternis? Probant enim se homines, nunc in proiiciendo lapidem, nunc in cursibus & luctaminibus, nunc in torneamentis & hastilusionibus: sed vix est, qui vires corporis tentare velit, quid valeant. Multæ enim vires latent in humano corpore, quas nullus experitur, nisi acriter tentauerit.

S. Bernar.

Ignosce, inquit B. Bernardus, Domine ignosce, dissimulamus, tergiuersamur, & in his quæ ad te pertinent, vix est qui velit experi, quid possit. Ex Dei etiam assistentiâ præsumendum est multum de viribus corporeis, exemplo Apostoli, dicentis: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Vnde S. Thomas dicit de intransibus Religionem; Potest, inquit,

Philip. 4. 13

S. Thom.

2. 2. q. vlt.

art. vlt.

quit,

quit, considerari Religionis ingressus per
 comparisonem ad vires eius, qui est Reli-
 gionem ingressurus, & sic non est locus du-
 bitationis de ingressu Religionis; quia illi,
 qui Religionem ingrediuntur, non confi-
 dunt in suâ virtute se posse subsistere, sed au-
 xilio diuinæ virtutis, secundum Isaia 40.

Qui sperant in Domino, mutabunt fortitu- Isa. 40. 31.
dinem, assument pennas sicut aquile; cur-
rent, & non laborabunt; ambulabunt, &
non deficient. Ex complexionis valore, idem

elicitur: quia quamvis ad diu viuendum
 modò humana natura non tantùm se ex-
 tendat, sicut ante diluuium; tamen humana
 complexio non adeò lapsa est, quin ad ma-
 gnas abstinentias se possit extendere, si ad-
 sit humanum velle. Tradit hoc S. Thomas.

Quærit enim, an fomes vel concupiscen-
 tia in quibusdam plus, & in quibusdam mi-
 nus inueniatur; & arguit in quarto argu-
 mento ante oppositionem, quòd sic. Sicut
 corruptio, inquit, fomitis ex peccato primi
 parentis procedit: ita & aliæ pœnalitates, vt
 passibilitas, mortalitas, & huiusmodi. Sed
 aliæ pœnalitates semper in homine crescunt,
 quanto humana natura longius à primo pa-
 rente procedit per successionem generatio-
 nis: & communiter dicitur, quòd homines
 sunt nunc breuioris vitæ & minoris virtutis,

S. Tho. 2.
 dist. 32. q. 1
 art. 3.

quàm antiquitus. Respondet ibidem dicen-
 dum, quòd aliæ pœnalitates, vt passibilitas,
 & mortalitas, & huiusmodi, non sunt mo-
 dò magis in homine, quàm antiquitus fue-
 runt à tempore diluuij. Vnde etiam & Da-
 uid de hominibus sui temporis loquitur,
 Psal. 89. 10 *Dies annorum nostrorum in ipsis, septua-*
ginta anni. Sed verum est, quod ante dilu-
 uium homines diutiùs viuebant, virtute di-
 uinâ hoc faciente ad generis humani mul-
 tiplicationem. Hæc ille. Huic concordat
 sagacissimus ille Domini Magni Alberti di-
 scipulus Vlricus de Argentinâ in Summâ, ita
 dicens circa eandem materiam: Nec est,
 inquit, verum, quod quidam dicunt natu-
 ram humanam secundum tempora plus &
 plus deficere: quia licet circa originem mun-
 di virtute diuinâ homines diutiùs confer-
 uati fuerint in vitâ, propter generis humani
 multiplicationem, & propter scientiarum
 & artium, per experientiam, inuentionem;
 tamen hoc cessante ante multa sæcula inue-
 nitur præfinitum tempus humane vitæ; quia
 adhuc manet quod dicitur in Psalmo: *Dies*
annorum nostrorum in ipsis, septuaginta
anni, &c. Hæc ille. Ex quo patet, cum
 S. Thomas prope nostra tempora vixerit,
 & præfatus Vlricus, quòd complexio non
 est adeò lapsa, vt acediosi garrunt: sed fer-
 uor

Vlric. lib. 6.
 tract. 1.
 cap. vlt.

uor ad bonum, qui in potestate hominis est, lapsus est. Et ideò non mirum, si se huic sæculo conformare cupiunt.

CAPVT V.

Soluit quam obiiciunt compertam consuetudinem; ostenditq; quando contra statuta Monastica excuset, & quando non.

AD secundum motiuum, cùm obiiciunt vitæ repertæ consuetudinem, responderetur primùm, quòd consuetudo nulli suffragatur, vbi non est ex rationabili causâ introducta. Vnde Augustinus ad inquisitiones Ianuarij: Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine generalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur; ita vt vix aut numquam omnino inueniri possint causæ, quas in eis constituendis homines secuti sunt; vbi facultas tribuitur, sine aliquâ dubitatione rescanda existimo. De hoc vide infrà v. cap. libro II. Deinde dico, quòd consuetudo transgrediendi votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & aliorum quæ sub præcepto cadunt, numquam legem facere potest, quæ

Aug. epist.
119. to. 2.

peccatum excuset, sed potius quæ noxam augeat. Nec consuetudo, sed corruptela dicenda est: quia talis consuetudo contra legem diuinam est, quæ præcipit; *Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes*, ut dicitur in Psalmo. Imò de iteratis actibus contra constitutionem scriptam humanam, an legem abrogent, quærit Humbertus super Prologo constitutionum sui Ordinis Prædicatorum sic: Vtrum per consuetudinem aliquid possit minui de scriptis statutis, sicut per consuetudinem aliqua sunt addita? Respondet quod non. Si enim consuetudo talis præcessit statutum, non debet amplius feruari: si autem sequitur, aut incipit, aut reiteratur huiusmodi actus contrarius constitutioni. Aut fit hoc sine dispensatione, & sic est corruptela, & non consuetudo; aut fit cum dispensatione, & sic non inducitur consuetudo: quia sicut dicunt Iura, nullus actus inducit consuetudinem, nisi cum fit eo animo, ut inducatur consuetudo. Hæc ille. Ad idem sunt duo famosissimi Canonum Doctores, Ext. De statu monach. Cum ad monasterium, scilicet Hostiensis & Ioannes Andreae in Nouellâ dicentes: Sicut contra votum non valet consuetudo: sic nec contra Religionem: & eadem ratione non est dispensatio, sed dissipatio: quando scilicet

Psal. 75. 11

Humbert.
in Prolog.
constitut.

cet sine ratione aliquid contra regulam & statuta attentatur, dicente Isidoro, quòd lex est illud, quod ratione còstiterit. Huic concordat Ioannes de Neapoli, vbi quærit, an ingrediens monasterium, in quo comedebantur carnes, & aliæ obseruantia non seruabantur, correcto statu monasterij, teneatur ad obseruantiam, quam ibi non inuenit, nec professus est. Respondet quòd sic, quòd obseruare tenetur, non obstante, quòd per abusum ibi Religio lapsa est. Aliàs quid valerent visitationes, correctiones, emendationes, & reformationes, quæ super statu Religiosorum fiunt in Capitulis generalibus, & prouincialibus, vt Extr. De statu monachorum, cap. In singulis regnis. Nec iste ingrediens in aliquo grauatur, si cogitur obseruare promissionem emissam de regulâ obseruandâ: imò per se debet laborare vt deformitas monasterij aliquando ad formam debitam redeat. Notat prætereà Dominus Innocentius eandem quæstionem, Extr. De regularibus, cap. Periculosa. vbi ne moniales diuagentur, præcipiuntur arctissimè recludi: quamquam in regulâ nihil contineatur de hoc, nec professæ sint de inclusione. Quærit prætereà idem Ioannes de Neapoli, Quid si aliqui intrauerunt monasterium, in quo comedebantur carnes, sed postea

Isidor. li. 2.
etym. c. 10.

Ioan. Neapol. part. 1.
qu. 97.

part. 1. q. 30

correctum non dat carnes, & alias maiores austeritates seruat, numquid monachus eas seruare tenetur secundum primariam institutionem? Respondet secundum Innocentium super eodem De regularibus: Si loquaris de iure positiuo, vel de iudicio Ecclesie, credimus quod ingrediens, qui antequam profiteretur, debuit diligenter attendere, quid promitteret, nec se debuit sine deliberatione ad ignota obligare: tamen ex quo professionem fecit, in utroque iudicio, etiam Dei, semper tenebitur illam regulam obseruare, vt 20. qu. 3. constituit, & Extr. De his que vi metusue causae, Cum dilectus. vbi Canonici Insulares coguntur seruare regulam Cisterciensem. Item, aut dicit se bonam intentione intrasse, aut malam. Si bonam, ductu Spiritus sancti, quod & debet, vt Ext. De regularibus, Licet, & 19. qu. 2. Duas: sic vnctio docuit eum de omnibus, vt Extr. De sacra vnctione, cap. vnico. Si malam, non est audiendus. Est & alia ratio, quia praesumitur, quod quando regulam talem elegit, quod plene deliberauit de onere & arctitudine, vel leuitate ipsius regulae: imo quod plus est, quia si tunc plene non deliberauit, postea deliberare non potest, 8. qu. 2. Dilectissimi. Confitemur tamen, si impotens esset ad Ordinem tolerandum, quod posset secum dispen-

dispensari de minore Religione, vt Extr. De regularibus significatum est. Hæc Ioannes. Dicit præterea Nicolaus Papa distinct. 8. Mala autem consuetudo non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est; quæ, nisi citiùs radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impiis assumitur; & incipiunt præua- ricationes & variæ præsumptiones celerri- mè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari. Ne autem velamen malitiæ quidam hîc acci- piant, qui dicunt se non teneri, nisi ad mo- dum viuendi, quem reppererunt tempore suæ professionis (ita enim plurimi grauiter deci- pi videtur, etiam in diuersis Ordinibus ma- iores) notandù (prout dicit S. Thomas 2. 2. S. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 9) quòd ad peccatum mortale Reli- giosum ligat Primò trium principalium vo- torum tentio; paupertatis, castitatis & obe- dientiæ. Secundò alia à præfatis tribus in regulâ contenta ligant ad mortale, scilicet, vt non contemnantur: quia quamuis Reli- giosus non tenetur esse perfectus, tenetur tamen ad perfectionem tendere, cui contra- riatur perfectionis cõtemptus. Contemptus enim regulæ directè contrariatur professio- ni: per quam aliquis vouit regularem vi- tam. Tertiò, ad mortale obligat omne præ- ceptum in regulâ & constitutionibus, pro- fessis

fessis scripto tenus datum. Quartò, eodem modo ligat præceptum à Prælato ore tenus factum. Ratio huius & præcedentis est, quia contra talia facere, est votum transgredi. Quintò dicit Vlricus in Summâ, quòd inobedientia commissa etiam contra simplex mandatum Prælati, non dico præceptum, potest fieri peccatum mortale; scilicet, cum hoc facit ex tali contemptu auctoritatis Prælati, quòd intendit ei non obedire, etiam si præciperet illud quod mandat. Sextò dicit idem ibidem; Statuta aliqua sunt sub præcepto, siue hoc per verba exprimat, siue constet per hoc, quòd tamquã principalia fundamenta Ordinem illum in speciem Religionis contrahentia sint statuta, vt inuiolabiliter obseruentur. Et in illis transgressio ponderanda est, sicut & in præceptis diuinis: quia si sit contra præceptum, est mortale peccatum; si præter præceptum, est veniale peccatũ. Septimò etiam tenetur Religiosus, sub pœnâ peccati mortalis, ad omnia alia, quæ sunt sub præcepto iuris diuini vel humani fideli indicta cuique. Sed quaritur, Quid si aliquis sæcularis vidit monasterium dissolutum, monachos splendide comedere, & similia; cogitatque, Hunc Ordinẽ bene possum sustinere, & ingreditur: numquid postea compellendus est ad asperitatem

Vlric. lib. 6.
tractat. 4.
qu. 15.

tem regulæ obseruandam? Respondetur secundum Raymundum in Summâ, vbi ponit eundem casum indistinctè: Dico quòd non potest redire ad sæculum, sed debet remanere: quia dolus aliorum, vel simplicitas vouentis non excusat in talibus. Item ibi dicit: Indistinctè dico, quòd non potest redire ad sæculû, ex quo fecit ibi professionem. Sed vtrum cogatur ibi manere, distingue: Aut erat iurisperitus, aut ignarus. In primo casu, non potest recedere, quia intelligitur se obligasse non ad id quod fiebat, sed ad id quod fieri debebat. In secundo casu subdistingue: Aut fuit ei explanata asperitas regulæ, & tunc idem quòd in iurisperito; aut non, & tunc si credebat eos regulariter viuere, & ad illam asperitatem se voluit obligare, non ad maiorem, & hoc expressit, non cogetur ibi manere, sed transibit ad alium Ordinem, quem valeat sustinere. Si verò non expressit, credo quòd debeat manere. Nec potest allegare dolû vel deceptionem, quia sic melior fit sua conditio; & potest magis imputari fatuitati suæ, quia non examinavit, vt debuit. Probantur hæc, Ext. De regularibus, Super eo consulti, 20. qu. 3. Constituit, Extr. De his quæ vi metûsve causâ, Cùm dilectus, Extr. De conuers. coniug. c. Ex parte tuâ. Idem per omnia dicit Ho-

Raymun.
lib. 1. tit. 8.
De voto.
§. 2. Item
pone.

ftien-

Hostiens.
lib. 3.

stiensis. Ad idem est V Vilhelmus in Glossa Raymundi, vbi primò: imò Hostiensis lib. 3. rubr. 31. De regularibus. §. 3. Ad quid teneatur, versu, Sed & tenetur, addit dicēs: Quòd Religionem ingressus, si non fecit professionem, & steterit per annum in Religione, tenetur ad professionem faciendam, Ext. De regularibus, Statuimus: quam si præstare noluerit præcisè, cogendus est, si in loco illo, quem intrauit, seruabatur Religio, vt præmissum est. In hoc casu, nec ipse obligauit se expressè ad Religionem seruadā, sed simpliciter intrauit: nihilominus cogendus est, non tamen præcisè, sed vt vel professionem ibidem ab initio institutam faciat, & Religionem seruet, vel locum exeat, & penitus dimittat; in quo nec abusus contra ius, nec numerus defendit annorum. Hęc ille. Nota tamen quod in casu isto Hostiensis vltimò: Talis est professus tacitè secundum noua iura. Ex quibus patet, quòd Prælati, vel auctoritatem eorum habentes, possunt inuitis Religiosis & subditis suis, modis præactis imponere iugū regulæ & constitutionum, secundum quas sunt professi. Patet etiam, quòd latiori iure arctari possunt Religiosi, qui in locis reformatis professi sunt, & postea se ad laxiorem vitam dederunt, in alio loco etiam eiusdem Ordinis.

Ad

Ad idem est S. Thomas in 4. d. 38. & D. Albertus, ibidem dicentes: Quòd votum interpretatiuum obligat, sicut & ore tenus commissum. Vocant autem interpretatiuum votum, cum adultus post tempus probationis in monasterio stetit: & vt Thomas addit, tenentur tales in omni casu ad tria vota Religionis principalia. Et quamuis ibidem addat S. Thomas sic de interpretatiuè professis: Ad alias, obseruantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur (qui dum videtes non corrigunt, indulgere videntur) non videntur obligari, & præcipuè si sint simplices, qui talia discernere sufficienter nesciunt. & Albertus ibidem dicat: Dissimulatio Legatorum & aliorum Prælatorum, videtur concessio vel indulgentia in hac parte. istis tamen non obstantibus, nihil ista suffragantur Religiosis, qui paupertatem voluntariam, in verâ omnium suorum temporalium bonorum resignatione seu communicatione, non seruare dignoscuntur: quia ibi deficit vnum de tribus substantialibus, ad quod quilibet professus tenetur. Nec se præfatis iuuare possunt hi Religiosi, qui astringi solent per suos Superiores in actis suorum Capitulorum, & in correctionibus aliis seu visitationibus, ad alia extra tria substantialia: quia tunc nulla

fit

S. Tho. in
4. d. 38. q. 1.
art. 3. qu. 1.
ad 5.

fit dissimulatio. Nihil autem penitus se tue-
ri possunt per dictas auctoritates hi Religio-
si, qui per visitatores aut reformatores re-
quiruntur, vt regulam & constitutiones
etiam quoad minora seruent: quia tunc nec
Prælatorum dissimulatio nec indulgentia
adest. Item aduertendum quod dicti Docto-
res loquuntur in casu, quo quis non fecit pro-
fessionem ore. Talis enim etsi in facie Ec-
clesiæ post annum stans, fecisse præsumitur
professionem: tamen in foro conscientiæ
minùs obligari videtur, & ad pauciora,
quàm qui solemniter & publicè emisit vo-
tum. Consuetudo ergo, corruptela veriùs,
nullum decipiat, ne ipsa cæcatus se confor-
met secularibus.

CAPVT VI.

*Soluit quando obiiciunt Prælatorum pecca-
ta, & declarat quod propterea reforma-
tioni eorum actiua nullus resistere debet.*

AD tertiam obiectionem, quâ recusant
quidam reformari propter Prælatorum
suorum malam voluntatem, nunc respon-
dendum est. Quidam enim quando præser-
tim Abbates suos aut Prælatos alios vident
speciales domos inhabitare, lætius cum sæ-
cularibus conuersari, lautioribus cibus frui,
&

& similia: qui tamen volunt quòd subditi sui refo-
 rementur, cùm subditos reperiunt cerui-
 cosos & rebelles; talibus Prælatis certè te-
 nentur in reformatione subditi obedire,
 multiplici ratione. Primò, quia rem bonam
 subdito & proficua imponunt, scilicet, be-
 nè viuere: quod nulli obest, sed cuilibet
 prodest. Vnde tali recalcitrare, esset se bono
 morali & meritorio irrationabiliter priuare.

Et licet talis Prælatus malè viuat; tamen a-
 lios cogit benè facere: & secundùm Augu-
 stinum, Felix necessitas, quæ ad meliora

Aug. ep. 45.
 ad Armen-
 tar. & Paul.
 tom. 2.

compellit. Quis enim prudens bonum pa-
 nem ab iracundo pistore non gratis recipe-
 ret, quando in famis necessitate, vel aliàs, in-
 digens esset? Multi prætereà boni sutores
 sunt, qui malos calceos portant, & tamen
 aliis optimos conficiunt: sic multi sunt Epi-
 scopi, Prælati, Curati, & Prædicatores mali,
 qui tamen aliis iubent benè facere. Talibus
 obediendum esse mandat etiam Christus

Matth. 23. vbi dicitur: *Tunc Iesus locutus* Mat. 23. 1.
est ad turbas & discipulos suos, dicēs; Super
cathedram Moysi sederunt Scribæ & Phari-
sæi. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis,
seruate & facite: secundùm verò opera illo-
rum nolite facere. dicunt enim & non fa-
ciunt. Alligant enim onera graua & im-
portabilia, & imponunt in humeros homi-

D

num:

num: digito autem suo nolunt ea mouere.

Hugo li. 2.
De clauitro
anime c. 12

Præterea, sicut dicit Hugo de XII. abusio-
nibus claustralium, tres sunt species negli-
gentium Prælatorum; quidam qui malè vi-
uunt, & subiectos benè viuere cogunt: qui-
dam qui malè viuunt, & subiectos malè
viuere volunt: quidam qui benè viuunt, &
subiectos malè viuere permittunt; isti exem-
plo præcedunt, sed non increpando delin-
quunt: licet enim benè uiuant, necesse ta-
men est, vt de grege sibi commisso, Domi-
no gregis rationem reddant. Illi verò qui
malè viuunt, & subiectos benè viuere cogunt,
errantes reuocant, quantum est in iussu ver-
borum. Qui autem malè viuunt, & subie-
ctos malè viuere volunt, etiam gregem sibi
commissum vnà secum occidunt. Prælati
ergo, qui mali sunt, & tamen subiectos benè
viuere volunt, vnum actum debitum ouibus
impendunt, videlicet, quòd pascant oues
verbo, & fortè temporali subsidio; licet non
pascant exemplo. Hæc quidem ex supposi-
tione dicta sint, cum scilicet constet Præla-
tum esse malum. Sed certè Prælatus qui re-
formare subditos laborat, ex hoc non, nec
ex aliis indifferentibus, quæ ad bonum &
malum possunt interpretari, debet maleuo-
lus, imò potius beneuolus iudicari: alioquin
subditi, temerarij iudicij nefas incurrunt,
dicen-

dicente Domino: *Nolite iudicare, & non* Mat. 7.1.
iudicabimini. Super quo dicit Augustinus: Aug. lib. 2.
 Hoc loco nihil aliud præcipi æstimo, nisi vt ser. Do. in
 ea facta, quæ dubia sunt, quo animo fiant, in mon. to. 4.
 meliorem partem interpretentur. De his
 autem, quæ non possunt bono animo fieri,
 sicut sunt blasphemix, & huiusmodi, nobis
 iudicare permittitur. De factis autem me-
 diis, quæ possunt bono & malo animo fieri,
 temerarium est iudicare, maximè vt con-
 demnemus. Vtitur præterea Prælati, siue
 bonus siue malus sit, iure suo, quando man-
 dat subdito, vt se huic sæculo non confor-
 met, sed iubet seruare ea vota regulæ & con-
 stitutionum, quæ distinxerunt in professio-
 ne labia sua. Insuper etiam apud subditum,
 est voti debitum; quando se promisit obe-
 dientiam seruare Prælato suo secundum re-
 gulam & statuta.

CAPVT VII.

*Quando obiiciunt reformationem esse noui-
 tatem & singularitatem; ostendit, quæ
 sit bona nouitas & singularitas, quæ sit
 mala.*

AD quartam obiectionem, vbi dicunt
 reformationem esse rei nouitatem &
 singularitatem: in hoc impij suam cæcita-

tem manifestant & ignorantiam. Nouitas enim non semper in malo, sed sæpè in Sacra paginâ in bono accipitur: imò nullus reformari potest absque inductione nouæ formæ; vnde toto nisu cordis studere debent Religiosi, quatenus innouentur spiritu. *Seruiamus*, inquit Apostolus, *in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* Assumere itaque quinque nouitates sacra docet Scriptura. Primò, nouitatem cordium in pœnitendo de vitâ præteritâ, quam nouitatem Deus promittit Ezech. 36. *Dabo vobis cor nouum.* Secundò, nouitatem oris, quâ verbum vitæ prædicemus & cantemus, quam Christus promittit Mar. vlt. *Linguis loquentur nouis.* & in Psal. *Cantate Domino canticum nouum.* Tertiò, nouitatem conuersationis, de quâ 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* Quartò, nouitatem bonæ famæ, & nominis, de quâ Isa. 62. 2. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Quintò, nouitatem vitæ, de quâ ad Heb. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam nouam.* Sciant tamen reformationis æmuli, quòd nouitas, cum à sanctis vituperatur Doctoribus, importat aliquid, quod nec à sacris approbatum est Scripturis, nec ab Ecclesiæ sanctæ

sanctæ vsibus. Certum autem est, quòd re-
formare mores secundum regulam & sta-
tuta per Ecclesiam approbata diutinè, nihil
mali, sed maiorem viuendi perfectionem
importare dinoscitur. Non ergo nouum est,
quod à ducentenis annis ab his traditum est
& practicum Patribus, quos tota vbique
in vitâ & doctrinâ colit vniuersalis Ecclesia.
De singularitate pari modo se pandunt esse
aut maleuolos aut ignorantissimos. Singu-
laritas enim, prout importat vitium (quem-
admodum S. Thomas habet à B. Bernardo) quidam est gradus superbiæ: quia quintus
humilitatis gradus est, tenerè quod commu-
nis regula monasterij habet; cui opponitur
singularitas, per quam scilicet sanctior vult
apparere aliis. Hæc ibi.

S. Th. 2. 2.
q. 162. ar. 4.
ad 4.
Bern. de 12.
gradib. hu-
mil. & su-
perb. gra. 5.
tom. 1.

Videat hîc mentis compos, quòd apud
Religiosos singularis est & dicitur, primò,
qui non vult tenere, quod communis tenet
regula monasterij. non dicitur, quod com-
munis tenet vita monasterij, quia in mona-
sterio sæpè multitudo monachorum non se-
quitur, quam professâ est regulam, sed po-
tius vitam imitatur mundanam, & huic sæ-
culo se conformare nititur totis viribus. Ad
singularitatem etiam exigitur, vt quis san-
ctior velit apparere, quàm existat. Hoc certè
vitium hypocrisis importat & superbiæ, aut

inanis gloriæ, nedum in Religioso & monacho, sed etiam in quolibet Christianam fidem professo. Et vt singularitas, quæ sonat vitium, quid sit pateat clariùs, aduerte dicenda infra in fine obiectionis x. & iterum

Bern. ibid,

verba B. Bernardi in libro De gradibus superbiæ, de cuius quinto gradu sic loquitur: Quintus sequitur gradus singularitatis; turpe est enim ei, qui se supra ceteros iactat, si non plus ceteris agat, per quod ultra ceteros appareat: nec tamen melior esse studet, sed videri: non meliùs viuere, sed videri viuere gestit, quatenus dicere possit; *Non sum sicut ceteri hominum.* Plus sibi blanditur de vno ieiunio, quod ceteris prandentibus facit, quàm si cum ceteris septem dies ieiunauerit. Commodior sibi videtur vna oratiuncula peculiaris, quàm tota psalmodia vnus noctis. Inter prandendum crebrò solet oculos iactare per mensas, vt si quem minùs comedere viderit, victum se doleat; & incipit idipsum sibi crudeliter subtrahere, quod necessarium victui prouiderat indulgendum: plus metuens gloriæ detrimentum, quàm famis cruciatum. Ad omnia denique sua strenuus, ad communia verò piger. Vigilat in lecto, dormit in choro; cumque aliis psallentibus ad vigilias totâ nocte dormitet, post vigilias, alijs in claustro quiescentibus, solus

in oratorio remanet. Cùm autem ex his, quæ singulariter sed inaniter agit, apud simpliciores eius opinio excreuerit, dum miserum beatificant, ipsum in errorem inducunt. Credit namque quod audit, & quid intendat, non attendit. Obluiscitur intentionem, dum amplectitur opinionem. Quique de omni aliâ re plus credit sibi, quàm aliis; de se solo, plus aliis, quàm sibi: & quidquid de se laudatum agnouerit, non ignorantia, aut beneuolentia laudatoris, sed suis meritis arroganter ascribit. Hæc ille. Ecce, quis singularis sit monachus, pertinētissimè describitur. Seruare autem regulam & statuta à sanctis confirmata Patribus, ab Ecclesiâ uniuersali approbata, & practicata à uiris qui olim prudentiâ pollebant & virtutibus; hoc non est singularitatis incurrere vitium, sed sub voto, Deo reddere promissum. Nec de singularitatis vitio debet notari, qui supra alios opera supererogationis in victu vel amictu exercet, nisi faceret illud propter iactantiam vel superbiam, ut se ceteris præferat: quia sic esset vitium superstitionis, ut dicit S. Thomas: Si autem hæc facit, inquit, propter macerationem carnis, vel ad humiliationem spiritus, ad virtutem temperantia pertinet. Vnde Augustinus dicit de doctrinâ Christianâ: Quisquis restrictius rebus

S. Tho. 2. 2.
q. 169. ar. 1
ad 2.

Aug. lib. 3.
De doctr.
Christ. c. 12
tom. 3.

S. Bonau.
De perfect.
Euang. c. 12
B Greg.
1. Dial. c. 1.

prætereuntibus utitur, quàm sese habeant mores eorum cum quibus viuit, aut temperans, aut superstitiosus est. Et ita per omnia dicit S. Bonaventura libro De perfectione Euangelij cap. 12. In cuius rei euidentiam (vt 1. Dialogorum refert B. Gregorius) cum inter sæculares in Alpibus conuiuans S. Honoratus nollet carnes comedere, purus existens sæcularis, & de singularitate à sodalibus corrigeretur; exiuit mancipium volens aquam haurire per situlam, quam, in montibus, vbi consueuerunt homines audire de piscibus non eos videri, intrauit piscis miraculosè, qui ad sancti viri plura posset valere prandia. Per quod certè Dominus approbavit singularitatè supererogationis & temperantiæ; non singularitatem superstitionis & superbiæ. Ex quibus apertè iam conuincitur, nullum reformationi beneuolum, ceteri debere singularem, aut inuentorem nouitatum: quia se sæculo conformare volentes Religiosi tepidi, & Patrum sancita contemnentis vetera, potiùs singulares sunt vocandi. Possent autem iustiùs causari fratres reformati contra sibi aduersantes fratres opulentos, & notare de singularitatis vitio, charitati inimicissimo, quo propria sua communibus anteponunt monasterij rebus. De quâ singularitate habes infra cap. 12.

Aduer-

Aduertant prætereà antiquorum statuta non innouare cupientes, illud Cassiani De institutis monachorum, dicentis sic: Generali omnium constitutioni, paucorum non debet præponi nec præiudicare sententia. Illis enim debemus institutis ac regulis indubitam fidem, & indiscussam obedientiam per omnia commodare; non quas paucorum voluntas intulit, sed secundum quas vetustas tantorum temporum & innumerositas sanctorum Patrum concordi definitione in posteros propagauit.

Cassian.
lib. I. De
instit. monach.
c. 3.

CAPVT VIII.

Quando obiiciunt esse expectandum cum reformatione vsque ad generalem reformationem Ecclesiæ, ostendit, quòd hoc sit callidè reformationem fugere.

AD quintam, quando arguunt reformationem esse vsque ad generalem Ecclesiæ reformationem differendam: Cur, inquit tales, à nobis potius, quàm ab aliis reformationis rigor incipitur? numquid non eiusdem sumus professionis, cuius & alij? Respondetur, quòd tunc solum velle reformari, quando alij omnes reformantur, est numquam velle reformari, nisi in valle Iosaphat tempore extremi iudicij: quia tunc

D 5

omnes

1. Cor. 15. 51. *omnes quidem resurgemus, sed, vt ait Apostolus, non omnes immutabimur.* Interim enim, quòd mundus stabit, iuxta verbum Domini, *multi erunt vocati, pauci verò electi.* Eritque semper Ecclesia iuxta parabolam Euangelicam, *velut sagma missa in mare, ex omni genere piscium, id est, bonorum & malorum, congregata: quæ cum impleta fuerit, quod erit in die iudicij, ad litus ducta, ex eâ eligentur boni in vasa patriæ cælestis, mali verò foras mittentur.* Exhibunt enim tunc *Angeli primùm, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis ardentis.* Tunc, inquit ibidem Christus, *mittet Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Interim itaque in agro Ecclesiæ simul crescit zizania & triticum. Zizania autem peruersorum Religiosorum, vbi per Superiores eradicari possunt, sine eradicatione tritici, scilicet bonorum virorum, per Superiores fieri debet. Quibus, sicut olim Prophetæ, ratione pastoralis officij, dicitur à Deo illud Ieremiæ: *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & edifices & plantes.* Iterùm status cuius-

cuiuslibet Religionis lapsus, est velut ager, qui olim optimo virtutum semine fuit cultus, & hodie vrticis, & vepribus, ac spinis vitiorum multis est occupatus. Superiores igitur & domini agri istius Religionis, aut semper finent mala succrescere, aut emendabunt agrum istum. Si semper finant, sic grauiter peccabunt, dicente Scripturâ: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineas stulti vi-* PROV. 24.
30.
ri: & ecce totum repleuerant vrtice, operuerant superficiem eius spina, & maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidiissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Usquequò piger dormies? (scilicet eradicare) quando consurges è somno tuo? Si autè aliquando reformatus est Religionis ager, cur non modò, ne posteriora fiant deteriora prioribus? Nisi fortè quis desperatus, vitia licenter crescere permittat. Quod nequaquam faciendum, docet exemplum in vitis Patrum, vbi iuuenis desperatus de quodam agro zizaniis pleno, se dormitum iuxta agrum posuit: sed pater veniens, & causam desperationis emundandæ percipiens, iuueni ait; Fili, vade & quotidie tantum emunda latitudinis, quantæ corpusculum tuum protenditur; sicq; ante paucorum mensium tempus, totum agrum mundabis. Præterea, aut vbiq; simul potest in Ordine vel in Ec-

PROV. 6. 9.

In vitis Patrum.

clesiâ

clesiâ fieri reformatio, aut non. Non primum; quia, vt patuit suprà, numquam vbi que simul fiet reformatio, & infrà impossibilitas planius docebitur libro 2. cap. 14. Si non, & alicubi inchoanda est reformatio, cur non ibi potius incipietur, vbi Superioribus, quibus est dispensatio credita, incipiendum esse videtur? In hoc, cum sit opus & auctoritas Prælatorum, non subditorum malis voluntatibus, sed Prælatis obediendum est, seu visitatoribus, aut reformatoribus; nec à subditis tunc Prælati sunt iudicandi. Sunt enim à Deo missi, quibus Christus dicit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit.* Postremò dicere, Nolo reformari, nisi alij omnes reformentur; est in effectu idem, ac si dicat, Nolo perfici, siue in bono virtutum augeri, aut in regnum cælorum intrare, nisi alij idem faciant. Ergo si alij hoc nolunt, tu vis esse miser cum aliis, iuxta illud vulgatum: Solatium est miseris socios habere peccatarum. Hoc autem extreme dementiæ esse videtur, & in Religioso valde graue peccatum. Quia hoc est se velle conformare nimis sæculo, & est nolle tendere ad perfectionem: ad quam tamen attentionem, omnes tenentur Religiosi, prout ex solutione secundi argumenti patuit.

Luc. 10. 16.

CAPVT IX.

Soluit quando obiiciunt reformare esse Ordinem diuidere, & notam personarum in eo ponere; declaratq; contrarium, scilicet, hoc esse Ordinem unire & adificare.

AD sextam, vbi quidam reformationem abnuunt propter cauendam confusionem, & diuisionem Ordinum; virtualiter duo tales timent sequi ex reformatione: Vnum quòd non reformati apud seculares confundantur, tamquam dispares & difformes à reformatis. Nos, inquit, non reformati, in comparatione reformatorum vilipendimur, calumniatur, & velut ethnici reputamur & publicani. Quà ex consideratione reformationem odientes, & seculo conformari cupientes, dicunt nonnumquam ad reformatorem & ad similes illud Sap. 2. *Opprimamus pauperem iustum. Sit fortitudo nostra lex iniustitie. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropere nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplina nostra. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Ita certè opere loquuntur hodie irreligiosi, etsi non verbo tenus. Respondetur,

Sap. 2. 10.

tur, quòd hi religiosi, quibus intentatur re-
formatio, aut habent & seruant ea, quæ de
necessitate salutis sunt seruanda in suo Ordi-
ne, & tunc à nullis debent haberi pro publi-
canis & ethnicis. Possunt tamen, & arctari
debent, ad obseruandum ea quæ sunt pro-
fessi, & sine quibus tria substantialia diu non
queunt subsistere, prout in responsione se-
cũdæ obiectionis dictum est. Nec à prudenti-
bus (quorum iudicium solùm ponderan-
dum est) habentur pro talibus: & si impru-
dentes aliter iudicant de eis, non mirũ; quia,
teste Scripturâ, *stultorum infinitus est nu-
merus*. Optimi etiam viri plerumque à ma-
lis apud maleuolos iudicantur sinistre. Sciunt
prætereà boni viri, quòd in quolibet statu, ac
Religione & Ordine quolibet, non omnes
sunt perfecti: sed in eis, sicut inter sæculares
sunt gradus; ita vt quidam sint boni, alij me-
liores, & quidam optimi. Non ergo sequi-
tur: Isti reformati sunt meliores; ergo vos,
qui adeò strictè non viuitis, & tamen ad sa-
lutem necessaria seruatis, estis mali. Nec ob-
stat verbum Bedæ super isto Matthæi 6.
*Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manduca-
bimus?* dicentis sic: Videntur argui hi, qui
spreto victu vel vestitu, lautiora sibi vel au-
steriora, præ his cum quibus viuunt, alimen-
ta quærunt vel indumenta. Nam ad hanc
aucto-

Beda in
Mat. c. 6.
lib. 1. tom. 5

auctoritatem Venerabilis Bedę, S. Bonauen-
 tura lib. De perfectione Euangelicę pauper-
 tatis ita respondet: Verũ dicit; qui enim viam
 communem spernit, malè facit: qui verò
 eam non spernit, tamen se amore vitę æter-
 nę districtius affligit, memor vocationis suę,
 melius facit. Et ideò B. Franciscus filios
 & discipulos suos ad hanc singularitatem
 inuitavit, informãdo ad ieiunium post Epi-
 phaniam, dicens: Qui eam, scilicet quadra-
 genam dierum, ieiunare voluerint, sint be-
 nedicti à Domino; & qui nolunt, non sunt
 astricti. Districtiora enim ieiunia perfectio-
 ribus sunt æmulanda. Hęc Bonauentura.
 Et certè verendum, ne in talibus contra
 reformationem murmurantibus, lateat in
 corde vermis inuidiæ, vel peccatum hy-
 pocrisis, aut superbię, quo vult videri bo-
 nus vel melior, qui non est: imò & displi-
 cet sibi profectus fraternę gratiæ. Hęc non
 ex gratiã procedunt & charitate, sed ex vi-
 tio, quia 1. Cor. 13. dicitur: *Charitas non est*
ambitiosa, non querit quę sua sunt, non ir-
ritatur, non cogitat malum, non gaudet su-
per iniquitate, congauget autem veritati.
 Si autem Religiosi in monasteriis non re-
 formati, non seruant ea quę de salutis ne-
 cessitate sunt seruanda, non mirum si à cun-
 ctis æstimantur miseri. Ipsi enim si nomini
 Reli-

S. Bonau.
 De perfect.
 Euan. pau-
 pert. c. 12.

B. Francif.
 in reg. c. 3.

1. Cor. 13. 5

Religionis satisfacerent, meritò laudari deberent, iuxta illud Psalmistæ: *Secundum nomen tuum, ita & laus tua.* Postremò, ipsi Religiosi, si in Ecclesiâ sunt velut sal positi, quibus bono exemplo mores aliorum condiendi forent (sed si sal infatuatum fuerit, dicit Christus, *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*) imputent ergo sibi, si iudicantur, sicut & sunt. In obiectione præterea prædictâ, aliud obiiciunt, videlicet quòd per reformationem quorundam & non aliorum Conuentuum Ordo diuiditur, & duo videntur Ordines. Melius fortassè arguerent, quòd apud reformatos vnus resuscitatur Ordo, & apud deformatos nullus manet Ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Sed esto. Constat ex XII. Metaphysicæ, quòd quilibet Ordo, & Religio qualibet, ac multitudo benè disposita, necessariò exigit, vt tendant ad finem aliquem certum sui Ordinis, & vt inter se leges certas seruent supposita talis multitudinis: sic enim si benè viuunt, aliàs non ibi esset Ordo, nec vnio, sed diuisio & confusio, vt dicit B. Dionysius De diuinis nominibus cap. 4. Exempli gratia, de exercitu benè ordinato. Qualis autem finis specialis sit cuiuslibet Religionis, & quomodo eius supposita se habere debent ad inuicem,

Psal. 47. 11

Mat. 5. 13.

XII. Meta-
phys. text.
52.Dionys. De
diuin. nom.
cap. 4.

cem, docetur in regulâ & statutis eorum. Cùm igitur reformatio ad hanc vnitatem principaliter tendat, dicere quòd reformare est Ordinem diuidere, infania plenum est & amentia; imò reformatè viuere, est viuere; & ordinare se in Dei exercitu, ducem sequendo sui Fundatoris, est victoriam contra hostes obtinere. Sic enim de deuotissimâ Religione primitiuae Ecclesiae dicitur: *Erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.* Act. 5. 24. Et ita hodie fit, vt docet experientia, tam apud Religiosos, quàm apud Sanctimoniales benè reformatas; quidquid dicant conformatores saeculi, & reformatorum æmuli.

CAPVT X.

Cùm se iactant viuere, vt patres eorum, distinguunt de malis & de bonis patribus; & admonet ne temerariè iudicet quis de locis deformatis.

AD septimum motiuum, in quo auctoritatem præcedentium Patrum in suo Ordine allegant, qui taliter vixerunt, vt viuunt ipsi; respondetur eis, quòd aut lo-

E quun-

quuntur de primis sui Ordinis Patribus, aut de modernis transgressoribus. Si de primis, quod non credo, quia aliàs loquentes vt Iudæi perfidi, eisdem datum mererentur responsum à Christo recipere. Nam Iudæi Christo primo reformatori resistentes, dixerunt: *Pater noster Abraham est.* quibus respondit Christus: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* vbi Glossa: Factis probate, non verbis. Et S. Thomas in Postillâ super eodem dicit: Signum hoc ponit Christus debitæ filiationis; signum quippe debitæ filiationis est, quòd aliquis assimiletur ei, cuius est filius. Sicut enim filij carnales, vt plurimum solum secùdum carnem assimilantur patribus: ita & filij spirituales, si sunt verè filij, debent spirituales parentes imitari, secundum illud ad Ephes. 5. *Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi.* Deformati autem Religiosi opera patrum suorum primitiuorum non faciunt, ergo non sunt filij eorum, nec gloriari possunt de patribus suis. Vnde Christus tales filios alloquitur tamquam illegitimos, sicut Iudæis dixit peccatoribus: *Ne cæperitis dicere; Patrem habemus Abraham: sed facite fructus dignos penitentia, quia iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Ioan. 8. 39.

S. Tho. in
8 c. Ioan.
lect. 5. io. 14

Ephes. 5. 1.

Luc. 3. 8.

tetur. Si prætereà reformationis inimici ite-
 ratò cum Iudæis replicauerint, dicendo:
Nos ex fornicatione non sumus nati: unum Ioan. 8. 41.
patrè habemus Deum: audiant tales Christi
 quod sequitur responsum: *Si Deus pater ve-*
ster esset, diligeretis utique me. Ego enim ex
Deo processi, & veni; neque enim à meipso
veni, sed ille me misit. Quare loquelã meam
non cognoscitis? Quia non potestis audire
sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis,
& desideria patris vestri vultis facere. Ille
homicida erat ab initio, & in veritate non
stetit. Nouit Altissimus, norunt etiam refor-
 mationem practicantes, quàm veraciter di-
 cta Christi verba locum habeant in inuitis
 & Religiosis rebellibus. Porrò si tales pro
 auctoritate allegant Patres moderni tem-
 poris, qui essentialia transgressi sunt, & præ-
 cepta sui Ordinis, hoc primum responsum
 habeant, quòd mortuorũ (de quorum vitiis
 apertè non constat) iudicium cordium cog-
 nitori committendum est, non temerè à vi-
 uis definiendum, quo animo plura regulæ
 & constitutionum non obseruauerint. Piè
 enim credi potest, multos animum habuisse
 ea seruandi; si hi, cum quibus degerant, Præ-
 lati, ea omnino seruanda mandauissent, &
 multitudo fratrum (sine quã plures cærimo-
 niæ seruari nequeunt) talia practicassent;

nullique dubium, quin semper aliqui in quibusdam monasteriis seruauerint tria essentialia, modis eis possibilibus, & alias duras Ordinis plures carimonias, quemadmodum hodie in utroque sexu, in multis reperitur locis quam plurimum deformatis. Imò præsentem, omnes in non reformatis existentes monasteriis iudicare transgressores suæ regulæ, superbiâ non caret, aut ei est proximum. Hac tentatione agitabatur ille olim Religiosorum typus perfectissimus Elias, qui Domino quærenti quid in solitudine ageret, ilicò respondit dolendo super deformatibus populi Israëlitici: *Zelo*, inquit, *zelatus sum pro Domino exercituum: quia reliquerunt pactum tuum filij Israëli. Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus, &c.* Cui Dominus: *Reliqui mihi in Israëli septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata Baal.* Vbi Glossa, & est Rabani, Tanto, inquit, Prophetæ difficile fuit agnoscere in hoc mundo famulos remansisse Deo; sed qui humilis occulta Dei nouerat, elatus etiam aperta nesciebat. Vnde certum est, quòd humilitatis radio se illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat: quia dum ea quæ ipse fecerat, facta foris & ab aliis conspicit, eum, qui de singularitate intus

erum-

3. Reg. 19.
14.

Rabanus.

erumpere nititur, superbix tumorem premit. Hinc est, quod voce Dei ad Eliam solum se æstimantem dicitur: *Reliqui mihi septem millia virorum.* vt dum non solum se remãssisse cognosceret, elationis gloriam, quæ ei de singularitate surgebat, declinaret. Sic etiam eandem auctoritatem Apostolus ad Rom. II. allegat contra quosdam in hæc verba: *Numquid repulit Deus populum suũ?* Rom. II. I. *Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abrahæ, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. An nescitis in Eliã quid dicit Scriptura? Et sequitur: Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore, reliquix secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt.* Si autem pro se allegauerint patres, suæ regulæ & statutorum transgressores, & inobedientes suis Superioribus in licitis; responsum accipiant tales, Philosophi dicentis: Quod multiplicare inconuenientia, non est soluere argumenta, & vno dato inconuenienti, multa sequuntur; errorque paruus in principio, maximus in fine erit. Lugeant potius taliū filij pro patribus, dicentes cum Ieremiã illud Thren. 5. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* & cum Psalmistã: *Peccauimus* Psal. 105, 6

cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Nec mirum si patres eorum comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Veniant iam in reformatione potius vaticinia Prophetæ, quibus

Ier. 31. 29. *dicit Ieremias 31. In diebus illis non dicent ultra; Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed vnusquisque in peccato suo morietur; quia omnis homo qui comederit vnam acerbam, obstupescunt dentes eius. Super quo Glossa, & est*

Greg. li. 11. *B. Gregorij: Quid est vna acerba nisi peccatum? Vna quippe acerba, est fructus ante*
Mor. c. 18. *tempus. Quisquis enim presentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur vnam acerbam comedit, dentes eius obstupescunt: quia qui presentis mundi delitiis pascitur, in tantum sensus eius ligantur, ut iam spiritualia manducare, id est, intelligere nequeant; quia vnde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt: & dum peccato anima pascitur, panem iustitiæ edere non valet, quia ligati dentes ex peccati consuetudine, iustum quod intus sapiat, non possunt edere. Nec mirum, quia tali nihil plus libet agere, quam se maligno conformare sæculo.*

CAPVT XI.

Cum obiiciant dispensationem eis factam; docet ubi, quando, & in quibus, & qualiter possit fieri dispensatio, & quando non. Et mouentur tria dubia de proprietariis monachis.

AD octauum, cum à reformatione se excusare gestiūt propter Prælatorum, quæ fieri posse videtur, dispensationem in regulâ, & Patrum constitutionibus; pro responsione, ne homines decipiantur, qui sunt nimis latæ conscientiæ, videndum est quid sit dispensatio, quòd duplex sit, & quo modo fieri possit benè, vel malè. *Dispensatio* (vt Hostiensis ex Canonibus elicit) *est* Hostiens.
rigoris iuris per eum, ad quem spectat, misericors canonicè facta relaxatio. Et S. Thom.
 S. Thom.
 1.2. q. 97.
 art. 4.
 Et S. Thomas dicit, quòd rectores multitudinis in legibus humanis possunt dispensare. Dispensatio, inquit, propriè importat commensurationem alicuius communis ad singula. Vnde & gubernator familię dispensator dicitur, in quantū vnicuique de familiâ cum pondere & mensurâ distribuit, & operationes, & necessaria vitæ. Sic igitur & in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare: quia ordinat qualiter aliquod

commune præceptum fit à singulis adimplendum. Contingit autē quandoque, quòd aliquod præceptum, quòd est ad commodum multitudini, vt in pluribus, nō est conueniens huic personæ, vel in hoc casu: quia per id impeditur aliquid melius, vel induceretur aliquod malum. Periculosum autem esset, si hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi forte euidēs & subitum periculum. Et ideò ille, qui habet regere multitudinē, habet potestatem dispensandi in lege humanā, & suæ auctoritati innititur, vt scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, vt præceptum legis non seruetur. Si autem absque ratione pro solâ voluntate tribuat licentiam, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, si nō habeat intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignorat. Propter quod

Luc. 12. 43 dicitur Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Quando ergo cum aliquo dispensatur, vt legem communem non seruet, non debet fieri in præiudicium boni communis, sed eâ intentione, vt ad bonum commune proficiat. Et in 2. 2. qu. 88. art. 10. dicit, quòd dispensatio voti intelligenda est ad modum dispensationis, quæ

Luc. 12. 43

S. Th. ibid.
ad 1.

S. Tho. 2. 2.
q. 88. art. 10

quæ fit in obseruantia alicuius legis. Ille autem qui vouit, quodammodò sibi statuit legem, obligans se ad aliquid, quod est secundum se vt plurimum bonum. Potest tamen contingere, quòd in aliquo casu fit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impedimentum, quod est contra rationem eius quod cadit sub voto. & ideò necesse est, quòd determinetur in tali casu votum non esse seruandum. Et si quidem absolutè determinaretur, non seruandũ esse aliquod votum, dicitur dispensatio voti. Si autem pro hoc, quod obseruandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Vnde minus est commutare votum, quàm in voto dispensare. vtrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit. Et art. 12. dicit: Prælatus in Ecclesiâ gerit vicem Dei, & ideò in cõmutatione vel dispensatione voti requiritur Prælati auctoritas, quæ in personâ Dei determinat, quid sit Deo acceptum, secundum illud 2. Cor. 2. *Nam & ego quod donauit, si quid donauit, propter vos in personâ Christi.* Et signâter dicit: *Propter vos:* quia omnis dispensatio petita à Prælato, debet fieri ad honorem Christi, in cuius personâ dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi. Hæc Thomas. Ex dictis sequuntur multa. Primò, cum regula

& constitutiones, secundum quas Religiosi vouent obedire Prælato, vel regulæ, vel statutis, sint plenæ legibus in professione firmatis; non potest in eis dispensare Prælatus cum subdito, nisi secundum aliquos Canones, id est, regulas, quia in definitione dicitur, *Canonicè facta relaxatio*. Secundò, sequitur, quòd quando per obseruantiam alicuius statuti, subditus ipse impediretur in aliquo meliori, vel etiam induceretur ad aliquod malum, tunc cum eo potest dispensare Prælatus. Tertio sequitur, quòd quando votum alicuius statuti est simpliciter malum vel inutile, vel maioris boni impeditiuum in ipso vouente, aut est dispensandum, aut sibi commutandum. Quarto sequitur, quòd omnis dispensatio petita à Prælato, debet fieri ad honorem Christi, vel ad Ecclesiæ utilitatem, ac in bonum commune. Quintò sequitur, quòd dispensatio non consistit in solâ voluntate dispensantis, sed oportet vt causarum præmissarum vnâ habeat; aliàs aut est imprudens, aut infidelis, & peccat. Sextò sequitur, quòd dispensatio, quæ hodie passim in multis Religionibus fieri videtur, & dissimulationes in continuâ non tentione silëtij in interdictis locis & temporibus, in fractione cõtinui ieiunij regularis, in perpeti comestione carniû, vbi prohibetur;

in

in lineis vestimentis, & culcitrīs penneis, seu lectorum vsu frequenti, in fugā à choro & cantu diuini officij, in vsu tonsuræ, & habitibus prohibitis, in negligentia studij litterarum; imò potissime in appropriatione pecuniæ, & similibus, quæ in regulâ & statutis sunt prohibita; non sunt dispensationes, sed dissipationes. In quibus nec Prælatus sine causis supradictis potest dispensare: nec subditus debet dispensationem recipere. Apud multos igitur veritatem obtinet ista vulgaris definitio, Dispensare, est cum licentiâ ad infernum intrare. Vide de hac materiâ supra cap. 2. in dubio tertio. Affirmans dictam auctoritatem B. Bernardus lib. 3. ad Eugenium, De consideratione, dicit: *Quid inquis? Prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, vt ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est; vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est. Vtilitas, dico, communis, non propria: nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Hæc ille. Sed quæ, quæso, necessitas, aut communis vtilitas sequitur ex supradictis dispensationibus? Sequitur plane diminutio

Bernar. ad
Eugen. l. 3.
circ. fin. De
confid.

1. Cor. 4. 2.

tio

tio rerum temporalium, linguæ loquacitas, sollicitudo temporalium, lis & rixa, plurimū inobedientiæ, & castitatis periculum, ac Patrum primitiuorum frustratur sancta intentio. Hæc luce sunt clariora videntibus: cæcis verò nihil est lucidum. Hinc idem Bernardus lib. De præcepto & dispensatione dicit, vbi ex intentione de dispensatione Prælatorum in Religione tractat: Cùm, inquit, profitentibus præcepta, præuaricantibus in crimina fiant, &c. ita sanè hæc necessaria dixerim, vt ex eis minimè præiudicetur necessariis rationabilibusque dispensationibus. Sed non omnibus in huiusmodi credita est dispensatio, nisi his dumtaxat, qui cum Apostolis dicere possunt: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Nouit autem fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum usurpare dispensationē, vnde bonam possit habere recompensationē. Propter hoc quaeritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Et eadem fortasse fidelitas à subditis exigitur in obtemperando, quæ à Præpositis in dispensando. Et quia quidam Prælati nimis præsumunt se posse dominari regulæ, audi quid idem in eodem libro dicat: Neque enim Abbas supra regulam est, cui semel

Bern. lib.
De præ ep.
& dispens.
prop ptinc.

1. Cor. 4. 1.

mel & ipse spontaneâ se professione submisit. Et idem : Super fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & vitiorum vltor. Verùm quia aliquis deuotus subditus dubitaret, vtrum teneretur contra regulam obedire Prælato, vel in his quæ sunt extra regulam, subdit proinde : Si professio secundum illam regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tentauerit, quod scilicet non sit licitum secundum regulam, &c. quænam mihi, quæso, in hac re necessitas imminet obsequèdi? Solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi, &c. Oportet ergo eum, qui præest, non fræna laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex regulâ sibi scire mensuram, & sic imperia sua moderari. Nil me Prælati prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi. Vota mea non augeat sine meâ volûtate, nec minuât sine certâ necessitate. Necessitas quippe non habet legem, & ob hoc excusat dispensationem: alioquin & absque necessitate, voti remissio, non dispensatio, sed præuaricatio est; & restrictio contra voluntatem, murmur est, non prouentus. Hæc Bernardus. Dicit etiam Humbertus in expositione regulæ B. Augustini: Quòd si Prælati dispenset sine causâ necessi-

Humbert.
in expos.
reg. B. Au-
gust. c. 18.

necessitatis, vel utilitatis, cum aliquo fratre circa usum alicuius rei incertum, & subditus habet animum resignandi, cum fuerit requisitus, uterque adhuc peccat; Prælati in abusu potestatis sibi à Deo traditæ in ædificationem, & subditus peccato avaritiæ, cum teneat aliquid sine rationabili causâ, utpote librû, vel aliquid huiusmodi, de quo alius proficeret, tamquam pecuniam in sudario, quam dare in lucrum commune debuit. Hæc ille. Quid igitur de habentibus vestes, pecunias, libros, lectisternia, & huiusmodi sine necessitate aut utilitate communitatis, imò potius cum detrimento eius? Certè status periculosus est ille valde. Concordat dictis Hostiensis, & Ioannes Andreæ in Nouellâ super cap. Cum ad monasteriû, Ext. De statu monachorum, dicentes: Sicut contra votum non valet consuetudo; sic nec contra Religionem: & eâdem ratione, sine ratione non est dispensatio, sed dissipatio: quia, secundum Isidorum, lex est, quod ratione constiterit. Ad idem est Bernardus, ut prius de præcepto & dispensatione. De hac etiam materiâ format Ioannes de Neapoli tria dubia. Primò dubitatur, an Religiosus habens clenodia, vestes superfluas, libros sibi inutiles, quibus nec utitur, nec uti potest, iudicari possit habere propriû. Respondet

Hostiens.
& Ioann.
Andreæ.

Isidor. li. 2.
Origin.
cap. 10.

An habens
clenodia,
&c. sit pro-
prietarius?

det idem; Nihil refert, rem habere, vel pre-
 tium, aut æstimationem eius, vt de vsufu-
 ctu, & quemadmodum quis vtatur. Probat
 hoc per multas leges ciuiles, & quòd omnis
 res, quæ possidetur, pecuniæ nomine signa-
 tur. Cum ergo apud Religiosum, de quo
 queritur, sine causâ sint vel vestes, vel clen-
 dia, vel libri, aut quæcumque aliæ res, qui-
 bus incumbit, sicut gallina ouis; constat cum
 huiusmodi sint & inutilia, nisi ad thesaurum
 congregandum, quòd huiusmodi sint sine
 causâ apud ipsum. Quæ autem sine causâ
 sunt apud aliquem, malâ fide, id est, con-
 scientiâ, sunt apud ipsum: cum habentes
 diuitias Christianorum, victû & amictum,
 his contenti esse debeamus. Ceterum quia
 proprium est, quod conuenit vni & soli, se-
 cundum Logicos; non potest dici non esse
 proprium, quòd Religiosus ita sibi vindicat
 quamcumque rem, vt non sit in liberâ po-
 testate Prælati, disponendi & dispensandi
 de illâ re, & maxime si ea, quorum possessio-
 ni incumbit, quamuis falsa & inutili dispen-
 satione innitens & confidens, videatur bo-
 nâ fide possidere. Si tamen conscientiam
 sic dispositâ habeat, quòd si auferantur sibi,
 quæ possidet, à Prælato, possessa relinquat
 cum murmure seu difficultate, æstimans si-
 bi iniuriam fieri, aut sicut quæsitum est, in-
 cum-

Io. à Neap.
 p. 2. q. 161.

cumbat in quacumque specie rebus, quarum usum habere non potest; in hoc casu consulo fideliter, ut vnusquisque conscientiam propriam suæ rationis legitimè perscrutetur. Hæc de Ioanne. Ad difficultatem eiusdem quæstionis, videlicet, Quid sit proprium in Religione, & quis sit propriarius censendus; clarius respondet Domi-

B. Alberus
Magnus in
epist. cuius
initium:
*Instantia
& sollicitudo.*

nus Albertus Magnus, in Epistolâ quam misit prouinciæ Theutoniæ sui Ordinis, quando Prouincialis erat: Ne, inquit, proprietatis vitium, sanctæ professioni paupertatis nostræ possit subrepere, volo ut nullus frater aliquam habeat dispensationem nummorum, aut quarumcumq; rerum, quæ ad eius consilium, siue in eius utilitatem, siue aliorum, modo quolibet conuertantur, nisi conscio Prælato suo, vbi sit illa pecunia, aut res alia, & qualiter dispensetur. Nam si quis secus faceret, & Prælato inscio huiusmodi res dispensaret, aut dispensandas suo consilio seu arbitrio reseruaret, eum proprietarium reputarem, & tamquam nostræ professionis violatorè regulariter condemnarem. Hæc ille.

*An Prælati
nō dantes
necessaria
peccet mortaliter?*

P. 2. q. 117.

Dubitatur secundò, an Prælatus non distribuens monachis vel fratribus necessarium victum, & vestitum, sed permittens quemlibet exhibere sibi ipsi, peccet mortaliter. Respondet Ioannes de Neapoli: Cùm Abbas peccet

peccet mortaliter permittendo monachos fornicari, vel rebelles sibi existere; sic peccat mortaliter non prouidendo eis de communi; cum per hoc præstat subditis casum & occasionem habendi propria. Innumerabilia enim sunt peccata, quæ incurrunt, & in quibus inuoluuntur subditi, quibus, secundum præceptum regulæ, de communi non prouidetur de vitæ necessariis. Hæc ille.

Tertiò dubitatur, an valeat excusatio, quæ allegant Prælati, quòd in monasteriis non possunt teneri iura communis regulæ. Respondet idem, Primò, improbando excusationes Prælatorum & subditorum. Secundò, dat consilium salubre. Tertiò, monet per exemplum. Excusant enim Prælati se dupliciter. Vno modo, quòd non sit possibile. Contra quod, est illud Act. 4. *Erant illis omnia cõmunia, & neque quisquam egens erat inter illos.* Item, S. Augustinus cœpit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis cõstitutam; & ante eum multi, & post, vt latè patet 12. q. 1. per totum. Iterum, si non est possibile, ergo impossibile: sed ad impossibile nullus obligatur, ergo non sunt Religiosi, cum Religiosi nõ possunt habere proprium. Alio modo dicunt Prælati se excusando: Monachi vel fratres & vniuersaliter regulares non redigunt in commune, sed

An Prælati excusentur, allegans, non posse seruari regulam? part. 2. q. 118.

Act. 4. 32.

F faciunt

faciunt omnes sibi in propria & peculiaria, & ideò non habet Prælatus vnde prouideat de communi. Ad quod respondet Ioannes: Religiones ditissimæ & pinguisimæ, quas nec fiscus exhaurire potest, numquid non valent prouidere, vt Christus victum & amicum diuitias Religiosorum habeat: De Ordinibus autem Medicantium, quorum quidam B. Augustini regulam sunt professi, sic loquitur Augustinus: Quanto amplius rem communem, quam propria vestra curaueritis, tanto amplius vos proficere noueritis: vt in omnibus, quibus vititur transitoria necessitas, superemineat quæ permanet charitas, quæ communia propriis, non propria communibus anteponit. Subditi proinde se excusant, dicentes: Nobis non prouidetur de cõmuni; quo contra oportet nos nobis propria facere. Respondetur: Horum damnatio iusta est. Fatentur enim se sibi facere propria ex causâ friuolâ, quam prætendunt. Satius enim erat mori fame & frigore, exemplo Apostoli, qui in fame, & siti, & frigore vitam exegit; quam cum peccato mortali vitam damnabilem contra rationabilem conscientiam ducere. Sicut melius est pudicè mori, quam impudicè viuere. Inter has, inquit Ioannes, duas assertions æqualiter improbabiles, restat consilium; cum quo præceptum

S. August.
epist. 109.
tom. 2.

ceptum tenebitur regulare: vt omnes subditi excutiant manus suas à proprio, ponentes ad pedes Prælatorum omnia & singula, in paruo & magno, in quacumque specie, ex quacumque causâ eis obuenant; & Prælati eis de communi prouideant, ne sanguis subditorum, de Prælatorum manibus requiratur. Audiui enim à quodam Magistro, viro vtriusque Iuris peritissimo, & in causis tritissimo, dicente mihi: Si ego sciuissem modum habendi & recipiendi aliquid priuatim, quem ego in Ordine inueni, ego numquam venissem ad statum istum. Magnipendi verbum illud ab homine tam religioso, cuius vita tam exemplaris fuit, vt mirarentur ceteri; & magni pendendum consulo ceteris Iuris ignaris. Hæc Ioannes. Satis igitur patet, quòd inanis sit octaua obiectio, de dispensationis velamine, per quod multi totaliter ferè seipsos conformant sæculo.

CAPVT XII.

Cùm causentur necessaria in victu se non habere, tradit quomodo tunc fieri debet: & quanta confidentia sit habenda in Deo de temporalibus ministrandis.

AD nonum, quando adducunt necessariorum victus & amictus, si reformen-

tur, defectionem, respondetur, quòd monasterium reformabile, aut est de Ordine possessionatorum, aut non. Si primum, tunc aut est possessionatum, seu reddituatum adeò, quòd victus necessaria singulis possent distribui, omnibus in commune redactis: aut omnes, aut quidam tantum habent de sibi ad usum concessis, quæ si in commune ponerentur, omnes possent habere victum necessarium: aut neutrum, scilicet quòd nec à singulorum bonis, nec à monasterij bonis tantum posset haberi, vt communitatem rerum pro sufficientiâ habere possent victus, stantibus tot personis in monasterio. Si primum, tunc nullus se excusare potest, qui nollet ex communitate viuere, si alij resignarent, quia tunc nulla causa est dispensandi cum tali in habendo appropriata, quoad usum incertum. Si secundum, tunc quicumque impediunt positionem rerum temporalium ad communitatem, non possunt tales excusari ex præcedenti ratione. Si tertium, tunc minuere deberent numerum fratrum mediis opportunis, & tot manere, quot esset sustentabiles per bona, quæ pro communitate manentium sufficere possent. His concordat Hugo de Folieto lib. 2. De claustris animarum, dicens: De ordinatione claustris materialis, considerata nobis quatuor occurrunt,

Hugo lib. 2
De claustris
animarum c. 1.

runt: Qui sint qui teneant Ordinem, aut quid teneant, vbi maneant, & vnde viuant; vt plures sint & boni propositi; vt cohabitandi suppetant ædificia; & victui habeant necessaria. Sit tamen in numero discretio, in proposito deuotio, in ædificiis mediocritas, in rebus possessis frugalitas. Tenenda ^{cap. 2.} est discretio in numero Fratrum, vt tot simul cohabitent, quot ordinatè viuere possint; ne vel excufante paucitate irregulariter uiuant, vel pro multitudine cohabitantium, necessitati eorum illicita quærant. Qui enim multos congregauit, necesse est vt eorum victui multa quærat: sed dum quærit plura, crescit exterior cura. Hæc ille. Ideò Canon Clementis distinct. 23. Tales, dicit: Tales ad monasterium eligantur clerici, qui dignè possint Sacramenta diuina tractare. Melius est enim vni Sacerdoti paucos habere ministros, qui possint dignè opus Domini exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue Ordinatori inducant. Et Glossa ibi per multa Iura probat, quòd multitudo facit aliquos magis viles, & est Canonibus inimica, est onerosa, nihil habet honesti. Si verò monasterium reformandum non est de Ordine possessionatorum, sed Mendicantium, qui satis principaliter sunt super prædicatione, aut mendicitate, aut super vtroque fundati,

tunc si alij consentiunt reformationi, tales qui reformationi resistunt, in nullo videntur rationabiliter à graui peccato excusari posse; quia necessaria victus per mendicantem possunt acquirere quotidie. Deficiunt autem tripliciter tam mendicantes, quàm possessionati, vt plurimùm propter motiuum nouum reformationi resistentes. Primò, propter de diuinâ prouisione diffidentiam: secundò, propter paupertatis, quam uouerunt, carentiam: tertio, propter boni communis negligentiam. A quibus tamen omnibus Religiosi plus cauere tenentur: quia omnes tenentur ad perfectionem longè amplius, quàm seculares, tendere. Contra primum, Veritas quæ nec fallit, nec fallere potest, dicit primis Religiosis: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater uester, quia his omnibus indigetis. Querite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius (ea scilicet quæ uouistis) & hæc omnia (quibus scilicet indigetis) adicientur uobis.* Dare ergo possunt fiduciam tria hæc: Vnum ex parte dantis: si enim nobilis quilibet familiaris suæ prouidet, quanto magis nobilissimus & largissimus Deus? Vnde super illud Lucæ 12. *Nolite solliciti esse,* dicit Glossa: Indecorum est homini curare de cibo uel veste, qui

Mat. 6. 31.

qui militat regno. Nouit Rex quemadmodum familiam suã pascat, & alat, & vestiãt. Aliud est ex parte dati. Dicit enim Glossa super illud Matth. 6. *Nõnne anima plus est quàm esca?* Qui maiora dedit, id est, vitam & corpus, dabit minora, id est, victum & vestes. Aliud est ex parte recipientis. Vnde super illud Psalmistæ, *Benedicam Dominum in omni tempore*, dicit Glossa: Pascebat contentementem se, & non pascet timentem se? Deficiunt præterea temporalium queruli secundò, propter paupertatis, quam vouerunt, carentiam: quia quidam Religiosi adeò curã carnis intenti esse volunt, nunc in cibis & potibus, nunc in vestitu & medicinalibus, vel rebus aliis, quòd necessariis non contenti, quæ eis competenter ministrantur, lautiora, quàm voluntaria paupertas, quam vouerãt, exigat, omnino habere volunt. Quo contrã dicitur: *Curam carnis ne feceritis in desideriis*. Superfluitas autem licet omni Christiano sit cauenda iuxta illud; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus*: magis tamen est cauenda Clericis, secundùm illud; *Qui altari seruit, de altari uiuat*. Benè uiuat, inquam, non superbiat, non ditetur, & similia. Maximè autem est cauenda superfluitas Religiosis. Vnde Numer. 6. *Vir siue mulier, cùm se voluerit Do-*

Mat. 6. 25.

Glossa in
Psal. 33.

Rom. 13.

14.

1. Tim. 6. 8.

1. Cor. 9. 14

Num. 6. 2.

*mino consecrare, à vino, & omni quod in-
briare potest, abstinerebunt.* Hoc designat ca-
pillorum abscissio, quæ per laicos fit modi-
cè, plus per Clericum: sed per Religiosos
maximè. Deficiunt tertio, obiicientes pro-
pter boni communis negligentiam, quia
multi Religiosi, ad ea quæ ad communita-
tem spectant, sunt tardi; ad ea verò quæ sunt
propria vel appropriata, sunt assidui. Et hæc
est singularitas pessima, de quâ B. Bernardus
dicit: Singularis ad omnia sua est strenuus,
ad communia piger. Hæc singularitas est bo-
ni communis negligentia, & multa mala fa-
cit, scilicet à Christi vestigiis deuiare. Vnde
Chrysoftomus: Imitatores fieri Christi, est
ad communem utilitatem omnia negotian-
tes, & non quæ sunt nostra quærentes. Hæc
mandatis obuiat Apostolicis ad Philipp. 2.
*Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed
quæ aliorum.* Hæc doctrinæ Sanctorum re-
calcitrat, quia Gregorius dicit in Registro:
Nemo vestrum neglectâ utilitate commu-
ni, suo lucro prospiciat. & Ambrosius: Qui
perfectè sapit, nescit sua spectare commoda;
sed ad aliud, quod honestum est, toto affe-
ctu intēdit, quærens non quod sibi utile est,
sed quod omnibus. Bernardus quoque dicit:
Deus communi disciplinâ, communi vitâ,
communibus studiis delectatur. Vsq̄quò
miser

Bernar. De
gra. superb.

Chrysoft.

Philip. 2. 4.

Gregor.

Amb. lib. 3.
Offic. c. 2.

Bernard.

miser diuerticula captas? Hæc reginæ virtutum charitati renititur, quia charitas non quærit quæ sua sunt. Quod Augustinus in Regulâ ita exponit: Non quærit quæ sua sunt charitas, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideò quanto amplius rem communem, quàm propria vestra curaueritis; tanto amplius vos proficere noueritis. Hæc contrariatur nature, quæ omnia ad communem producit vtilitatem. Ideò Tullius de Officiis, Præclare, inquit, scriptum est à Platone, Non soli nobis nati sumus. & post: In hoc naturam debemus ducem sequi, producere communes vtilitates, & in mediũ proferre. Aduersatur etiam præceptis Philosophicis, quia dicit Philosophus: Bonum quanto communius, tanto diuinius. & Seneca: Non potest quisquam bene viuere, qui se intuetur, qui omnia ad suas vtilitates conuertit. Alteri viuas, quod scilicet oportet, si tu vis tibi viuere. Hæc præterea est quæ omnes penè Religiones destruit. *Singularis*, inquit Psalmista, *ferus depastus est eam.* Quam singularitatem si aduersarij reformationis deposuerint, & diligentiam ad bonum commune erexerint, inquirentes Dominum, non deficient omni bono. Vidi & expertus sum, quotiescumque reformabantur monasteria virorum aut feminarum

Aug. in regul. quæ incipit:

Ante omnia fratres. tom. 1.

Cic. lib. 1. Offic.

Arist. 1. Eth. cap. 2.

Sen. ep. 49.

Psal. 79. 14

nostris temporibus, semper quàm antea
in temporalibus meliùs habuisse. Non ergo
trepidant timore, vbi non est timor, hi qui
deformato verè renuntiant sæculo.

CAPVT XIII.

*Cùm obiiciant status nobilitatem vel digni-
tatem; manifestatur, quòd propterea
acriùs & ampliùs reformationi deberent
insistere.*

AD decimum, vbi obiiciunt propter
nobilitatis vel status personæ dignita-
tem, non debere per inchoationem refor-
mationis noua cudi. Hæc apparentia quos-
dam hodie adedò dementauit Canonicos re-
gulares, & monachos, vt verecundentur in
choro canere; legere Missas, & vestiri hone-
stè, suo statui & nobilitati dedecus esse pu-
tent. O quàm longè sunt isti à nobilissimo
Dauid, & suis Principibus, qui cum omni Is-
raël deducebāt Arcam tēstamenti Domini
in iubilo & clangore buccinæ, vbi Rex Da-
uid percutiebat in organis armigatis, & sal-
tabat totis viribus ante Dominum; despi-
cientemque Michol ita adorsus est: *Viuuit
Dominus, quia ludam ante Dominum, qui
elegit me potiùs, quàm patrem tuum. Ludam
& vilior fiam plus quàm factus sum, & ero
humi-*

2. Reg. 6.
21.

humilis in oculis meis; & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. Sciant itaque superbi clerici & monachi, fratres & mendici, summam sibi esse gloriam Regi sæculorum seruire deuotè & reformatè; nihilque sibi conferre in contrarium status sui eminentiam, & nobilitatem sui generis: imò potius illa plus eos arctant ad seruiendum acriter Deo, quàm astringantur simplices & rustici. Quid enim est nobilitas? audi Boëtium 3, De consol. dicentem: Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis ueniens laus parentum. Nihil ergo aliud est nobilitas generis, quàm laus proueniens ex meritis parentum. Ista laus non tua, ô superbe, sed parentibus extrinseca est, non te fecit gloriosum. vnde subdit: Si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Hęc nobilitas plus habet bono constringit, quàm eâ carētes. Ideò, vbi prius, dicit Boëtius: Si aliquid est in nobilitate bonum, illud esse arbitror solum, vt imposta necessitudo nobilibus videatur, ne à maiorum virtute degenerēt. Ad idem est B. Hieronymus in quadam Epistolâ: Nihil, inquit, videro in nobilitate appetendum, nisi quòd nobiles quadam necessitate constringuntur,
ne

Boët. 3. De
consol.
Philos.
prof. 6.

Hieron.

Cassiodor.
lib. 3. Var.
epist. 6.

Hæc habet
S. Hieron.
ad Demetr.
tom. 9.

Greg. 2.
Dial. c. 23.

ne ab antiqua probitate degenerent. Et Cassiodorus lib. 3. epistolarum: Sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegavit ita præclara de patribus egregia dicta confirmat, iuxta illud: Præconia veterum præfens docuit vena virtutū. Ad idem est Chrysostomus super Matthæum, dicens: Ille clarus, ille sublimis, ille tunc integram suam nobilitatem putet, si dedignetur seruire vitii, & ab eis non superari. Facit præterea generis nobilitas in vitioso filio vitium turpius apparere, quàm in ignobili. Lutum quippe album pannum tangens, & nobilem longe deformat amplius, quàm si in vestem vilem ceciderit. Ideò Boëtius vbi supra, dicit: Qui falsè prædicatur, suis ipse necesse est laudibus erubescat. Quid verò deterius est nobilitate, quàm quis si abuti incipiat, ipsa ad peiorem statum & incorrigibilē proiicit. Manifestum est illud hodie in libro experientia, & in 2. Dialog. libro B. Gregorij cap. 23. qui duas refert moniales nobiles, rixosas, verbosissimas, inobedientes suo præceptorij, & B. Benedicto mandanti quòd se corrigerent, non obtemperantes, minas excommunicationis ab eodem accepisse, & in paucis diebus post inobedientes discessisse, ac post mortem earum grauibus pœnis interfuisse, prout earum de Ecclesiâ exitus ostendebat, &

& à Missali quotidie officio, quousque B. Benedictus oblationem pro eis iussit fieri. Non verecundabatur nobilissimus ille olim Samuel, omnium Religiosorum in veteri Testamento pater præcipuus, Deo cum suis choris Prophetarum seruire humiliter per omnia; quamquam summus esset Sacerdos, Propheta, & Rector supremus populi. Dicit enim liber primus Regum 9. cap. *Ecce est* 1. Reg. 9. 6. *vir Dei, Samuel scilicet, in ciuitate hac, vir nobilis. Omne quod loquitur, absque ambiguitate venit.* Et Magister in historiâ Scholasticâ dicit: Nota quia Samuel primus instituit conuentus Religiosorum, iugiter psallentium Domino. Et dicebatur conuentus eorum cuneus, quasi cõineus: & dicebatur prophetare, id est, Deum iugiter laudare. Cui choro etiam Saul Rex iam à Deo electus, laudando interesse non erubuit. Non igitur erubescant nobiles de voto Religionis vel per susceptum sacrum Ordinem ascripti, cū nobili Ioseph, Christo seruire, etiam vsque ad obsequium, si opus est, funeris; & Deum, qui eos elegit, placare studeant reformatis actibus; audiantque Paulum Romanorum nobilem, contra se conformare volentes sæculo, sic dicere: *Videte vocati* 1. Cor. 1. 16 *estis, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes,*

non

non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius.

CAPVT XIV.

Quando timent sequi in diuino officio vel seruitio personarum paucitatem; declarat contrarium, & quomodo hoc non sit timendum. Et quod obsequia malorum, modicum; bonorum verò multum placent Deo.

AD vndecimum, quando inferunt ad reformationem sequi personarum paucitatem pro diuino officio in multitudine Misfarum celebrandarum, respondetur: quod etsi illud est verum pro tempore, quo inchoatur reformatio; tamen, prout vbiq̄ ferè videmus in monasteriis reformatis, postmodum maior suppositorum est numerus, quàm antea: imò conuentus reformati velut sagenæ sunt ad augendum suum Ordinem. Sed esto, quod Religiosi deformati sint multi, quando mali sunt: melius tamen esset habere paucos & bonos benè reforma-

TOS.

ros. Audiant de hoc, qui volūt, Scripturam:
Multiplicasti gentem, & non magnificasti Isa. 9. 3.
letitiam. In multiplicatione enim iustorum,
letabitur vulgus: cū impij sumpserint
principatum, gemet populus, dicit Salomon Prou. 29. 2.
 Prouerb. 29. Modicum tales patrem suæ
 Religionis, & matrem sanctam Ecclesiam
 plerumque consolantur. Vnde Prouerb. 10.
Filius sapiens latificat patrem; filius verò Ibid. 10. 1.
stultus, mæstitia est matris suæ. Et 17. eiuf-
dem: Ira patris filius stultus, & dolor ma- Ibid. 17. 25
tris, quæ genuit eum. Factâ verò reforma-
 tione, apte cōsolando Religionem, possunt,
 sicut dictum est ad Noëmi, dicere plurimi:
Benedictus Dominus, qui non est passus, ut Ruth vlt.
deficeret successor familiae tuæ, & vocaretur v. 14.
nomen eius in Israël: & habeas qui conso-
letur animam tuam, & nutriat senectutem.
 De nuru enim tuâ natus est qui te diliget, &
 multò tibi melior est, quàm si septem habe-
 res filios: peruersos videlicet. Eidem alludit
 illud Sapient. 3. *Felix sterilis & incoinqui-* Sap. 3. 13.
nata, quæ nesciuit torum in delicto, habebit
fructum in respectione animarum sancta-
rum. Meliusque respondet dictæ obiectioni
 vndecimæ, Sapiens Eccli. 16. *Ne iucunderis* Eccli. 16. 1.
in filiis impiis, si multiplicentur, nec oble-
teris super ipsos. Si non est timor Dei cum
illis, ne credas vitæ illorum, & ne respexeris

*in labores eorum. Melior est vnus timen-
Deum, quàm mille filij impij. Et vtile est mo-
ri sine filiis, quàm relinquere impios filios.
Ab vno sensato inhabitabitur patria, & a
tribus impiis deseretur. Multa talia vidit
oculus meus, & fortiora horum audiuit au-
ris mea. Et quid si quibusdam fortassis irre-
ligiosis, qui de multitudine Missarum glo-
riantur, quas legunt, diceretur; vt aduerte-*

rent illud Prouerbiorum vigesimū primum:

*Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offe-
runtur ex scelere. Scimus præterea Deum
olim familia deformatis exprobrasse sacer-
dotibus per sanctū Isaiam, dicentem eius-*

*dem primo: Audite cæli, & auribus perci-
pe terra: quoniam Dominus locutus est: Fi-
lios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreue-
runt me. Et infra: Quò mihi multitudinem
victimarum vestrarum? dicit Dominus. Ple-
nus sum. Holocausta arietū, & adipem pin-
guum, & sanguinem vitulorum, & agna-
rum, & hircorum nolui. Cùm veneritis ante
conspectum meum, quis quæsiuit hæc de ma-
nibus vestris; vt ambularetis in atriis meis?
Ne offeratis ultra sacrificium frustra. In-
censum abominatio est mihi. Neomeniam, &
sabbatum, & festiuitates alias non feram.
Iniqui sunt cætus vestri. Kalendas vestras,
& solemnitates vestras odiuit anima mea.*

Facta

Facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens.
 Hæc enim in deformatis sacerdotibus locum habere non dubito, quatum est ex parte operis operantis, in eorum officiis: quamquam aliter sit ex parte operis operati, scilicet in quantum faciunt in personam Ecclesiæ. Semper tamen, ex parte malorum Religiosorum, maior in sancta tangendo augetur in eis damnatio. De quâ materiâ habes libro 2. cap. 6. Fortassis me redarguet aliquis reformationis æmulus, quod Religioni per talia detraho. Cui respondeo: Non Religionem, sed irreligiosos calumnior, & deformitatem eius detestabilem esse pronuntio. Quod si Clericorum aut Religiosorum aliqui de se mala dici horrescunt, vitent opera, quæ passim nimis in manifestum ponunt; ita ut lapides, id est sæculares, clamitent, etiâ si ipse fileam. Noui enim nuper in Germaniâ quemdam Principem, qui sub suâ ditione monasterium quod habuit abundans in fratribus, & ubi Missæ celebrabantur plurimæ: cumq; à quodam reformatore petisset, ut monasterium dictum reformare conaretur, annuit ille, sed subintulit: Domine Princeps, voluntarios & reformatos fratres adducam; quia per inuoluntarios, vincentes votum multitudine, nihil proficimus; bonos adducam & paucos: quia alibi reformare

G

etiam

etiam expedit, nec multitudinem Missarum nunc habere potestis in breui, sicut antea. Cui Princeps sic respondit: Plus in stabulo meo diligo tres equos bonos, quàm septēdecim malos. Benè ergo Princeps iste, & cōformiter respondit, supradictis se cōformando Scripturis. Vtinam autē in quibusdam monasteriis & conuentibus, qui de multitudine personarum gloriantur, non reperirentur inter Religionum supposita, sub vno patre filij septem capitalibus repleti vitiis: vtputa quidam filij superbiæ cum eorum rectore & capite, de quibus dicitur Iob 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Filij inuidi, quos Apostolus ad Ephes. 5. vocat *filios diffidentia.* Filij auaritiæ, cum Iudâ, de quo dicitur: *Nemo peribit ex eis, nisi filius perditionis.* Filij iracundi, vt Nabal, de quo 1. Reg. 25. *Vir durus, & pessimus, & malitiosus.* Et post: *Ipse filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Filij acidiosi, de quibus Prou. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit aestate, filius confusionis est.* Filij luxuriosi, fratres & imitatores illius filij prodigi, qui *omnem substantiam cōsumpsit cum meretricibus.* Et filij gulosi cum filiis Heli, 1. Reg. 2. de quibus ibi dicitur: *Porrò filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* Et se-

cun-

cundum litteram dicit Magister in historiis Comestor.
 Scholasticis, partem sacerdotalem de sacrificiis, antequam adolerent adipem, tollebat, scilicet, ab offerentibus crudam carnem, ut sibi lautiùs pararent eam. *Et mittebat puer sacerdotis fuscinulam in ollam, & quidquid leuabat fuscinula, erat sacerdotis.* Quod non erat portio, sed rapina. Ex quibus omnibus modò manifestum est, quàm nudos se esse à veritate professi sunt reformationis inimici, quando in vndecimâ obiectione se sæculo conformatorum multitudine armauerunt.

CAPVT XV.

Quando conqueruntur ad reformationem sequi pacis turbationem; docet quòd duplex est pax & discordia; & quando scandalum sit timendum, & quando non.

AD duodecimum, quando obiiciunt, quòd in reformâdo sequitur communis inter fratres turbatio pacis, cum quidam sunt voluntarij, alij inuiti: imò aliquando omnes sunt in monasterio vno inuoluntarij, quibus si noui in lege Dei beneuoli addantur, aut priores expelli curentur inuiti, sequitur murmur & turbatio, pacisque fugatur tranquillitas. Et quod longè est formi-

dabilius, multi inde fugientes, ad alia dissolutioniora se transferunt monasteria, aut apostatant, monialesque se nonnumquam profituunt abominabiliter. Respondetur igitur primum, quod numquam est pax habenda cum vitiis; quinimò iuge bellum cum eis in mentis displicentiâ est habendum: deinde quod Phariseorum scandalum non est curandum: & postremò, si quis ægrotus in animâ, correctionis medicinam voluntariè renuit, non mirum si in mortem animæ ruit grauissimam. Non etiam abnuo pro loco & tempore correctionem esse differendam, prout videbitur in responsione sequenti ad argumentum decimumtertium. Pax, inquam, non est habenda cum vitiis: quamuis semper sic diligendi sunt homines, ita ut non diligantur eorum errores. Docet illud

Mat. 10. 14 *Christus in Euangelio, cum dicit: Nolite arbitrari, quia venerim mittere pacem in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Et post pauca: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Religio autem crux est, quam professus est Religiosus quilibet. Vnde Glossa interlinearis, crucem exponit*

ponit abstinentiam ; & contra carnis vitia bellum indicendum asserit. Sunt enim apud deformatos tria potissimè vitia, auaritia, luxuria, & superba inobedientia: quibus mundus quidem inficitur, sed monasterium deterius. Quibus hostes iunguntur triplices, mundus, caro, dæmonia: qui diuersa mouent prælia. Mundus per proprietatis vitium ad auaritiam protrahit: caro per incōtinentiam afficit: & dæmon suâ superbâ inobedientiâ, quos potest, inficit. Quibus resistendum est per tria vota Religionis principalia; ita vt, quæcumq; videntur cōtraria his vitia, pax cum eis esse non debeat. Si prætereà reformationis tempore inter malos discordia nascitur, non semper hoc curandū est magnopere, vt Gregorius in Pastoralibus asserit: Sicut, inquit, multum nocet, si vnitas desit bonis: ita valdè est noxium, si non desit malis. Si ergo peruersorum nequitia in pace iungitur, profectò eorum malis actibus robur augetur: quia quo sibi in malitiâ congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus allidunt. Docuit illud Apostolus Act. 23. qui, vt Pharisei & Saducei, qui contra eum vniti erant, diuiderentur, clamat: *Ego Phariseus sum, filius Phariseorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* Et sic statim facta est diuisio Phariseorum & Saduceo-

Greg. 3.
par. Pasto-
ral. c. 24.

Act. 23. 6.

ducæorum, minusque fidei & Paulo nocere poterant quàm antea. Nec curandum est quodlibet in malis receptum scandalum.

s. Tho. 2. 2. q. 43. art. 7. Dicit enim S. Thomas 2. 2. q. 43. Ea quæ sunt de necessitate salutis facienda, ut quæ sunt

præcepta, non debent prætermitti propter scandalum vitandum in alio. In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum: quia scandalum, quod ex eis quandoque oritur, aliquando ex malitiâ procedit; cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi bona spiritualia, scandalum concitando. Et hoc est scandalum Phariseorum, quod esse cõtendendum Christus docet Matth. 15. vbi cum Christus Scribas & Phariseos correxisset, de hoc quod Dei præcepta propter hominum traditiones transgredere'tur, qui Christi discipulos de omissione lotionis manuum correxerant, & addidisset; *Non quod intrat*

Mat. 15. 13 *per os coinquinat hominem, sed quod procedit ab ore; venerunt discipuli Christi, ei dicentes: Scis quia audito Pharisei verbo hoc scandalizati sunt? Respondens Iesus, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus celestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cecorum. Cæcus autem si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.*

Quandoque verò scandalum procedit ex
infr-

infirmirate vel ignoratiâ: & huiusmodi scandalum est pusillorum, propter quod sunt spiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quousque redditiâ ratione, huiusmodi scandalum cesset: si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duraret, iam videtur ex malitiâ esse; & sic propter ipsum, non sunt huiusmodi spiritualia dimittenda. Hæc S. Thomas. Et concordat in scripto suo Petrus de Tarantasiâ cum eo. Euidens autem est, quod tunc Religiosi in scandalo laborant Pharisaico, quando reformari debent per Visitatores aut Prelatos, admonentur quid vouerint in regulâ, quod reformatio est debita, & quanta ex deformitatibus sequatur peccata, quod causantur sibi fieri iniuriam, maledicunt & detrahunt Superioribus, vexant & turbant sæculares & Ecclesiasticos: imò sæpè minantur homicidia & verbera; & quod peius est, nonnumquam talia opere complent. Quæ omnia sunt Pharisaicorum scandala, non omniquaque timenda ab his qui præsunt monasteriis. Pro quorum consolatione, etiam dictorum maiori declaratione, notandum, quod S. Thomas vbi suprâ in Summâ sic determinat: Consilia, scilicet Euangelica, etiam non sunt simpliciter prætermittenda, nec

S. Tho. vbi
sup. ad 4.

etiam opera misericordiae propter scandalum, sed sunt interdum occultanda, vel differenda propter scandalum pusillorum, ut dictum est. Quandoque tamen consiliorum observatio, & impletio operum misericordiae, sunt de necessitate salutis. Quod patet in his qui iam vouerunt consilia, & in his quibus ex debito, imminet defectibus aliorum subuenire; vel in temporalibus, puta pascendo esurientem; vel in spiritualibus, puta docendo ignorantem: siue huiusmodi fiant debita propter iniunctum officium, ut patet in Praelatis, siue propter necessitatem indigentis. Et eadem ratio est de huiusmodi, sicut de aliis quae sunt de necessitate salutis. Haec S. Thomas. Ex quibus primo sequitur, quod magnum imminet periculum Praelatis, qui sua possunt deformata reformare monasteria, & hoc non faciunt: quia talibus imminet ex debito defectibus subditorum subuenire; & plus in defectibus animae quam corporis. Unde tunc non minus propter scandalum subditorum debet eis subuenire, quam si praecipuum esset, imò tunc praecipuum esse potest.

Secundo sequitur, quod ad minus oportunitate captâ, reformandi sunt tales Religiosi, etiam si nolint, in quibus transgressiones suorum votorum reperiuntur frequenter,

ter, & conformitates imminere ad sæculum, vbi etiam tales scandalizarentur. Patet, quia talia vota cadunt sub præcepto, & Superioribus reformare incumbit, tum propter iniunctum officium, tum etiam quia necessario peruersi hoc indigent subditi. In talibus locum habet illa super Ezechielem B. Gregorij sententia: Si de veritate scandalum sumitur, vtilius scandalum nasci permittitur, quã veritas relinquatur. Et S. Thomas vbi prius, Sub veritate, quæ est vitæ & doctrinæ, non solum necessaria salutis continetur, sed etiam consiliorum obseruantia, vbi de eis est, cur ad hæc teneantur, reddita ratio, vel quando cadant sub præcepto ex voto & ex officio, aut ex necessitate quæ alicui imminet, vt dictum est paulò antea.

B. Greg.
Hom. sup.
Ezech.

CAPVT XVI.

Quando arguunt sequi lapsum grauiorem, & apostasiam, vel huiusmodi; ostendit quòd propter talia non semper reformatio per Prælatos prætermitti debeat.

NEC terreri semper oportet, vt decimum tertium argumentum obiicit, videlicet ex lapsu grauiori, quem quidam reformationem fugientes postmodum incurunt: dummodò spes de reformatione, pro

G 5

plu-

plurimorum salute introducēda, ex prudentum æstimatione habetur. Sicut Christus quando reformare cœpit opere per eiectionem de templo vendentium & ementium, scandalum Phariseorum non curavit, quos sciebat ex hoc peiores effici, Matth. 21. & Ioan. 2. 19. Ioan. 2. imò in vtroque casu murmurabant, ut ibi amplius in litterâ patet: nec sermonem & doctrinam veritatis Christus semper sub modio taciturnitatis posuit, quando multos præsciuit post suam doctrinam ab eo ituros retrò, & iam cum eo non ambulaturos, Ioann. 6. Ad idem manifestè tendit datum oraculum B. Erhardi Episcopi Ratisponensis de reformando ibidem Inferiori monasterio monialiū. Cùm enim sanctus VVolfangus, sæcularium & Sacrarum litterarum Præceptor expertissimus, iam Episcopus Ratisponēsis, in præfato monasterio circa sepulchrum sancti sui olim prædecessoris Erhardi, anxius quomodo ipsum reformaret monasterium, oraret pro diuino auxilio, astitit ei S. Erhardus, ita dicens inter cetera: Quæso te, ut præstitâ tibi diuinitus vtaris prudentiâ, omnemque hanc destruas congregationem, & monasticam ibi instituas professionem, si harū aliqua, quæ nunc inest, eam velit profiteri: sin minùs, omnino quotquot nunc sunt, expellas; nec vltra contami-

Ex vitâ
S. VVolfangi.

taminari locum istum patere. Ex quo patet, quòd ita est exauditus B. VVolfangus, vt si omnino non posset prohibere, vinceret virtutem virtute, pro eo stabiliens monasterium. Multis enim iam luxuriantium fœditatibus monasterium polluebatur. Tunc temporis quando sanctus orauit VVolfangus, Canoniarum professio erat in eodem monasterio, ac carnalis petulantie non minima fiebat confusio, adeò vt cum ad arctiorem vitam coegerentur, aliquæ ipsarum monasterium relinquerent, & fornicatoribus prioribus adhererent. Quod monasterium (dictum Inferius) ilicò reformauit B. VVolfangus, feminis indicendo regulam B. Benedicti ibidẽ. Deinde per translationem reliquiarum diuinitus à sinistra factam ad dexteram altaris monitus, etiam Superius pari modo reformauit monasterium Canoniarum: per tertium quidem monasterium, quod ad S. Paulum fundauerat ab initio regulariter; à quo & per quod priora duo monasteria, velut viuum ad exemplar regulam B. Benedicti tenentium, reformata sunt; cooperante S. VVolfango, prout illa diffusè habentur, tam in B. VVolfangi, quàm S. Erhardi Legendâ. Notandum præterea quòd dictam obiectionem S. Thomas exactissimè soluit 2. 2. qu. 33. art. 6. vbi sic quærit, Vtrum aliquis debet cessare à correctione

S. Thom.
2. 2. qu. 33.
art. 6.

rectione, propter timorem, ne ille fiat deterior: respondet dicendum, quòd correctio pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam, non est dimittenda propter turbationem eius qui corripitur: tum, quia etsi propria sponte emendari non velit, corrigendus est per pœnas, vt peccare desistat: tum etiam, quia si incorrigibilis sit, per hoc prouidetur bono communi, dum seruatur ordo iustitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur. Vnde Iudex non prætermittit ferre sententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis eius, vel etiam amicorum ipsius, secundum illud Psal. *Miserere mei, quoniam infirmus sum, sana me Domine.* Sed ille cui imminet cura infirmi, propter eius contradictionem vel cõtemptum non debet cessare, quia tunc imminet maius periculum, vt patet circa furiosos. Dicendum ergo quòd medicus quadam coactione vitur in phreneticum, qui curam eius recipere non vult. Et huic assimilatur correctio Prælatorum, quæ vim habet coactiuam. Prælati enim non solùm habet admonere, sed etiam cogere puniendo. Alia est enim correctio fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis; non habens coactionem, sed simplicem admonitionem. Et ideò vbi probabi-

Psal. 6. 2.

habilitate æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiet, sed ad peiora labetur, est ab huiusmodi correptione desistendum: quia ea quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis.

Hæc S. Thomas. Et de Prælatiis addit ibidem art. 2. quòd etiam tenentur quærere subditos reos ad corrigendum. Et ad hoc tenentur sub præcepto. Quod sic probat: Illud quod debetur alicui determinatæ personæ & certæ, siue sit bonum corporale siue spirituale, oportet quòd ei impendamus, non expectantes quòd nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes ut eum inquiramus. Vnde sicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat: ita qui habet spiritualiter curam alicuius, debet eum quærere ad hoc ut corrigat eum de peccato. Sed illa beneficia, quæ non debentur certæ personæ, sed cõmuniter omnibus proximis, siue sint corporalia, siue spiritualia, non oportet nos quærere quibus impendamus, sed sufficit quòd impendamus eis, qui nobis occurrunt. hoc enim pro quadã sorte habendum est: ut dicit Augustinus De doct. Christ.

Hæc S. Thomas. Non tamen ambigo quin dissimulare oportet circa peccata iniquorum.

Primò, quando mali sunt occulti, nec possunt

S. Thom.
ibid. art. 2.
ad 4.

Aug. lib. 1.
de doct.
Christ.
c. 28. tom. 3

sunt decerni à bonis. Secundò, si multitu-
do tanta est in causâ, quòd non possit extir-
pari sine schismate Ecclesiæ, in quo etiam
boni voluerentur, & sic eradicaretur & tri-
ticum; vel si etiam vnus solus est vel pau-
ci, sed non potest hoc fieri sine scandalo bo-
norum, eò quòd eos latet crimen nocentis,
vt de Iudâ patuit. Tamen quando multitu-
do est in culpâ, possunt aliqui magis rei ex
eis puniri ad terrorem multitudinis; sicut
Num. 25. 4 Num. 25. Principes populi suspendi iubentur
pro peccato multitudinis. vel turba pu-
niri potest iniquorum, si arridet opportuni-
tas, sicut Ægyptij submersi sunt in mari, &
Exo. 14. 28 Sodomitæ omnes perierunt, Exodi 14. &
Gen. 19. 25 Sodomitæ omnes perierunt, Exodi 14. &
Gen. 19. vel cum facultas est in populis pro-
mendi sermonem, generali obiurgatione
ferienda est, vt dicit Augustinus contra Par-
menianum. Tertiò, quando probabiliter
præsumitur de eorum correctione, eò quòd
peccant ex infirmitate vel ignoratiâ, & non
ex obstinatâ malitiâ; aliàs sæpè extermina-
retur triticum. Exemplum de hæretico, quem
Sur. 5. Aug. B. Dominicus diuinitus seruauit ab igne,
li. 1. vit. c. 11 quem post multos annos bonum esse in fu-
turo præuidit: idem patet de Paulo. Quar-
tò, si exercitando bonos, profint Ecclesiæ,
& non obsunt; aliàs boni torperēt in chari-
tate, qui aliàs exercentur; aliàs etiam eradi-
care-

caretur triticum. Exemplum de Iudæis inter nos, & Iebusæis olim inter Israëlitas. Hæ sunt quatuor causæ omittendæ correctionis fraternæ secundum S. Thomam & Vlricū. Nec approbo quod Prælatus crudeliter se in corrigendo habeat, aut negligenter; qui ex utroque medium componere debet reformandi medicamen, dicente B. Gregorio: Disciplina vel misericordia multum destruitur, si vna sine alterâ teneatur. Quidquid autem hætenus de correctione per Prælatos faciendâ dictum est, totum ad reformationem Prælatorum seu Visitatorum applicandum est, cum reformatio sit in re morum correctio.

B. Greg.
part. i. cur.
Pastor. c. 6.

CAPVT XVII.

Quando ostendere nituntur, quòd ex laxã vitã maiora sequuntur bona, quàm ex reformatione; manifestatur multipliciter contrarium, & quanta mala sequuntur in deformatis locis, ex sumptibus in ædificiis, picturis, & huiusmodi.

AD quartamdecimam iam obiectionem respondendum est, vbi reformari recusant, eò quòd per dispensationes & modos viuendi hætenus à longinquo tentos, facilius, vt dicunt, procurentur res Religionis necessariæ: vtputa in Ordine potissimum

mum Mendicatum, libri plurimi; & in omnibus conuentibus & monasteriis, multe ad habitandum domunculæ; quinimò aulae plurimæ; magnæ, quæ vix aut nūquam procuratæ fuissent de cōmunibus, sed facilius edificatæ à propriatis monachorū aut fratrum pecuniis: similiter de multis picturis, & de multis Sanctorum tabulis & similibus. Respondetur simpliciter negando totū: quia & olim ante lapsum Ordinum, & hodie apud reformata loca, talia pro quanto saltem Religionī congruunt, copiosius procurata sunt, & hodie procurantur facilius. Qui vidit, testimonium perhibet de his quoad omnia pænè quæ sunt in Alemaniâ reformata monasteria: vbi quotidie librorum coaceruatur numerus; ædificia reficiuntur ruinosa, quæ apud deformata corruunt monasteria; fauor accrescit populi, augetur personarum valens numerus, & decor multiplicatur sacrarum vestium. Posito tamen quòd ita sit, vt arguit aduersarius; tamen omnia ista quæ annumerat, cum sint corporalia, quid sunt hæc ad reformationis sacræ fructus virtutum vberimos, per quos immortales saluantur, & pulchrificantur animæ? prout latè patebit in tertio infra libro. Præterea, si prædicta in obiectis plenius librentur, plus hactenus destructionis & defor-

deformationis contulerunt, & conferunt in posteris temporibus, quàm profuerint vel proderunt. Nam prout ex multis coniecere potui opusculis antiquioribus, coaceruatio librorum & eorum procuratio per singulares procurata personas, primam radicem aduexit proprietatis, vel, vt aiunt, appropriatiōnis apud Ordines saltem Mendicantium. ita vt iam ibidem, sicut heu in Ordinibus aliis, primæua paupertas, & rerum sincera communitas in paucissimis locis obseruari videatur: quia cum per Prælatos vni licentia dabatur à cognatis procurandi Bibliam, Breuiarium, aut Sermonum volumen aliquod, voluit alter & tertius pari licentiâ perfrui, arguendo à simili. Concedebatur proinde sub respectu procurandæ animarum saluti pecunia expendenda pro libris; deinde ad vestimentorum necessitatem dispensatio, vel potius extendebatur dissipatio. Et tandem ad hoc deuenit, vt modica aut pænè nulla sit differentia in habendo pecuniam, & ei æquipollentia, inter professum fratrem seu monachum, & sæcularem prole carentem aut nuptum. Probationem huius malæ originis plus fortassis silere expedit, quàm pandere; quamquam, si opus esset, poni valeret ad patulum. Quod autem domunculas ad inhabitandum se erexisse gloriantur, si

H de

de hoc tacuissent, fortassis philosophi fuissent; quia per hæc omnis Religionis destructio suborta est. Nam in talibus priuatis habitaculis fiunt commestiones, ebrietates, & rerum communitatis dispendia: vbi quilibet non communia propriis, sed propria communibus anteponit. Ibi inepta solatia, chori neglectus, ibi detractiones, & contra Prælatum murmura; seminaria ibi inchoantur discordiæ & cõspirationum vitia. Et vti nam non plerumque ibi foeterent (si paries fodi deberet) fornicationes, & voti castitatis præiudicia! Hæ sunt camerulæ, quæ in monasteriis nonnullis iam commune destruxerunt dormitorium & regulare refectorium; cellas euacuant, & quod deterius est, destituunt oratorium: quia omnes ibi, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Ad nihilum ergo valent speluncæ istæ latronum, nisi vt mittantur foras, & conculcentur per eos, ad quos spectat, homines. Audiatur præterea Patrum sanctorum sententia de materiâ propositâ. Dicit enim ex ore Isaac Casianus in Collationibus Patrum: Quidquid necessitatem victus quotidiani & ineuitabilem vsum carnis excedit, ad sæcularem definierunt curam & sollicitudinem pertinere: vt, verbi gratiâ, cum duarum sufficiat velamen tunicarum, trium aut quatuor fieri pro-

Casian.
collat. 9.
cap. 5.

procuremus; cumq; vnius siue duarum habitatio sufficiat cellularum, ambitione seculari atque amplitudine delectati, quatuor seu quinque cellas, & has easdem exquisito ornatu, & capaciores, quam vsus desiderat, exstruamus. Quod non sine instinctu dæ-^{cap.6.}monum fieri, manifestissima nos experimenta docuerunt. Et ponit ibi exemplum de sanctissimo Patre, qui vidit fratrem curiosæ cellæ extructione lapidem durissimum dæmonis astantis instigatione dolare. Et cum cessare vellet frater, dæmon ignitis facibus eum reaggredi opus persuasit inuisibiliter. Tandem admiratus Pater, cellam fratris intrauit, eiq; dixit: Quid operatus es? respondit ille: Laborauimus contra durissimum saxum; vixq; potuimus illud aliquanto conterere. Ad hæc senex: Benè dixisti, Potuimus; non enim solus eras, quando illud cædebas, sed fuit alius tecum, quem non vidisti; dæmon tuus ad hoc violentus impulsor. Talia etiam B. Bernardus nedum in non sacratis reprehendit domibus, sed etiam in oratoriis. Vnde in apologetico contra Cluniacenses ita inuehit: Omitto oratoriorum immensas altitudines, immoderatas longitudes, superuacuas latitudines, sumptuosas depolitiones, curiosas depictiones: quæ dum in se orantium retorquent aspe-

Bernard.
in Apolog.
prop. fin.

atum, impediunt & affectum, & mihi quodammodo repræsentant antiquum ritum Iudæorum. Sed esto, fiant hæc ad honorem Dei. Et iterum: Illud interrogo monachus monachos, quod in gentibus gētilis arguebat: Dicite, ait ille, Pontifices, in sancto quid facit aurum? Ego autem dico; Dicite pauperes (non attendo verbum, sed sensum) Dicite, inquam, pauperes, (si tamen pauperes) in * sancto quid facit aurum? Et quidem alia causa est Episcoporum, alia monachorum. Scimus enim quod illi, sapientibus & insipientibus debitores cum sint, carnalis populi deuotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos verò, qui de populo exiuimus, qui mundi quæque pretiosa pro Christo reliquimus; quorum quæso deuotionem in his excitare intendimus? Et concludit ibi latè, quod ex talibus sequitur sæpè stultorum admiratio, pauperibus eleemosynæ subtractio, minor ad Sanctos debita veneratio, auaritiæ augmentatio, sæcularium ad offerendum attractio, & curiositatis adinuentio. Et iterum: Ceterum in claustris, coram legentibus fratribus, quid facit illa ridiculosa monstruositas, mira quædam deformis formositas, & formosa deformitas? Quid immundæ simiæ, quid feri leones, quid monstruosi centauri, quid femi-

Perfius
Sat. I.

* fieno

femihomines, quid maculosæ tigrides, quid milites pugnantes, quid venatores tubicnantes? Videas sub vno capite multa corpora, & sub vno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia præfert equum, capram trahens retrò dimidiam: hinc cornutum animal equum gestat posteriùs. Tam multa denique, tam miræ diuersarum formarum apparet vbique varietas, vt magis libeat legere in marmoribus, quàm in codicibus: totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in lege Dei meditando. Pro Deo, si non pudet ineptiarum, cur non piget expensarum? De aulis verò, & quibusdam aliis magnis gloriantur, quas ædificauerunt, domibus. Cum hæc sint loca irregularia, gemendum potius de eis esset, quàm plaudendum. Ibi enim sumptus in ædificando præcesserunt inutiliter, & pro reparando & tuendo ea à ruinâ & stitlicidiis exiguntur expensæ perpetuæ: dantque in magnum grauamen monasterij semper in antea Episcopis & Cardinalibus, Dominis, Regibus, & Principibus occasionem ibi placitandi, iudicandi, & inhabitandi diuturnè. Qui si sola in monasterio scirent loca esse regularia, saltem rariùs & breuiori tempore in eis moram traherent. Quod reuera

in maius cedere posset bonum monasterij; quàm loca, de quibus dictum est, possent proficere. Quantum autem hæc loca paupertatem Religiosorum, præsertim Mendicantium, pollere faciant, nouerunt qui hanc præ ceteris professi sunt. Quòd postremò de picturis quibusdam se iactant, quas procurauerunt, cum tabulis & imaginibus variis, tolerabile fortassis istud foret, aut minus impropere, si istæ essent Dei Sanctorum & moralium virtutum effigies, & positæ in Ecclesiâ. Sed istæ sæpè in priuatis reperiuntur habitaculis, non sub typo diuinarum imaginum; sed sub Sirenum & fimiæ schemate, sub hastilulorum & feminarum pænè nudâ imagine: ita ut ex his non modò perdatur Religionis deuotio, sed etiam castitatis minetur naufragium. Nec miretur quis, quòd in solutione ad hanc decimam quartâ quæstionem, nullam Scripturæ aut Doctorum auctoritatem allego; sicut ad alias, soluendo rationes, auctoritates Sanctorum produxi: quia omnia quæ nunc dicta sunt, luce clariùs, experientiâ teste rerum magistrâ, legi possunt; & videntur in practicâ in parietibus, in rerum temporalium dispendio, & in Religionis propè finali exterminio.

CAPVT XVIII.

Quando obiiciunt modum procedendi in reformatione ineptum; panditur quantâ calliditate se palliare consueuerunt vitiosi & hypocritæ: sicut faciunt Behemoth, lamia, draco, & ericius.

AD vltimum, quando in modo procedendi ad reformationem, calumniatur deformitatem: cùm enim quidam maligni per reformatores sibi vident nihil aliud, quàm quæ in regulâ & statutis vouerunt, præcipi, & eis omnia superiora soluuntur argumenta, eisque charitatiua in grauibus cærimoniis dispensatio danda promittitur; adhuc velut ericij callidi, quibusdam se vestiunt obiectionum, nescio quarum, spinulis, quibus aut tempus ineptum esse pro reformatione dicant, aut reformatores inscios esse terræ consuetudinis autumant, aut sæculares contra Clerum plus solito per reformationem concitari prophetant; aut ordinem tendendi ad reformationem accusant, aut alia figmenta cudunt: quæ, & similia, inordinatos modos nuncupant; quæ vix littera, aut recta ratio excogitare valeret in filiis lucis, quibus prudentiores sunt filij huius sæculi, scilicet in generatione suâ hac

pessimâ : quam non ambigo periculosius
 obsessam à dæmonibus , quàm eos qui ma-
 niâ tenti, vinculis alligantur ferreis. Talium
 callidorum hominum versutiam B. Grego-
 rius 33. Moraliū , squamis Behemoth &
 draconum naturæ , lamix , & ericiorum af-
 similat: Corpus, inquit, illius (scilicet Behe-
 moth) scuta fusilia ; compactū squamis sese
 prementibus fertur : quia draconis corpus
 squamis tegitur, ne citius iaculatione pene-
 tretur : ita corpus omne diaboli, id est mul-
 titudo reproborum , cū de iniquitate suâ
 corripitur , quibus valet tergiuersationibus
 se excusare conatur , & quasi quasdam de-
 fensionis squamas obiicit , ne transfigi sa-
 gittâ veritatis possit. Quisquis enim dum
 corripitur , peccatum suum magis excusare
 appetit , quàm deslere , quasi squamis tegi-
 tur , dum à sanctis Prædicatoribus gladio
 verbi Dei iaculatur, Sciendum tamen est,
 quòd istæ defensionum squamæ , quamuis
 penè omne humanum genus contegant ;
 hypocritarum tamen specialiter & callido-
 rum hominum mentes premunt. Ipsi ete-
 nim culpas suas tanto vehementius confi-
 teri refugiunt , quanto & stultius videri ab
 hominibus peccatores erubescunt. Cor-
 repta itaque simulatio sanctitatis, & malitia
 occulta reprehensa , squamas obiicit ; de-
 fen-

B. Greg.
 33. Mor.
 s. 31.

cap. 32.

fensionis & veritatis gladium depellit. Vnde benè per Prophetam contra Iudæam dicitur: *Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi re-* Iſa. 34. 14.
quiem, ibi habuit foueam ericius. Per lamiam ergo hypocritæ, per ericium verò malitioſi quique, qui ſe diuerſis deſenſionibus contegunt, deſignantur. Lamia etenim humanam dicitur habere faciem; ſed corpus beſtiale. Sic & omnes hypocritæ in primâ facie quod oſtendunt, quaſi ex ratione ſanctitatis eſt; ſed beſtiale eſt corpus, quod ſequitur: quia valde iniqua ſunt, quæ ſub bonâ ſpecie moliuntur. Ericij autem nomine, malitioſarum mentium deſignatur deſenſio: quia videlicet ericius, cùm apprehenditur, eius caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conſpicitur; ſed mox vt apprehenſus fuerit, ſemetipſum in ſphæram colligit, pedes introrſum ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manum totum ſimul amittitur, quod ſimul antè videbatur. Sic nimirum malitioſæ mentes ſunt, cùm in ſuis exceſſibus comprehenduntur. Caput enim ericij cernitur, quia, quo vitio peccator ad culpam acceſſerit, videtur. Pedes ericij conſpiciuntur, quia, quibus veſtigiiſ nequitia ſit perpetrata, cognoscitur. Et tamen adductis repente excuſationibus ma-

H s litioſa

litiosa mens introrsus pedes colligit; quia cuncta iniquitatis suę vestigia abscondit: caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse prauum aliquod ostendit, & quasi sphaera in manu tenentis remanet. Hęc ille. Ex premissis igitur solutionibus patet, quàm incassum sæculi huius homines moueantur contra lucis filios per argumenta callida. Quo contrà Apostolus clamat: *Nolite conformari huic sæculo.*



IOANNIS NIDER
DE
REFORMATIONE
RELIGIOSORVM
LIBER SECVNDVS:

In quo traditur modus reformandi.

CAPVT PRIMVM.

Proponit tria dubia, & primum soluit, scilicet quid sit forma seu pulchritudo, & quotuplex sit: nempe in naturâ, in gratiâ, & in moribus.

SVBI VNGIT autem: *Sed reformamini in nouitate sensus vestri.* In quo fidei cuiuslibet, potissimè tamen Religionem professo in approbatam regulam, regula viuendi datur; videlicet, vt actus & mores suos ad normam non sæculi, sed spiritus instituat. Ad vitæ siquidem moralis perfectionem, ob cuius introductionem, omnis fundatur Religio, duo exiguntur necessariò: innocentia, & iustitia. Quia
per

Chryf. sup.
Mat. hom.
28. tom. 2.

per primum declinatur à malo; & per alterum docetur facere bonum, dicente Chryfostomo in Opere imperfecto super Matthæum: Qui abstinet à malis, innocens quidem est; iustus non est, nisi iustitiæ opus impleuerit. In his itaque duobus vitæ consistit perfectio: in puritate seu munditiâ cordis, & in æquitate seu iustitiâ operis. Et pro istis tandem datur hîc & in futuro præmium virtutis. Quorum priora duo, Propheta, sed veriùs Deus in Prophetâ innuit, cum in quærit, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* respondet, *Qui ingreditur sine maculâ, & operatur iustitiam.* Cum autem Apostolus primò immaculatè se à sæculo custodire docuit, aptissimè nunc docet facere iustitiam, dicens, *Reformamini in nouitate sensus vestri.* In quibus tria docet, primò formam perditam reassumere, cum dicit, *Reformamini.* Secundò, reformationis actus disponere, cum ait, *In nouitate.* Tertiò, vtriusque subiectum agnoscere, cum subiungit, *Sensus vestri:* tam spiritualis videlicet quam corporalis. Pro intellectu primi, tria sunt quæstionatim notanda, primò quid sit forma, quam Apostolus reassumere præcipit; secundò quid sit reformari; tertiò per quæ deformati possint reformari.

Est

Est autem pro primi notitiâ sciendum, quòd forma, vt dicit Ioannes Ianuensis in suo Catholicon, idem est quod pulchritudo, dicta à formon, quod est calor, inde forma formæ, id est, pulchra dispositio. Propriè enim calor mouet sanguinem, & sanguis inducit pulchritudinem: inde formosus, cui calor sanguinis ex rubore causat pulchritudinem. Huic consonant dicta Vlrici de Argentinâ, in Summâ dicentis: Sicut forma est bonitas cuiuslibet rei, in quantum est perfectio desiderata à perfectibili: sic ipsa est pulchritudo omnis rei, in quâ tum est per suam formalem nobilitatem, vt lux splendens super formatum secundum Dionysium. vt patet per hoc quòd materia, ratione priuationis formæ, turpis vocatur à Philosophis; & desiderat formam, sicut turpe bonum, siue pulchrum. Ideò etiam pulchrum alio nomine vocatur speciosum à specie siue formâ. Augustinus dicit libro 6. de Trinitate, quòd Hilarius posuit speciẽ in imagine propter pulchritudinem. Et turpe vocatur deforme à priuatione debitæ formæ: quia verò lux formalis splendet tantum super formatum, cui proportionatur, ideò etiam pulchritudo materialiter cõsistit in cõsonantiâ proportionis perfectionis ad perfectibile. Hinc etiam S. Thomas super 4. cap. De diuinis nomi-

Ioan. Ianuensis.

Vlric. de Argent. l. 2. tract. 3. c. 4.

Aug. l. 6. de Trin. c. 10.

S. Tho. sup. 4. c. de diuin. nom.

nomi-

nomnibus dicit: Pulchrum in corporibus dicimus propter decentem proportionem membrorum in quantitate & situ, & propter hoc quòd aliquid habet clarum & nitidum colorem. Vnde proportionabiliter est in ceteris accipiendum, quòd vnumquodque dicitur pulchrum, secundum quod habet claritatem sui generis vel spiritualem, vel corporalem, & secundum quod est in debitâ proportione constitutum. Ex quibus & aliis elicit ibidem S. Thomas, quòd pulchritudo principalissimè, & primò ac formaliter est in Deo, teste Psalmistâ, dicente:

Pfal. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.*
 Pfal. 49. *Pulchritudo agri mecum est: meus est, inquit Deus, orbis terra.* A quâ pulchritudine primâ, secundò descendit species, decor & forma in Angelos, tertio in animas rationales, & vltimò in corporalia. Ex primo, inquit, pulchritudo provenit esse omnibus existentibus. Claritas enim est de consideratione pulchritudinis. Omnis autem forma per quam res habet esse, est participatio quædam diuinæ claritatis: & omnis forma est quædam irradiatio proveniens ex claritate primâ. Ex quibus liquet, quòd forma, species ac esse cuiuslibet rei, imò & lumen spirituale, idem sunt cum pulchritudine. Patet etiam, quòd in pulchritudine rerum

rerum, ordo est secundum sub, & supra. Patet insuper, quod pulchritudo & forma prima nobilius reperitur in spiritualibus, quam in corporalibus. Hinc est quod in Sacra paginâ triplicem formam principaliter reperimus esse in istis inferioribus. Vna est inferior, alia interior, & alia exterior. Inferior, est humana natura, de qua ait Legislator Genes. 2. *Plantauerat autem Dominus Gen. 2. 8. paradysum voluptatis, à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Hæc forma & rationalis anima est cum summâ sollicitudine sine deformitate seruanda. Primò, quia ad imaginem & similitudinē Dei Patris facta. *Creauit, inquit Scriptura, Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Ad imaginem Dei, creauit illum: masculum & feminam creauit eos.* Ad similitudinem quippe Dei: quia sicut Deus est vbi que in mundo, ita anima in toto corpore. Sicut Deus dat vitam partibus vniuersis: ita anima artibus humanis. Et sicut Deus se à rebus per sui influentiam subtrahens, omnia interire facit, ita anima à corpore separata, membra singula necem subire cogit. Ad imaginem verò Dei facta est anima, quia memoriâ intellectiuâ Deum, velut pater, potest concipere; intellectu potest anima verbum inde producere, & voluntate seu amore

amore

amore Deo perfectè adharere. Secundò, forma hæc sine deformitate seruanda est, quia in vnitatem personæ Filij Dei est assumpta; Apostolo hoc attestante ad Philipenses 2. vbi dicit: *Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed ex inaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* Vnde Leo Papa in Sermone de natiuitate Christi: *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem de generi conuersatione redire. Et iterum: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Tertio, forma hæc humana in omni sanctitate & munditiâ custodienda est, quia est habitaculum Spiritus sancti, vt Apostolus asserit 1. ad Corinth. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* & ibidem 6. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Sed heu plurimi hanc Dei nobilissimam humanæ naturæ formam, contra primum, in lutum auaritiæ proiiciunt, reos se facientes, velut hi qui bestias sequuntur. *Homo, inquit de talibus Psalmista, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ideò Apoc. 14. *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, bibet*

Phil. 2. 6.

Leo ser. 1.
de nat.
Christi cir-
ca fin.

1. Cor. 6. 15

1. Cor. 3. 17

Ibid. 6. 19

Psal. 48. 13

Apoc. 14. 9

bibet de vino ira Dei. Alij hanc pulcherri-
 mam formam animæ, quæ foror Christi fa-
 cta est, immundis & luxuriosis fœdant acti-
 bus, contra secundum. Quod conqueritur
 ita Ezech. 23. *Auxit Israël fornicationes* Ezech. 23.
suas: cumq; vidisset viros depictos in parie- 14.
te, imagines Chaldaeorum expressas colori-
bus, &c. insaniuit super eos concupiscentia
oculorum suorum. Alij de animæ templo
 mundissimo, dæmonum faciunt habitacu-
 lum ad superbiam, contra tertium. De quo
 Dominus conqueritur Ezech. 7. *Ornamenta* Idem 7. 14.
monilium suorum in superbiam posuerunt,
& imagines abominationum suarum simu-
lachrorum suorum fecerunt ex eo. Ex qui-
 bus patet iam, quæ sit forma inferior hu-
 manæ naturæ.

Est secundò alia forma interior maioris
 longè pulchritudinis, videlicet gratia gra-
 tum faciens, quâ veri Dei serui, imò filij ef-
 ficimur & heredes. De quâ Isaïæ 44. Domi-
 nus dicit; *Formavi te, seruus meus es tu Is-* Isa. 44. 21.
raël: ne obliuiscaris mei. & ibidem 43. *Po-* Idē. 43. 21.
pulum istum formavi mihi, laudem meam
narrabit. Hæc forma diuinæ gratiæ mul-
 tum est custodienda ex ratione triplici: quia
 videlicet veram dat vitam animæ: quia per-
 fectum adfert decorem viæ: & consumma-
 tionem perfectam donat patriæ. Veram dat

vitam animæ, quia sine eâ nullus in Dei filium ex filio Adæ generari potest. De quâ forma loquitur Doctor gentium ad Gal. 4. Gal. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Glossa: Id est, formosus sit informis in vobis, ut scilicet recipiatis similitudinem eius, quam vestro vitio perdidistis. Dat hæc forma decorem viæ, quia summè formoso conformat: sicut ceræ impressio, quæ conformat ceram sigillo. Christus autem est speciosus formâ præ filiis hominum, in cuius labiis super omnes diffusâ est gratia: quam habentes, ut ad Rom. 8. 29. man. 8. dicitur, *præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Dat etiam hæc forma gratiæ consummationem perfectam in patriâ: quia usque ad gloriam eleuat. Sicut enim corpus non potest per naturam corpoream, quod potest tamen per virtutem animæ: sic anima non potest per facultatem propriam id, quod tamen valet adipisci per gratiam; scilicet cælestem patriam. Vnde Christus animam vocat, Cant. 2. 10. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Est etiam tertio alia forma, scilicet exterior: vita scilicet exemplaris, de quâ ad Philip. 3. *Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* vbi

vbi Glossa: Imagines vite nostre, scilicet qui ita credunt, viuunt, & docent, sicut ego, mihi similes imitamini. Et in istâ formâ, & in præcedenti formâ gratiæ, fundatur forma cuiuslibet approbatæ Religionis seu Ordinis, quæ consistit in regulæ alicuius & statutorum professione debitâ: talia enim sunt forma Religionis. Et sic patet primùm, quid sit forma, quam Apostolus innuit, iuxta quam etiam reformari necessarium est.

CAPVT II.

Respondet ad secundum: quid sit reformare definit. Quomodo quilibet Ordo quasi ex materiâ componatur & formâ. Quantum decor sit in reformato monasterio: & è contrâ quanta turpitudine in deformato.

AD intelligendum verò quid sit reformari vel reformare, (quod erat secundum quæsitum) aduertendum, quòd reformare tria hæc importat; scilicet formæ præcedentis existentiam, eiusdem formæ secutam esse carentiam, & nouæ formæ ad instar deperditæ formæ introductione & præsentiam: vnde reformatio est formæ alicuius deperditæ denua introductio. Forma autem cuiuslibet Religionis approbatæ seu confirmati Ordinis, vel plurimùm ex duabus

principaliter integratur partibus: ex regulâ scilicet per Ecclesiam approbatâ, & ex constitutionibus pro moribus & cęrimoniis aliquorum ritę editis. Sicut etiam species apud Logicos integratur ex genere & differentiâ. Regula enim se habet per modum generis, & constitutio loco differentię. Exempli gratiâ: Regula B. Augustini est communis Ordinibus Prędicatorum, Eremitarum S. Augustini, Pręmonstratensium, Paulitarum, & similibus, qui omnes profitentur eandem regulam, nec in hoc differunt. Sed pro singulis Ordinibus pręfatorum Religiosorum sunt formatę constitutiones quędam in incessu, in victu, amictu, ritibus & cęrimoniis, quibus inter se causant differentiam. Et ita dici potest de regulis approbatis aliis Patrum beatorum, Basilij, Benedicti, & Francisci. Quibus religionum formis, velut morum imaginibus pulcherrimis, olim Ecclesia fuit tam in viris, quàm in feminis decorata decentissimę. Sic etiam iuxta vaticinium Dauidicum, *Astitit regina Ecclesia Christo regi suo à dextris in vestitu deaurato charitatis, circumamicta Religionum distinctarum varietate.* Sic Ecclesia eadem per Sponsum suum crebrò regno cęlorũ comparari consuevit, in quo velut in cęlis corporeis, splendet sol Papalis dignitatis: luna
lucet

Psal. 44.

lucet maiestatis Cæsareæ, planetarum eminentia præsentatur per Episcopos, & stellarum minorum situs pulcherrimus designat Clericorum & Religiosorum distincta officia & varios Ordines. Quid etiam in materiali monasterio queat esse ordinatius & rationali visui delectabilius, quàm intueri castitatem in dormitorio, temperantiam in refectorio, iustitiam in capitulo, in scholis prudentiam, in infirmitorio patientiam, in claustro silētium, in coquinâ parsimoniam, & in choro ac in ecclesiâ cuiuslibet deuotionis exercitia? Quid insuper, si verorum Religiosorum exteriores libet inspicere mores, eisdem potest esse pulchrius? vbi paupertas Christi videtur in vestitu, modestia in verbo, verecundia in visu, in incessu grauitas, hilaritas in facie, & nihil in motu quorumcumque artuum, quod cuiusuis posset aspectum offendere. Videbis certè, si gregem talium mentis oculis contempleris intrinsecus, quosdam Abel quodammodò conseruasse innocentiam; alios Enoch tenere munditiam; alios in opere, tolerantiam Noë ostendere; alios perfectam Abrahæ gerere obedientiam; alios in sustinendo malos, Ioseph prætereundam patientiâ; alios opportunitate studij cum Dauid legem Dei die ac nocte meditari; quosdam tenere mansuetudi-

nem Moysis, quosdam habere zelum Eliæ, quosdam cum Eliseo & suis Prophetis extremam pro Christo tolerare paupertatem, quosdã in verbo prædicationis feruere cum Apostolis, quosdam diuersarum infirmitatum tolerantiam participare cum Martyribus: quosdam corpus castigando, Confessoribus se conformare; & quosdam decoræ pudicitie aureolam mereri cum Virginibus.

Hanc Religionis pulchritudinem, in quocumque sit Ordine, B. Bernardus in Apologético suo, tunicæ Ioseph polymitæ assimilât: Non, inquit, sum tam hebes, vt non cognoscam tunicam Ioseph. Notissima quippe est: quia polymita est, id est, pulcherrimã varietate distincta. Omnes igitur pariter occurramus in vnã tunicam: & ex omnibus constat vna, ex omnibus, inquam, vna. Cur ergo, inquis, Ordinem illũ, scilicet Cluniacensium, non tenes, si sic laudas? Sed audi, diuersis morbis diuersa conueniunt medicamenta. Vnum opere teneo, ceteros charitate. Faciet autem charitas, fidenter loquor, vt ne illorum priuer fructu, quorũ instituta non sequor. Hæc ille. Igitur hæc est forma, decor, species, & pulchritudo, quæ inesse debet approbatis Ordinibus, ad quam certè eorũ regulæ & constitutiones omnes dinoscuntur tendere; quamq; formã & pulchritudinem

Bern. in
Apolog.

dinem reassumere, si est perdita, aut tenere
 firmiter si inest, tam solerter præcipit Apost.
 cum dicit: *Reformamini in nouitate sensus
 vestri.* Sed, heu, Religionis forma decentif-
 sima penè iam in multis perdita est Religio-
 nibus. *Quomodo obscuratum est aurum,* iux- Thren. 4. r.
 ta Prophetæ Threnos, *mutatus est color op-
 timus, dispersi sunt lapides sanctuarij in ca-
 pite omnium platearum? Filij Sion inclyti &
 amicti auro primo, quomodo reputati sunt
 in vasa testea?* Et quamuis hîc plus flere
 liberet & flere, quàm aliquid dicere; tamen
 cum Isaiâ zelo domus Dei cogor clamare:
Omne caput languidû, & omne cor marens. Isa. r.
*A plantâ pedis vsque ad verticem capi-
 tus, non est in eo sanitas. Derelicta est filia
 Sion vt umbraculum in vineâ, & sicut tu-
 gurium in cucumerario, & sicut ciuitas que
 vastatur.* Vides enim, si deformatum intras
 monasterium, in quibusdam, sicut in Cain
 fraternâ inuidiam; in aliis Lamech incon-
 tinentiam; in aliis, per artium mecnica-
 rum vsum, filiorum Cain auaritiam: alios
 cum Cham paternam irridere insufficien-
 tiam: quosdam cum Nemroth primatum
 appetere: alios conrixari cum Loth pastori-
 bus: alios Ismaëli similes, Isaac domesticum
 contemnere: alios cum Esau guloso, Iacob
 irridere propter maternam obedientiam: &

quod deterius est, quosdam, qui Ioseph imitari student innocentiam, accusari per inuidos apud patrem crimine pessimo. At si exterioris hominis in monacho vis deformitatem aspicere, reperies inter cœnobij supposita, in capitis vertice tonsuram indebitam, in visu petulãtiam, in linguã effrenem, in ore gulosum, manu instabilem, secularem vestitu, mimum visu, ac incessu velut militem. Et vt verbis vtar Hugonis venerabilis, in deformato monasterio omnia reperies, per quẽ Religionis forma corrumpitur: quia ibi Prælatus negligēs, discipulus inobediens, otiosus iuuenis, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, & circa altare irreuerentia. Si verò aliquis formam Religionis antiquæ inter peruersos renouare gestiat per bonorũ operum exercitia, vix credi potest, quãta talis sustinere habeat opprobria à maleuolis: quia, vt B. Bernardus ait in Apologetico, à talibus parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Et è contrà, remissio, discretio creditur; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, iucunditas; mollities vestimentorum, & equorum fastus, honestas, ac lectorum superfluus cultus, reputatur munditia.

Dicere

Hugo li. 2.
de claustr.
anim. c. 11.

B. Bern. in
Apol. cir.
med.

Dicere potest quisque deuotus hodie Religiosus, quem zelus domus Domini comedit, præfatas deformitates intuens, illud Ieremæ 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & Ierem. 9. r. oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei? Omnes adulteri sunt & cætus præuaricatorum. Confortati sunt in terrâ, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Vnusquisque se à proximo suo custodiat: & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur; ut iniquè agerent, laborauerunt. Nouit Omnipotens, norunt etiam Deum timentes hodie Religiosi; quàm completum sit hodie in multis monasteriis præactum Prophetæ oraculum. Manifestum est itaque, quid sit formæ Religiosæ priuatio, quæ sit Religionis forma, speciositas, & quid sit reformare.*

CAPVT III.

Mouet triplex dubium: & primum soluit, docendo quid sit status Religionis; unde Religio dicatur; & quomodo tria substantialia Ordinis contrariantur tribus vitiis principalibus.

RESTAT igitur quæstionis tertiæ solutio, vbi quærebatur per quæ media possint deformati reformari. Pro cuius intellectu sunt tria dubia præcipuè notanda. Primo, quid status Religionis in summâ importet. Secundo, quare reformare sit difficile & arduum. Tertiò, quâ sit reformatio eam procurâti meritoria. Quoad primû notandum, quòd Religionis alicuius status tripliciter considerari potest, aut quoad exteriorem habitum, aut quoad interiorem animû, aut quoad votorum principalium essentiam. De primis duobus sic dicit Anselmus lib. De similitudinibus: Duo quippe Ordinis sunt genera: vnum, quo exterius Religiosus videtur: aliud, interius quo Religiosus habetur. Exterius factitij, interius naturalis est Ordinis. Exterius homines honestis de causis repererunt: interius virtutibus personæ diuinæ naturaliter appetere instituerunt. Sic est inter Ordinem factitium & naturalem, quo

Anselm. de
similit.
cap. 90.

cap. 91.

quo modo inter corrigiam & sotularem. Corrigia namque sola colligata pedi, nullo est munimento pedi: imò magis inconueniens esse videtur, si sibi sola circumligetur. Sotularis verò, etiam solus pedem munit, fatisque decenter conuenit ei: ne tamen cadat vel tortus fiat, necessaria sibi est corrigia, vt ligetur ex eâ. Sic reuera factitius Ordo, nihil solus prodest, sed magis dedecet. Decet igitur, vt quod ostendit exterius, studeat etiam habere interius. Nihil enim panè exterius habet in habitu, vel professione, siue consuetudine, quod non eum commoueat aliquid interius habere: quòd enim nigras vilesque vestes habeat, vt se vilem reputet & peccatorem, admonet. Quòd verò eisdem cap. 92. à capite vsque ad pedes regitur, hoc eum facere à principio vitæ vsque ad finem hortatur. Hæc est enim talaris tunica & polymita, quam filio suo Ioseph fecisse legitur Iacob Gen. 37. 3. Patriarcha. Quòd autem eadè in modum sunt crucis, eum semper habere commonet memoriam Dominicæ passionis. Corona cap. 93. denique capillorum, eum esse sacerdotem, & regem demonstrat, vt regis officium gerat & sacerdotis, quo hircû mactet immunditiæ, & sic de ceteris bestiarum vitiis.

De tertiâ consideratione status Religio- S. Thom.
nis tradit sanctus Doctor 2.2. qu. 186. Status 2.2. q. 186.
Reli- art. 7.

Religionis ex tribus votis integratur: paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ, secundum approbatam regulam & statuta aliqua. Per quæ, tamquam per gradus ad charitatem, velut ad perfectionis finem, quilibet talis profitens tenetur tendere. Consistit enim perfectio hominis in hoc, quod Deo totaliter posse tenus inhæreat per charitatem. Dicitur enim & nominatur Religiosus à Religionis virtute, per quam aliquis ad Dei seruitium & cultum aliquid exhibet. Inde antonomastice Religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipauerunt diuino officio. Et vt ait Ioannes Ianuensis in Catholicon, Religio à relego relegas dicitur, quia nos relegat ad Dei seruitium vel cultum. Vel Religio dicitur à relego relegis, quia religiosi relegunt & retractant quæ Dei sunt. Vel dicitur Religio à rigeo, quia rigida sit. Vel Religio est appellata, quia per Religionis virtutem religamus vni Deo animas nostras ad cultum diuinum vinculo seruiendi.

Ioannes
Ianuens.

Habet itaque, vt S. Thomas vbi prius dicit, Religionis status tria attendere, & potest considerari tripliciter. Vno modo, secundum quod est quoddam exercitium tendendi ad perfectionem charitatis. Alio modo, secundum quod animum hominum ab exterioribus sollicitudinibus quietat seu abstrahit,

trahit, secundum illud 1. ad Corinth. 7.
Volo vos sine solitudine esse. Tertiò, secun- ^{1. Cor. 7.}
 dum quod est quoddam holocaustum, per ^{32.}
 quod aliquis totaliter se & sua offert Deo.
 Et secundum hoc, ex his tribus votis inte-
 gratur Religionis status. Primò enim, quan-
 tum ad exercitium perfectionis, requiritur
 quòd aliquis à se remoueat illa, per quæ pos-
 set impediri ne totaliter eius affectus tendat
 in Deum, in quo consistit perfectio charita-
 tis. Huiusmodi autem sunt tria: primò qui-
 dem cupiditas exteriorum bonorum, quæ
 tollitur per votum paupertatis: secundum
 autem, est concupiscentia sensibilibium dele-
 ctationum, inter quas præcellunt delectatio-
 nes Veneræ; quæ excluduntur per votum
 continentia: tertium autem est inordina-
 tio voluntatis humanae, quæ excluditur per
 votum obedientia. Similiter autem solici-
 tudinis sæcularis inquietudo præcipuè inge-
 ritur homini circa tria: primò quidem, circa
 dispensationem exteriorum rerum; & hæc
 solitudo per votum paupertatis homini
 aufertur: secundò, circa gubernationem
 vxoris & filiorum; quæ amputatur per vo-
 tum continentia: tertiò, propter dispositio-
 nem priorum actuum; quæ amputatur
 per votum obedientia, quo quis se alterius
 dispositioni committit. Similiter & holo-
 caustum

Greg. sup.
Ezech.
hom. 20.

Aristot.
1. Ethic.
c. 8. & lib. 7.
c. 13.

caustum est, cum aliquis totum quod habet Deo offert, ut Gregorius dicit super Ezechielem. Habet autem homo triplex bonum, secundum Philosophum 1. Ethicor. Primò quidem bonum exteriorum rerum, quas totaliter quis Deo offert per votum paupertatis voluntariæ. Secundum est bonum proprii corporis, quod aliquis præcipuè offert Deo per votum continentia, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium bonum est animæ, quod aliquis Deo offert per obedientiam; quâ quis offert Deo voluntatem propriam, per quam homo vitur omnibus potentiis & habitibus animæ. Et ideo conuenienter ex tribus antedictis votis, status integratur Religionis. Ex quibus patet quis sit Religionis status, quid nomen Religionis designet, & quare sibi tria principalia vota appropriet.

CAPVT IIII.

Ostendit ex quinque causis, quàm sit difficile reformare; & duas primas declarat: tum scilicet, quia magni vix hoc obtinuerunt, ut Christus in suo monasterio, Esdras in templo, & Patres quorundam Ordinum: tum quia Religiosi lapsi deteriores aliis sunt.

QVARE autem reformare Religionem lapsam, sit difficile, respondetur, quòd propter

propter quinque: videlicet, quia magni vix hoc obtinuerunt: quia lapsi Religiosi amplius bono quàm mali resistunt: quia demones & mali homines hoc multum præpediunt: quia consuetudo & natura peruersa ad contrarium gestiunt: & quia astuti homines obiectiones callidissimas opponunt. Magni quidem vix obtinuerunt Religionis formam; quatenus eam primò introducerent: & vix valuerunt eam post lapsum reinducere, vt patet primò in Christianæ religionis exordio, & etiam in reformatione caerimoniarum Testamenti veteris. Nam tria substantialia certum est Christum habuisse, Apostolos, & primitiua Ecclesie plurimos. De paupertate patet Matth. 19. *Si vis* Mat. 19. 21 *perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et, *Ipse egenus factus est, vt eius inopiã ditaremur*, dicit Apostolus 2. Corinth. 8. Et Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres* Mat. 8. 20. *celi nidus; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* De castitate, fidei non licet ambigere, quam docuit Mat. 19. cum ait: *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum celorum: qui potest capere, capiat.* De obedientiã ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens* Phil. 2. 8. *vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

Fuit

Fuit igitur Christus Religiosus primus perfectissimus. De Apostolis, quòd ista seruauerunt, patet in decursu Euangelij: nam vertex

Mat. 19. 27 eorum dicit Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* De eorum castitate patet ex eodem testimonio: quia qui dicit omnia, nihil videtur excipere. Et de Ioannis cælibatu virgineo apertè testatur

Hieron. in ita Hieronymus in Prologo super Ioannem: Prol. sup. Ioan. Hic est Ioannes Euangelista, vnus ex discipulis Domini, qui virgo electus à Deo est, quem de nuptiis, volentem nubere, vocauit Dominus. De obedientiâ verò eorum, testimonium perhibet Christus Ioan. 17. vbi ait: Ioan. 17. *Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.*

Hæc ergo Christi schola prima, fuit omnis Religionis forma. Christus fuit Prior, Petrus Supprior, Iudas Procurator. Eandem Religionis formam imitata est magna multitudo fidelium in primitiuâ Ecclesiâ.

Act. 2. 44. Nam Act. 2. de paupertate dicitur: *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. De castitate patet in viduarum multitudine, & in B. Stephano virgine, qui illis præerat Act. 6. Imò vt refert

Act. 6. Euseb. li. 7. hist. Eccles. c. 15. & 16. Eusebius in historiâ Ecclesiasticâ, tempore B. Marci

B. Marci circa Alexandriam, multæ & magnæ fuerunt cōgregationes Christianorum vtriusque sexus, virginitatem & castitatem seruantium, & tria principalia Religionis tenentium. Et B. Dionysius, qui tempore Apostolorum fuit, recitat de monachis in quibusdam suis libris; & epistolâ quamdam scribit ad Demophilum monachum. Porro de obedientiâ primitiuæ Ecclesiæ dicitur Actor. 2. *Erant perseuerantes in doctrinâ Apostolorum.* Hanc autem Religionis formam à multis postmodum perditam, vix magni viri potuerunt reducere. Patet hoc tam in reformatione Testamenti veteris, quàm noui. Nam templum Ierosolymis destructum, quod per Zorobabel reedificari cœpit, & in septem annis compleri potuit, in quadraginta sex annis primò completum est, impredientibus malis hominibus, vt patet infrà cap. 12. Sic muri Ierusalem, qui postmodum per Neëmiam cœperunt reformari, in duobus annis & quatuor mensibus, cum maximis periculis, laboribus, & insidiis Neëmiae intentatis, sunt completi. vt patet Neëmiae per totum. Habuit enim tria magna impedimenta ipse Neëmias, & opus. Primò, quia finitimæ nationes in manu forti aggrediebantur eos. Neëmias enim mediam partem populi armatam statuit extra

B. Dionys.
c. 6. Eccl.
Hierarch.
& ad Demophil.

Act. 2. 42.

K

ciui-

ciuitatem, vt sustinerent impetus aggredien-
 tium: alia verò media ædificabat, vnâ manu
 ponens lapidem, & aliâ gladium tenens. Se-
 cundum impedimentum fuit; quia ortâ fa-
 me, pauperes se diuitibus per vsuras graua-
 runt, deinde vendiderunt agros, oliueta,
 vineas, ac tandem filios & filias: ex quo or-
 tum fuit murmur. & vix Neëmias compu-
 lit diuites vsuras & possessiones pauperibus
 fratribus restituere. Tertium impedimen-
 tum; quia Principes trans flumen Iudæos
 seniores quosdam in Ierusalem muneribus
 corruperant, vt Neëmiam interficerent.
 quod cum facere nequirent, eum terrue-
 runt, vt desereret reformare. In reformatio-
 ne etiam legis noui Testamenti idem patet.
 Quanta enim Christus pro fundatione suæ
 Religionis sustinuerit cum Apostolis, docet
 Euangelistæ, vt patet in suis persecutionibus
 à Pharisæis & gentibus vsque ad mortem
 intentatis sibi, & tandem discipulis. Intue-
 mur eandem difficultatem in Patrum Re-
 ligiosorum gestibus, vt beati Antonij labore
 maximo, qui primus Pater monachorum
 fuit suo tempore, vt tradit B. Hieronymus
 in descriptione actuum Pauli primi Eremi-
 tæ. Et post hunc Antonium, omni perfectio-
 ne plenam ex Scripturæ abditis regulam cu-
 dit B. Pater Basilus. Patet eadem difficultas
 refor-

Hieron. in
 actib. Pauli
 cir. princ.
 tom. I.

fuit suo tempore, vt tradit B. Hieronymus
 in descriptione actuum Pauli primi Eremi-
 tæ. Et post hunc Antonium, omni perfectio-
 ne plenam ex Scripturæ abditis regulam cu-
 dit B. Pater Basilus. Patet eadem difficultas

refor-

reformati à B. Ioanne Chrysoftomo, qui propter normam viris Apostolicis debitam, quam seruare voluit sui Archiepiscopatus clericos, per eosdem binâ vice à sede sui Præfulatus deiectus est, & tandem in exilio vitâ functus est, vt latè ponit Cassiodorus in tripartitâ Historiâ. Quid reformationis gratiâ B. Hieronymus, quem constat Religionis regulam edidisse, saltem feminis, in Vrbe sustinuerit à falsis clericis; quid pertulerit à Religionis æmulis, cum in Bethleemitico scriptitaret monasterio; non silent eius Legenda, & Prologi sui in Biblia: nam à quibusdam maleficis, ab aliis Origenista, à reliquis variis lacerabatur detractionibus. Proinde beati Augustini temporibus, referente Posidonio, cœpit idem Augustinus viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam; quam regulam vocatis hodie Canonicis regularibus, & aliis fratribus in eremo, seruandam tradidit. Scripsit itidem sanctæ Religionis regulam & formâ B. Benedictus, quam fictis Religiosis sui temporis cum imponere voluit, mortis poculû à falsis sibi propinatum fratribus, pro vitæ sumpsit subsidio. Quantas prætereà idem Pater dæmonum sustinuerit insidias & molestias in se & in suis fratribus, si quis scire voluerit, legat B. Gregorij 2. librum Dialogorum.

Cassiodor.
lib. 10. hist.
tripar. c. 13.
14. 15. 16.
17. & 18.

Posidon. de
vitâ Aug.
cap. 5.

Gregor. l. 2.
Dial. c. 1.
2. 8. 9. 10.
11. 19.

K 2

Porro

Porro postquam sub eadem beati Benedicti regulâ per orbem longè lateque diffusâ, monachi in locis pluribus ferè primam formam perdidissent viuendi, de Molifmensi monasterio viginti & vnus monachi cum Patre ipsius monasterij Roberto exierunt: & quatenus vota, quæ distinxerunt labia sua Deo, secundum regulam B. Benedicti redderent, post multos labores, & difficultates nimias, (quas omnes piè in Christo viuere volentes pati necesse est) venerunt ad locû tunc horroris & vastæ solitudinis, Cistertium, & eundem locû reformati inhabitare cœperunt. Multipliciter tamen postmodum à suis vexati, vt in Abbate eorum deuotissimo patuit Roberto, quem Molifmenses monachi ad idem monasterium litteris Papalibus redire cœgerunt, vt ponit Vincentius in Speculo historiali lib. 25. Postremò, mundo vergente ad occasum, cum propter temporalium possessionum curam & sollicitudinem, iam Episcopi prædicare & verbû Dei seminare in multis cessauissent partibus, & Religiosi aucti essent plurimum, partim reformati, partim etiam viuentes à primâ Christi regulâ deformiter, populûsque famem verbi Dei pateretur maximâ, messis quidè esset multa, sed operarij pauci, venerunt missi diuinitus beati Patres Dominicus & Franciscus.

Quo-

Sur. 29.
Apr.

Vincent. in
Spec. hist.
l. 25. c. 4.
44. 45.

Quorum hic regulam nouam condidit suis; ille verò sub B. Augustini regulâ paucis à se additis cõstitutionibus reformare nisus est, & formam præteritam reducere. Vterque autem Patrum, vitæ Christi & Apostolicæ se & suos conformare studuit. Quæ enim vita fuit Christi & Apostolica, nisi in paupertate voluntariâ viuere, pedes circuire non eques vicos & castella, euangelizare pauperibus, & nedum sibi viuere, quemadmodum facere videntur plurimi, sed etiam peccatores vocare à suis facinoribus? Quæ certè officia saluberrimè noscuntur exercuisse dictorum duorum Patrum Ordines in Dei Ecclesiâ, non tamen sine multimodâ iniquorum hominû persecutione & maleuolentiâ. Ex quibus omnibus patet reformandi difficultas.

Ostenditur idem secundò ex lapsu Religiosorum, qui ex eo deteriores aliis efficiuntur vt plurimum. Sententiæ huius dudum B. Augustinus fuisse dinoscitur, quando dixit se non vidisse meliores, quàm eos qui in monasteriis profecerunt; nec peiores his, qui ibidem defecerunt. Cuius rei euidentia claret in præcipuis Ecclesiæ Doctoribus & sanctissimis, puta, Magno Basilio, Gregorio Nazianzeno, Augustino, Hieronymo, Papâ Gregorio, Bedâ, *Robano, Thoma de Aquino, & similibus. Et è diuerso, in Iuliano

Aug. epist.
137. to. 2.

* Rabano,

peruersissimo, primùm monacho & clerico, postmodum verò apostatâ à fide, tyranno & malefico, cuius gesta satis in Tripartitâ textur historiâ. Religiosi enim & alij clerici mali, difficiliùs quàm grossi sæculares conuertuntur ad bonum. Docuit hoc Euangelica historia, in quâ reperimus sacerdotes hypocritas, qui sanctitatis figuram solùm pratendebant specie tenus, Christum cum suis discipulis vsque ad mortẽ plus aliis persecutos fuisse. Causam autem dicti assignat Chrysostronus, vbi dicit: Coërceri omnino nequit animus, prauâ semel voluntate vitiat: quia scelus sapere nescit, & ira confilium non habet. Et iterum super Matth. Sicut, inquit, ignis quanto ampliùs ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic anima mala quanto magis veritatem audierit, eo ampliùs in malitiam excitatur. Nec putandum, quòd in reformatione solùm resistant Religiosi de publicis vel grauibus facinoribus norati: sed nonnumquam nocent ampliùs hi, qui talibus vitiis carent, specie quadam tepidæ Religionis decori, Talibus enim citiùs per simplices creditur, qui speciem sanctitatis habent forinsecus, conuersari sciunt fauorabiliter in esculentis & potibus cum huiusmodi hominibus. Et tanto ampliùs nocent reformationi, quanto
eis

Chryf. ho-
mil. 2. oper.
imperf. cir.
finem.

Chryf. sup.
Matth.

eis ab inexpertis sæcularibus citius creditur,
 quidquid contra reformationem dixerint,
 eò quòd non videntur manifesta procurare
 scandala. Talibus propriissime, vt dicit Cas- Calsian.
collat. 4.
cap. 19.
 sianus in Collationibus Patrum, congruit
 illud, quod Iudex strictissimus Apocalyp. 3.
 dicit, improperat, & minatur Laodicensi
 Ecclesiæ: *Scio opera tua, quia neque frigidus* Apoc. 3.
es, neque calidus. Utinam frigidus esses aut
calidus! sed quia tepidus es, & nec frigidus
nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo:
quia dicis, Diues sum & locupletatus, &
nullius egeo: & nescis quia tu es miser, &
miserabilis, & pauper, & cecus, & nudus.

CAPVT V.

*Declarat residuas causas difficultatis refor-
 mandæ: videlicet, quia mali hoc multipli-
 citer impediunt: quia consuetudo & na-
 tura corrupta tendunt in contrarium, &
 quia astuti homines acutissima argumen-
 ta formant in contrarium.*

OSTENDITVR difficultas reforma-
 tionis tertio ex eo, quia hanc dæmo-
 nes & mali homines multum impediunt.
 Hac de causâ Antonium reformatorem pri-
 mum status monastici, dæmones leguntur,
 in vitis Patrum, similiter alios ei contem-

poraneos Patres, persecuti esse atrociter. Idem in monte Cassino & alibi intulerunt B. Benedicto, in suæ Religionis exordio. Patres persecutiones temporibus B. Dominici & Francisci ingesserunt maligni spiritus, nunc minando lapidum ictibus, nunc tectorum ecclesiæ intentatis lapsibus, nunc pro minimis peccatis fratrum illabendo corporibus: nunc etiam ut à cœpto deterrent, in terribilissimis apparuerunt deformitatibus, prout Patrum Prædicatorum diffuse canunt Legendæ. Et quæ olim dæmones contra reformationem procurauerunt in assumptis corporibus; hæc nunc, sicut aliquando in præcis temporibus, procurant periculosius per falsos Christicolas, in quibus plus nocet domesticus hostis. Sic tempore B. Benedicti, propter cuiusdam presbyteri nomine Florétini malitiam, qui, prope dicti Patris monasterium, mulierum procacium ludos procurasse legitur, cum filiis Pater locum coactus est dimittere, ut testatur B. Gregorius 2. lib. Dialog. Tales sanctæ reformationi obicem ponentes, sunt araneis similes, quæ retia texere solent* minutis & animalibus innocentibus, ut ait Cassiodorus super illud Psalmi, Anni eorū sicut aranea meditentur: Malignitatem, ait, vitæ eorum similitudo declarat. Aranea est animal tenue

B. Greg.
1.2. Dial.
c.8.
* muscis
Cassiod. in
Psal. 89. ci-
tatur.

ac debilissimum, quod transeuntibus volatilibus quædam retia dolosa contexit: sic anni eorum, qui sceleratis operibus dediti sunt, inanibus & subdolis machinationibus occupantur. Taliter bona impediunt sunt scandalizatores, contra quos Dominus dicens Matth. 18. multa vœ minatus est: *Væ, Mat. 18. 7. inquit, mundo à scandalis. Et qui scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

Ostenditur etiam quartò reformationis difficultas ex eo, quòd consuetudo & corrupta natura tendunt in contrarium, scilicet virtutis & regularis obseruantia, propter vsum peccati. Consuetudo enim transgrediendi metas iustitiæ, multipliciter lædit: quia in transgressione transgredi mandatù, legem putat: potentias animæ ad malum vinculat, hominem voluptate cæcat, iuuentutem inficit, & senectutē necit ad malum. Transgressionem quidem facit legem putare: quia, vt experientia docet, communiter omnes, qui ad rationem ponuntur, cur regulam & statuta non seruent, allegant consuetudinem pro lege. Quæ tamen consuetudo, prout in sequentibus ostendetur, potius est corruptela nuncupanda. Isto modo

idololatria per venerationem mortuorum in suis imaginibus, est in mundum totum olim introducta. Vnde Sapien. 14. *Interueniente tempore, conualescente iniquâ consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorū impia colebantur figmenta.*

Aristot. 3.
Ethic. c. 5
circ. med.

Judic. 16.
v. 21.

Consuetudo, animæ potentias ad malū vinculat; ideò dicit Philosophus 3. Ethic. quòd habitus mali postquam sunt generati, non subiacent voluntati, scilicet ad statim extirpandum: licet secundum fidem, ad peccatum delendum, cum gratiâ liberum arbitrium sufficiat. Et tamen eidem habitus mali dicuntur voluntarij à principio: quemadmodum proiciens lapidem, non habet in suâ potestate, iam proiectum resumere; projectio tamen dicitur voluntaria, quia in ipso fuit mittere & non mittere à principio. Ita & de sponte cadente in foueam profundam explicari potest. Figura huius est in Sampsonne, quem voluntariè amore copulatum malæ feminæ, Philisthiim ceperunt; captum & vinctum catenis ac cæcatum, in carcere molere coegerunt. Consuetudo homines voluptate suâ cæcat: quamquam enim homines duplici de causâ tententur, videlicet propter experientiam voluptatis prohibitæ, & propter experientiam voluptatis ignoratæ; tamen longè molestius inclinantur

tur

tur experti, quàm inexperti, propter impressionem voluptatis memoratæ: imò adeò in peccatum proiicit, vt quis inde exire propter delectationem quodammodò conatâ velut insensatus non labore. Ideò à sanctis, peccans ex consuetudine, sepulto foetenti assimilatur Lazaro iam quatruiduano. Ad quam sepulturam his gradibus transit, vt primò, per tentationem & cogitationem de peccato distemperetur: secundò per concomitantem delectationem infirmetur: tertio, per consensum moriatur: quartò, per culpæ defamationem ab aliis abominetur, & de domo quodammodò asportetur & elongetur: & quintò, per consuetudinem sepeliatur. Vnde B. Augustinus: Lex peccati est violentia consuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam inuitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Et ibi de seipso subdit, loquens de statu suo, in quo ante Baptismum erat: Suspirabam, inquit, ligatus non ferro alieno, sed meâ ferreâ volûtate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersâ facta est libido; & dum feruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Consuetudo etiam iuuentutem periculosissimè inficit, allicit, & inuadit. *Adolescens*

Aug. lib. 8.
confess. c. 5.

Prou. 22. 6. *scens enim iuxta viam suam, etiam cum se-*
nuerit, non recedet ab eâ, ait Salomon Pro-

Beda. uerbior. 22. vbi Glossa Bedæ: Græca nar-
 rat historia potentissimum regem, orbisque
 dominatorem, scilicet Alexandrum, & in
 moribus & in incessu Leonidis pædagogi
 sui non potuisse carere vitiis, quibus pueru-
 lus imbutus erat. Consuetudo enim in iu-
 uentute acquisita, etiam retentatur facilius
 succedente tempore, iuxta illud;

Quod noua testâ capit, inueterata sapit.

B. Greg.
 1. Moral.

Consuetudo postremò senectutem grauissi-
 mè necit, imò necat, attestante B. Gregorio
 lib. Moral. Tenent, inquit, prauæ consuetu-
 dines, quem semel ceperunt, atque quotidie
 duriores existunt, & non nisi cum peccato-

Sen. ep. 60.
 cir. med.

ris vitâ finiuntur. Et Seneca epist. 60. Dum
 in vitiis iacuumus, euelli difficile est. Non
 enim inquinati sumus, sed infecti. Cuius
 rationem Isidorus libro Soliloqu. assignat,
 dicens: Præuus vsus vix aboletur, assidua
 consuetudo vitium in naturam conuertit.

Isid. lib.
 Synonym.
 seu Soliloq.
 l. 1. cir. me.

B. Aug. En-
 chir. c. 80.
 tom. 3.

Animus in sceleribus astrictus, vix ab eis di-
 uelli potest. Hinc B. Augustinus in libro En-
 chirid. dicit: Peccata quamuis magna &
 horrenda, cum in consuetudinem veniunt,
 aut parua esse, aut nulla creduntur. vsque
 adeò, vt non solum non occultanda, sed
 etiam prædicanda, diffamandaq; videantur.

Con-

Consuetudo igitur transgrediendi regulam & statuta, Religiosorum maximè impedit reformationem: quamobrem difficile est reformare.

Quinta ratio, quare illud difficile est, quia sanctæ reformationi astuti & peruersi homines callidissimas obiectiones opponunt & argumenta, imperitos & simplices ac etiam sapientes quodammodò multum mouentia: quæ latè sunt suprà mota libro I. cap. 4. &c.

CAPVT VI.

Incipit reformatoꝝ septem reformationis utilitates ostendere, & duas primas declarat: nempe quòd talis iuuat Ecclesiam multipliciter, & equipollet ædificationi noui monasterij.

VERVM quia per ea, quæ iam latè dicta sunt, quo ad difficultatem reformationis, quæ nimiùm terrere possent pusillanimes, satis respondetur ad tertium dubium suprà positum: nunc pro confortatione & consolatione, è diuerso videndum est, quàm sit fructuosum reformare & meritum. quod in septem utilitatibus considerare possumus: nam Ecclesiam multipliciter iuuat fidelium; ædificationi noui monasterij

nafterij æquipollet, vt plurimum: auget ac-
 cidentale in cælo præmium, & fundatorum
 intentioni fatisfacit, & offerentium: conuer-
 fionem peccatorum procurat, multis subue-
 nit in peccata ruituris; & in patronos fauo-
 rabiles neçtit eos Sanctos, qui Ordinem à
 Deo primò impetrarunt. Primò, inquam,
 Ecclefiam multipliciter iuuat in ornatu vir-
 tutum, in multiplicatione fuffragiorum, &
 in auxilio porrecto proximorum. In ornatu
 fiquidem virtutum; quia in reformato mo-
 nafterio, cuiuslibet fançtitalis viri nutriun-
 tur pro decore Ecclefie: vtputa quodam-
 modò Apoftoli in doctrinâ, Martyres in di-
 fciplinâ, Confeflores in pacienciâ, Virgines in
 caftitate. vnde Gloffa, & eft Caffiodori, fu-
 per illud Pfal. *Aftitit regina à dextris tuis
 in veftitu deaurato.* fic dicit: In auro intel-
 ligitur charitas; quod verò aureum eft, to-
 tum de auro eft; quod eft deauratum, au-
 rum habet, & aliud etiam eft. Aftitit regina
 in veftitu bonorum operum deaurato, non
 aureo, fola ne fit charitas: fed adfint cetera,
 quæ charitas ornat; ipfa, dico, circumamicta
 varietate meritorum. Et fi fit vnitas in cha-
 ritate, cum auro, id eft, cum doctrinâ Apo-
 ftolorum; & cocco, id eft, confefione Mar-
 tyrum; & gemmis, id eft, puritate Virginum;
 & purpurâ, id eft, in lamentis pœnitentium,
 orna-

Cassiod.

Pfal. 44.

ornatur regina. Vnde in veteri Testamento, cortinae tabernaculi contextæ sunt de quatuor pretiosis coloribus, scilicet bysso retorta, & cocco bis tincto, & hyacintho, & purpurâ. Hæc Glossa. Præfatum etiam versiculû Psalmi adducit S. Thomas 2.2.q.188. S. Tho. 2.2. q. 188. ar. 1. ubi probat, quòd congruum est, esse diuersas Religiones; ubi dicit, quòd commune sit omni religioni, vt aliquis totaliter se præbere debeat ad seruiendû Deo, quod est charitatem Dei pro fine principalissimo habere, quæ charitas per aurum designatur. Et in hac parte non est diuersitas inter Religiones: sed in hoc est earum differentia, quòd secundum diuersa opera & exercitia potest se quis disponere ad Deo seruiendum, & iste est amictus & ornatus varius. Iuuat etiã reformatio Ecclesiam in multiplicatione suffragiorum, pro viuis & etiam pro defunctis: quamuis enim suffragia sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ malorum non profunt, in quantum sunt mali; profunt verò, in quantum sunt ministri Ecclesiæ: sed (vt sanctus Thomas dicit in 4. dist. 45.) magis valent suffragia eorum, si in charitate fiunt: S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 5. q. 3. quia tunc ex duabus partibus opera illa meritatoria sunt, scilicet ex opere operato, & opere operantis. Simile dicit ibidem dist. 13. Ibid. dist. 13. qu. 1. art. 1. q. 4. Ceteris, inquit, paribus, melius est audire Missam

Missam

Missam boni sacerdotis quàm mali: quia scilicet Missa etiam habet efficaciam ex opere operantis; non solùm ex opere operato, ex quo æqualis est Missa vtriusque. Oratio ergo bonorum sacerdotũ magis, id est ex pluribus causis, exauditur, quàm malorum. Et ita etiam ea, quæ sunt suprâ posita, cõtra malos Religiosos debêt intelligi. Pro-

Prou. 15.8. vbi dicit: Victimæ impiorum abominabiles Domino; vota iustorum placabilia. Et ite-

Ibid. rum: Longè est Dominus ab impiis, & orationes iustorum exaudiet. Hinc Eccles. 35.

Eccli. 35.8. Oblatio iusti impinguat altare: & odor suavis est in conspectu Altissimi. Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur Dominus.

Iuuat etiam reformatio in auxilium porrecta proximorũ, quibus multipliciter subuenitur per eam: quia quidam Ordines sũnt fundati ad subueniendum proximis in operibus misericordiæ corporalibus, sicut qui seruant hospitalitatem pauperum; alij sũnt fundati pro curâ habendâ egrotantium, alij pro expugnatione infidelium, alij pro redemptione captiuorum, alij pro ostendendâ Christi paupertate & suorum; alij pro audientiâ confessionum, & pro studio, ac prædicando pauperibus; alij pro vitâ ducendâ
ere-

eremiticâ aut contemplatiuâ, modis aliis plurimis: quæ omnia & singula fines quidam sunt particulares, non vltimi suorum Ordinum: per quæ certè multum in verbo & exemplo, aut in oratione subuenitur Ecclesiæ. Vnde in Collationibus Patrum Abbas Nestorius de diuersitate Religionum loquens, dicit: Quidam eligentes ægrotantium curam, alij intercessionem quæ pro miseris atq; oppressis impenditur exequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleëmofynas pauperibus largientes, inter magnos & summos viros pro affectu suo ac pietate vigerunt.

Cassian.
collat. 14.
cap. 4.

Secundò, reformatio fundationi noui monasterij æquipollet quodammodò. Monasterium enim duo dicit, locum scilicet, & congregationem canonicam personarum: quorum primum sine altero nihil laudis offert, secundum verò sine primo laudabile Deo est, & vtilitati proximorum deseruit. Multi enim quasi hodie Religiosi, olim sine fixis locis Deo seruierunt deuotissimè. Pandunt hæc gesta Rechabitarum, qui in veteri Testamento, Religiosorum statum præfigurauerunt. Hi enim ex iussu Ionadab patris sui, nec vinum bibebant vquam, nec domos ædificabant, sementem non ferebant, nec vineas plantabant, peregrinabantur in

Ier. 35. 11.

L terrâ,

terrâ, sed in tabernaculis habitabant vsque ad aduentum Nabuchodonosor, quo primum Ierusalem intrabant, vt habetur Ieremias 35. Patet idem apertius 2. Machab. 5. vbi ostenditur quod propter bonorum inhabitationem vel malorum, Deus loco miseretur vel irascitur. *Verum*, inquit ibi Scriptura, *non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum elegit: ideoque & ipse locus particeps factus est malorum populi, postea autem fiet socius & bonorum. Et qui derelictus est in irâ Dei omnipotentis, iterum in magni Domini reconciliatione, cum summâ gloriâ exaltabitur.* Idemque docet S. Propheta Ieremias 7. cap. vbi cum deformatus populus Ierusalem, in splendore templi materialis, sibi parcendum confideret, Dominus ait per Prophetam; *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini est, templum Domini est* (supple, quod saluabit nos ab irâ Dei) *quoniam si benedixeritis vias vestras* (Glossa, opera) *& studia vestra* (Glossa, cogitationes) & plura ibi annumerat opera virtutum textus ipse, & concludit, *habitabo vobiscum in loco isto, in terrâ, quam iuravi dare patribus vestris.* Postea quædam addit ad propositum. Monasterium igitur nouum dicitur & nominatur, tamquam à digniori & principali parte,

non

2. Mach. 5.
v. 19.

Ier. 7. 4.

non muri aut formæ, sed reformati fratres & monachi: quos ille qui reformat, haud dubium propriè dicitur, Deo cooperante, nouum construxisse monasterium. Patet etiam illud per exemplum, quod ponit Geraldus lib. De vitâ Fratrum Prædicatorum parte 5. Erat enim quidam cuiusdam monasterij monachorum, nomine Guido, primò Prior, qui idem monasterium antiquum suâ sanctitate & sollicitudine reformauerat: hic postmodum desiderio maioris perfectionis Ordinem Prædicatorum intrauit, & in eo diu laudabiliter vixit. Circa cuius infirmitatem corporis vltimam, vidit quidam frater deuotus in somno, quòd tamquam defunctus iaceret in medio chori, quem multitudo fratrum in albis circumstabat in luminis claritate mirabili. Videbat etiam claustrum quoddam pulcherrimum, multum benè ædificatum, dictumque est illi: Hic ædificauit hoc claustrum. Euigilans autem frater, & recolens, quòd Guido, qui monasterium olim suum in temporalibus & spiritualibus reformauerat, esset ægrotus, cogitauit eum moriturum in breui: statimque vox facta est ad eum; Verum est somnium: quia hic habitabit in Sion, & requiescet in Ierusalem. Et postmodum frater Guido defunctus est. Quâ in re perpenditur,

Geraldus
lib. de vitâ
Frat. Præd.
parte 5. c. 4.

Cic. Para-
dox. 6.

non impar esse meritum de nouo construe-
re monasterium, & lapsum reformare in
moribus. Sensit idem Cicero, cum Parad. 6.
ait; Nulla possessio, nulla vis auri & argenti
pluris, quàm virtus æstimanda est. Et Poëta-
rum alius, qui ait;

Ouid. l. 2.
de Amor.

Non minor est virtus quã querere parta tueri.

53

Quinimò multipliciter est laboriosius, &
per consequens, ceteris paribus, plus merito-
riũ, lapsum in moribus reformare monaste-
rium, quàm nouum cõstruere. Quia hïc est
maxima, malorum resistentia, quæ suprà est
ostensa cap. 4. & ostendetur inf. c. 12. illic ve-
rò est animorũ communiter magna concor-
dia. Docet hoc hodie experientia: videmus
etiam idem olim accidisse in reædificatio-
ne templi per Neëmiam & Esdram, vbi
oportebat vnâ ædificare manu, & pugnam
per gladium exspectare cum alterâ, vt patet
in eorum libris. Idem 2. Machab. 8. & 9.
patet de Machabæo & suis, qui post multa
bella templum Ierosolymis purgauit, aliud
altare fecit; aras, quas gentiles fecerant ibi,
destruxit; ignem nouũ de ignitis excussum
lapidibus, accendit; & cum aliis holocau-
stum obtulit. Longè certè ampliùs in Dei
seruitio desudarunt tales, quàm Salomon &
sui, qui in summâ pace primum ædificau-
erunt templum, &c.

2. Mach. 8.
& 9.

CA-

CAPVT VII.

Deducit tertiam & quartam utilitatem, quomodo videlicet auget reformanti accidentale præmium: & quòd satisfacit intentioni fundatorum & offerentium.

TERTIÒ auget accidentale præmium ipsa reformatio; quia non solum reformans in se bonum facit, sed etiam bona fieri in aliis procurat. In patriâ enim, vt dicit S. Thomas in 4. dist. 49. duplex dabitur præmium; vnum vocatur essenziale, aliud accidentale. Essentielle præmium consistit in gaudio habito de Deo, clarè viso & amato. Est enim hoc hominis beatitudo, quæ consistit in perfectâ coniunctione animæ ad Deum, in quantum eo perfectè fruitur. Hoc autem præmium metaphoricè corona dicitur vel aurea: tum ex parte meriti, quia cum quadam pugnâ agitur (*Militia est enim vita hominis super terram.* Iob 7.) tum etiam ex parte præmij, per quod homo efficitur quodamodò diuinitatis particeps, & per consequens regië potestatis: vnde Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes.* Corona enim propriè signum est regiæ dignitatis; & illud præmium correspondet radici operum, scilicet charitati. Accidentale autẽ præmium

S. Tho. in
4. dist. 49.
q. 5. art. 1.

Iob 7. 1.

Apoc. 5. 10.

Mat. 5.

consistit in gaudio, quod habebimus de creaturis; scilicet de operibus virtutum à nobis hinc exercitatis: utputà, paupertati voluntariae hinc habitae, in patriam dabitur iudiciaria potestas; continentiae coniugali fructus tricesimus, viduali sexagesimus, virginali centesimus. Cuilibet beatitudinum de octo beatitudinibus viae, in patriam dabitur suum praemium, ut tangitur Matth. 5. Sic excellenti victoriae & perfectae, dabitur aureola: ut pro doctrina, pro virginitate, & pro martyrio; quibus victus est diabolus, caro, & mundus. Ita etiam notabili labori cuilibet correspondebit suum praemium: quia, 1. ad Corinth. 3.

1. Cor. 3. 8. *vnusquisque mercedem propriam recipiet secundum suum laborem.* Reformare ut supra patuit, notabilis difficultatis est, & procurat multa bona opera fieri in proximo: quae quotiescumque fiunt postea, semper praemium illi, qui huius causa prima fuit, augetur, etiam si sit in patria. Beatorum enim praemium usque ad diem iudicij augetur materialiter, quia scilicet de pluribus gaudebunt, quam antea, quotiescumque fiunt per viatores bona, à comprehensoribus olim seminata in via. Cum igitur per reformationem sequantur in futurum infinita quodammodo bona opera, erit etiam eorum, qui reformationi cooperantur, quodammodo infinitum

acci-

accidentale præmium. Sicuti etiam è diuerso reformationem impediens demeritum; & pœna eorû, si sine pœnitentiâ mortui fuerint, crescit in inferno continuè. De quo sic dicit Albertus super Missam: In inferno existentes sunt damnati ad ignem, & conscientia vermum, sicut dicitur Isaia ultimo: *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorû non morietur.* Et ad mitigationem ignis nihil valent eis suffragia per viuos facta pro eis. Sed conscientia vermum remordet de tribus; scilicet, de peccato commisso, de bono à seipso omisso, & de bono cuius ipse potuit esse causa, vt fieret ab altero. Non mitigatur igitur pœna de duobus primis, quia hæc sunt de præterito & necessaria, sed de tertio & crescit & mitigatur. Si enim per malum suum causa mali est in alio, toties crescit vermum, quoties crescit & dilatatur malum illud in alios, quos inuoluit. Et in hoc sensu dicit Ambrosius, quod nescitur pœna Arii, quia ignoratur quot errore eius sunt subuertendi. Si autem causa fuit, vt bonum fieret per alium, toties decrescit vermum, quoties bonum illud multiplicatur. Et quoad hoc solum prodest damnatis Ecclesie suffragium. Hæc Albertus. Dicit sanctus Thomas in 4. dist. 45. (quod tutius est dicere) quod de tertio etiam non minuitur

B. Albert.
Magn.

Isa. ult. 24

Ambros.

S. Tho. in
4. dist. 45.

Augustin.

eorum pœna secundum communem legem per suffragia Ecclesiæ: quia secundum Augustinum notitia talium ad eos non peruenit, & in summâ miseriâ constituti sunt hi, qui in inferno sunt.

Quartò, est fructuosum reformare, quia per hoc intentioni fundatorum fatiscit, & offerentium scilicet bona ad constructionem & dationem loci religiosi; quæ intentio grauitè defraudatur apud deformatos. Sunt enim multa monasteria & collegia per Principes largissimè olim dotata & fundata, aut successiuè per eleëmofynas & oblationes bonorum constructa & prouisa; quorum intentio fuit, vt Deo ibi deuotè seruiretur, & ortus certus cum suâ custodiretur possessione, sicque meliùs subueniretur tam uiuorum, quam defunctorum animabus. Horum intentioni satisfacere, opus est maximæ pietatis, & veriùs opus iustitiæ. Eos verò defraudare, Dei iram est super se concitare: aut enim benefactores talium locorum sunt in cælo, aut in purgatorio; quòd in inferno sint, non est præsumendum. Si in cælo sunt, clamant cum animabus, quæ sub altari Dei sunt: *Vsquequò Domine, sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinè nostrum, de his qui habitant in terrâ?* Si verò sunt in purgatorio, causantur cum Iob 19. dicentes: *Mise-*

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos Iob 19. 21.

amici mei: quia manus Domini tetigit me.

Quare persequimini me sicut Deus? Audiant defraudatores talium, quale sit eorum pec-

catum, etiam si Deo contentur offerre sacri-

ficium, nam Eccles. 34. dicitur; Qui offert Eccli. 34.

sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi v. 24.

qui victimat filium in conspectu patris sui.

Panis egentium vita pauperum est: qui de-

fraudat illum, homo sanguinis est. Qui au-

fert in sudore panem, quasi qui occidit pro-

ximum suum. Sunt autem Religiosorum mul-

ta loca de laboribus & sudore pauperum æ-

dificata, quare eorum crimina homicidiis

magis cõparantur. Sunt prætereà reforma-

ti multa merentes apud Deum & homines Sen. ep. 82.

per virtutem gratitudinis, quâ vicem repen- circ. fin.

dunt benefactoribus. Vnde Seneca in e-

pist. 82. Credamus nihil esse grato animo

honestius. Omnes hæ vrbes, omnes etiam

ex barbaris regionibus gentes conclamabunt

in omni iudiciorum diuersitate referendam

benè merentibus gratiam, omnes vno ore

affirmabunt, in his discors turba consentiet.

Fundatoribus autem monasteriorum ingrati,

multa mala incurrunt: quia, vt B. Bernardus B. Bern.

dicit super Cantica, ingratitude inimica est l. r. 51. sup.

animæ, exinanitio meritorum, virtutum di- Cant.

spersio, beneficiorum perditio, vêtus vrens,

L 5 ficcans

Chryf. sup.
Matth.

siccans fontes pietatis, rorem misericordiae, fluentia gratiae. Et, teste Chryfostomo super Matth. quanto maiora beneficia sunt hominibus constituta, tanto grauiora peccantibus iudicia. Reperiuntur enim hodie in deformatis monasteriis (prò dolor) omnes gradus ingratitude erga suos fundatores. Primò, quia benefactores non honorant, nec eis, prout tenentur, per obseruantiam bonorum operum retribuunt. Similes sunt hi porcis, qui glandes aut fructus alios continuè comedentes, numquam tamen ad arborem oculos leuât, nec arbori subueniunt. de his prophetauit Apostolus 2. Timoth. 3.

2. Tim. 3.
v. 1.

In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, & ingrati. Secundò sunt alij, qui per suffragia aut alia bona opera in monasteriis, benefactoribus satisfacere dissimulant: sicut fecisse describit Turpinus militem in exercitu Magni Caroli, qui miles equum à defuncto commilitone pauperibus dandum reseruauit: quâ ex negligentia infra paucorum dierum numerum à dæmonibus corpore & animâ raptus est, & in raptu miserabiliter mortuus, ac diu quæsitus; tandem corpus eius in quadam solitudine repertum est: & anima eius aut in inferno, aut in purgatorio, neglectum aut dissimulatum suffragium,

Turpin. &
refert Can-
tiprat. li. 2.
apum c. 53.
parte 25.

in pœnis coacta est persolvere. Tertiò sunt alij in monasteriis, qui prædecessorum beneficia penitus obliuiscuntur, & non cogitant: imò tales aliquando, quod peius est, negant se beneficia accepisse, nec ponderant præconcessa, sed semper aspirant ad vltiora. Tales sunt similes Nabal diuiti & robustissimo, qui non fuit memor beneficiorum sibi per David & suos exhibitorum, prout habetur 1. Reg. 25. ideò temulentus vino, subitanè vitâ functus est. Vnde Seneca lib. de Beneficiis: Ingratissimus omnium, qui oblitus est beneficium. Peior enim est, quàm primi duo ingrati. Quartò sunt alij, qui beneficia accepta exprobrant nonnūquam verbis detrahendo, & indolendo quòd monasterium aut Ordinem intrauerunt, eosque qui ad hoc cooperati sunt, maledicunt; cum tamen ipsi in hoc sint in culpâ plus omnibus, si malè placeat monasterium in moribus rectū; quia annos discretionis habentes, se ad hoc obligarunt. De talibus dicit Scriptura: *Pascet & potabit ingratos, & adhuc amara audiet.* Quintò sunt ingrati pessimi, qui benefactores per eorum beneficia impugnant, quemadmodum omnes qui locis & redditibus monasteriorum abutuntur, crapulosè viuentes de victualibus, superbè de vestibus, luxuriosè de peculio & auarè; &
 sic

1. Reg. 25.
ver 37.Sen. lib. 2.
de Benef.
cap. 1.Eccli. 29.
v. 32.

fic de aliis bonis temporalibus instrumenta fabricantes iniquitatis. In quorum personâ B. Gregorius in Homil. Cùm audieritis prelia, sic dicit; Omnia quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum culpæ conuertimus. Narrat etiam Valerius lib. 2. quòd apud Athenienses ille libertus, qui conuincebatur de ingratitude aduersus patronum suum, talis iure libertatis exuebatur.

B. Greg.
hom. 35.

Valer. l. 2.
cap. 6.

C A P V T V I I I .

Declarat residuas tres utilitates, videlicet, quòd ibi procuratur conuersio peccatorum, quòd subuenitur in peccata ruituris; & quia reformatibus patroni Religiosorum primitiui fiunt fauorabiles.

QVINTVS fructus, qui reformationem sequitur, est, quòd per hanc conuersio peccatorum procuratur aut in propriis personis, cùm peccatores de sæculo egredientes, religionem intrant; aut in alienis personis per bona exempla, & famam reformatorum, aut per prædicationes, aut confessionum audientiam, sicuti est commune in Ordinibus Mendicantium. Quæ quanti sint meriti, ostendit B. Gregorius in Homiliâ super Ezechielem, dicens, quòd nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus

B. Greg.
hom. 12. in
Ezech.

zelus animarum. Quod quomodo intelligi
 debeat, docet S. Thomas 2.2. qu. 182. art. 2. S. Tho. 2.2.
 q. 182. ar. 2.
 ad 3.
 Sacrificium, inquit, Deo offertur, cum ali-
 quid ei exhibetur. Inter omnia autem bona
 hominis, Deus maximè acceptat bonum
 humanæ animæ, ut hoc sibi in sacrificium
 offeratur. Offerre autem debet aliquis Deo,
 primò animam suam secundùm illud Ec-
 cles. 30. *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Eccli. 30.
 v. 24.
 Secundò autem animas aliorum, secundùm
 illud Apocal. ultimo: *Qui audit, dicat, Veni.* Apoc. ult.
 v. 17.
 Quanto autem homo animam suam
 vel alterius propinquiùs Deo cõiungit, tan-
 to sacrificium est Deo magis acceptum. Un-
 de magis acceptum est Deo, quòd aliquis
 animam suam & aliorum applicet contem-
 plationi, quàm actioni, quando scilicet ex-
 pediat. Per hoc ergo, quod dicitur, quòd nul-
 lum sacrificium est Deo magis acceptum,
 quàm zelus animarum, non præfertur meri-
 tum vitæ actiuæ, merito vitæ contemplati-
 uæ; sed ostenditur magis esse meritorium, si
 quis offerat Deo animam suam & aliorum,
 quàm quæcumque alia dona exteriora. Hæc
 S. Thomas. Quo contrà acceptissimum dæ-
 monibus offerunt sacrificium, & Deo sunt
 summè odibiles, qui in reformatione mo-
 nasteriorum, salutē impediunt animarum.
 Tradit hoc sub magnis gemitibus B. Ber-
 nardus

nardus

Bern. de
Epiph.
Serm. 3.

nardus in Sermone de Epiphaniâ, vbi dicit
Herodiana malitia, & Babylonica crudeli-
tas est, nascentem velle extinguere Religio-
nem, & allidere paruulos Israëlis. Si quid
enim ad salutem pertinens, si quid Religio-
nis exoritur, quicumque resistit, quicumque
repugnat, planè cum Ægyptiis paruulos Is-
raëlitici generis necare conatur: imò cum
Herode nascètem prosequitur Salvatorem.

Bern. ser. I.
de conuers.
S. Pauli.

Denique si proprium sanguinem dedit in
pretium redemptionis animarum, non vi-
detur tibi grauiorem ab eo sustinere perse-
cutionem, qui suggestione malignâ, exem-
plo pernicioso, scandali occasione, auertit
ab eo animas, quas redemit; quàm à Iudæo,
qui sanguinem illum fudit? Et iterùm ibi-
dem: An Saluatori animarum vlla grauior
poterit esse persecutio? Iniquè agunt & cete-
ri contra Christum; multiq̃ue sunt tempori-
bus nostris Antichristi. Et iterùm: Heu, heu
Domine Deus, quia ipsi sunt in tuâ persecu-
tione primi, qui videntur in Ecclesiâ tuâ pri-
matum dirigere, gerere principatum!

Bern. ibid.

Sextus fructus reformationis est, quòd
per eam subuenitur multis in peccata ruitu-
ris, qui scilicet in peccata multa caderent, si
locus reformationi non subiaceret. Non e-
nim solùm est laudabile & Deo acceptum,
bona facere opera; sed etiam Deo gratum
valdè

valdè existit, quando quis mala, ne fiant, pro viribus præuenit & impedit. Ex coarctatione enim & restrictione vitiorum, sequitur in Religione triplex bonum; videlicet, verbi Dei efficacia, virtutis contra vitium refulgentia, & tam suorum quàm alienorum peccatorum maior cognitio.

Primò, in verbo Dei sequitur maior efficacia; quia reformatione factâ, Dei verba tunc docentur liberiùs, quàm antea. Vnde B. Gregorius lib. 6. Moral. c. 7. dicit; Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium. Possunt, vniuersorù nomine, ipsæ morum dissimilitudines designari. Alius namque elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine æstuat, alius auaritiâ anhelat, alius remissione se deiicit, alius irâ feruescit. Sed per doctrinam sacri eloquij, superbo humilitas tribuitur; timido confidentia præbetur; luxuriosus per castitatis studium ab immunditiâ tergitur; auarus per continentiam ab ambitionis æstu temperatur; remissus zeli rectitudine erigitur; iracundus à præcipitationis suæ exercitatione refrenatur. Vniuersa Deus aquis irrigat, quia vim sui sermonis in singulis iuxta morum diuersitatem format; vt hoc in eius eloquio quisque inueniat, per quod virtutis necessaria germen ferat.

B. Greg.
lib 6. Mor.
cap. 7.

Secun-

Secundò, ex restrictione vitiorum, ostenditur virtutis contra vitium refulgentia. unde Iob 24. *Sicut summitates spicarum conterentur*, scilicet peccatores. Super quo beatus Gregorius lib. 17. *Moralium* dicit; *Summitates spicarum sunt aristæ. Aristæ ad alta profiliunt, grana latent; quia reproborum potentia eminent, & electorum gloria non apparet. Illi se honorum fastibus ostendunt; isti in humilitate se deprimunt. Sed trituræ tempus adueniet, quod aristarum rigiditatem frangat, & solida grana non conterat. Tunc ergo superbia iniquorum comminuitur: tunc electorum vita, quantâ integritate fulgeat, declaratur. Quia cum iniusti deficiunt, ex hac ipsâ aristarum contritione agitur vt grana appareant, candor ostenditur: quia iniquis in supplicia æterna cadentibus, sanctorum iustitia, quantâ veritate candeat, demonstratur. unde rectè quoque per Ioan-*

Iob 24. 24.

B. Greg. l. 17. Mor. c. 6.

Mar. 3. 12.

Cuius ventilabrum in manu suâ: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem combures igni inextinguibili.

Tertiò, ex restrictione vitiorum, sequitur tam suorum, quàm aliorum peccatorum maior cognitio; vt manifestat ibidem beatus Gregorius in *Moralibus* lib. 31. cap. 9. *Iustorum*, inquit, mens, quia per custodiam disci-

B. Greg. l. 31. Mor. c. 9.

disciplinæ, à cunctorum visibilium fluxo appetitu constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur: qualisque Deo vel proximo esse debeat, plenè se conspicit: quia nihil suum exterius relinquit. Et quanto ab exterioribus abstracta cōpescitur; tanto aucta in intimis inflammatur. Et quo magis ardet, eo ad deprehendenda vitia amplius lucet. Hinc est enim, quod sancti viri, dum se intra semetipsos colligunt, mirâ ac penetrabili acie, occulta etiam aliena delicta deprehendunt.

Septimus fructus reformationis est, quia reformantibus Patronos Religionum fauorabiles facit, eos videlicet, qui Ordinem primò fundauerunt. In reformatis enim filiis, respectu suorū Patrum, qui Ordinem fundauerunt, perfectè impletur illud Dei mandatum: *Honora patrem tuum & matrem, Religionem videlicet; quia hi verè mundo mortui sunt, dicentes cum Psalmistâ: Quo-* Psal. 26. 10
niam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autè assumpsit me. Quæ-
 libet enim Religio, post Patrem cælestem, à quo est omnis paternitas in cælo & in terrâ, habet patrem spiritualem suæ inchoationis, vnum vel plures, qui sanctitate floruerunt præcipuâ, secundum illud Psalmi: *Funda-* Psal. 86. 1.
menta eius (scilicet Ierusalem, cui assimila-

M

tur

tur monasterium in Deo pacificum) *in montibus sanctis*, id est, Patribus. *Diligit Dominus portas Sion* (portæ enim idem sunt quod montes sancti) *super omnia tabernacula Iacob*, id est, diligit Ecclesiam benè regulatam & spiritualem, *super omnia tabernacula Iacob*, id est, super materialia tabernacula. Homo etiam natus est in qualibet Religione excelsior sanctitate ceteris, & ipse fundat eam (Religionem) Altissimus. Sic enim S. Nortbertus Ordinem Præmonstratensium fundavit per statuta deuotissima Ordinis sui, in hoc Augustini reformando regulam. Sic S. Eutychius, Prior deuotissimus, instituta Cluniacensium primus composuit, regulam B. Benedicti reformare studens. Sic eadem regulâ iam neglectâ plurimum, vt suprâ patuit cap. 4. B. Robertus Pater monasterij Molismensis, ad locum Cistercij veniens, cum viginti & vno fratribus suis, fundavit Ordinem Cisterciensem. Pari modo Patres habuerunt viros sanctissimos alij Ordines, vt Prædicatorum Ordo, S. Dominicum: & Ordo fratrum Minorum, beatum Franciscum. De talibus Patribus, videlicet Deo omnium creatore, & de fundatoribus statuum dicitur Deuter. 32. per Moysen ad populum deformatum, & hodie ad lapsos fratres & monachos: *Numquid non ipse*

Deut. 32.6

ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, & creavit te? quoad primum patrem. Et quoad secundos subdit: *Memento dierum antiquorum;* Glossa, Quasi aliàs quãdo elegit Patres in populum peculiarem sibi. *Cogita generationes singulas;* Glossa, Quibus elegit Abraham, Isaac & Iacob. Nulli enim defuit liberalitas Creatoris. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi;* Glossa, Doctorem legis & Prædicatorem Euangelij, cuius doctrinã & exemplo instituaris. Tales Patres regulariter viuentes Ordinis S. Benedicti B. Gregorius eiusdem Ordinis, tam in Papatu, quàm antea, cùm esset occupatus in exterioribus secum continuè, ne deformaretur, habere voluit. Vnde dicit in Prologo Moralium sic; Ex monasterio, fratres mei germanã vincti Greg. cap. 1 charitate, secuti sunt. quod diuinã factum ex dispensatione conspicio, vt eorum semper exemplo ad altioris orationis placidum littus, quasi anchoræ fune restringerer, cùm caularum sæculariũ incessabili impulsu fluctuarem; ad illorum quippe consortium, velut ad tutissimum portus sinum, post terreni actus volumina fluctusque fugiebam. Et licet illud me ministerium, ex monasterio abstractum à pristinæ quietis vitã, mucrone suæ occupationis extinxerat: inter eos tamen, per studiosæ lectionis alloquiũ, quo-

tidianæ tuæ me aspiratio compunctionis animabat.

CAPVT IX.

Declarat vnde proueniat, quòd communiter omnes in Ecclesiâ clamant reformationem debere fieri, & tamen ferè nullus, quando reformari incipit, est voluntarius. Et quinque cause assignantur: scilicet, inconsideratio arduitatis negotij, modica dilectio sui, & fictio boni desiderij, ignorantia defectus proprij, & timor inordinati desiderij.

SED dubium circa hoc notabile occurrit, vnde proueniat, quòd vt plurimum inter clericos & monasticos vix reperitur aliquis aded malus, quin reformationem fieri, bonum esse opus affirmet: & tamen paucissimi sunt, qui reformationem subire velint, cum inchoatur ab ipsis. Sic hodie nedum fideles populi, verum etiam ipsi heretici reformationem clamant debere fieri. ad idem sunt Religiosi in Ecclesiâ, & sæculares litterati & simplices, Reges & Principes; & pænè vna omnium vox est, etiam in generalibus Conciliis, reformationem esse introducendam: quæ si differtur, omnes murmurent, omnes Clero detrahunt; imò verius sanctæ

sanctæ matri Ecclesiæ imputant in generalibus Synodis, dicuntq; per eius omissionem fomentum præstari hæreticis, Iudeis & gentibus, ne ad gremium veniant Ecclesiæ. Cùm autem reformatio in isto Ordine, vel in isto Collegio attentatur (quoniam simul omnino Ecclesiam ponere non est humanum, nec secundùm legem communem possibile, vt ostendetur postea) ilicò tales murmurât; congregationes particulares potius conspirationes nonnumquam ineunt, amicos inuocant suos, in malis complices. Et contingit hodie quibusdam prudentibus sæculi huius, sicut olim contigisse dicitur cuidam Domino Mediolanensi: qui, cùm multitudini audientiam in iudicio præstaret sedendo, & multi clamarent; O Domine, iustitiam, iustitiam, iustitiam fieri petimus; his fatigatus clamoribus quidam naturalis Domini Mediolanensis fatuus, stetit ante Dominum suum, dicens: O Domine rogo facias iustitiam omnibus, præterquam mihi & tibi. Ita omnes reformationem laudant; sed eam sibi imponi ferè quisque recusat. Ista tamen noua non sunt, sed antiqua, & non eo minùs mala; ita quòd iuxta B. Iob vaticinium, in corpore Behemoth, aut Leuiathan, *squama vna vni coniungitur, vt ne spiraculum quidem incedere possit* Iob 41.6.

per eas. Iob 41. prout Gregorius super eodem verbo ubi supra causatur: Ista, inquit, squamæ peccantium, ne ab ore prædicatorum, aliquo vitæ inspiraculo penetrentur, & obduratæ sunt, & coniunctæ. Quos enim similis reatus sociat, concordi pertinaciâ etiam defensio peruersa constipat, ut de facinoribus suis alternâ se inuicem defensione tueantur. Sibi enim quisque metuit, dum admoneri vel corrigi alterum cernit. Et idcirco contra corripientium verba vnanimiter assurgit: quia se in altero protegit. Bene ergo dicitur: Vna vni iungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas; quia iniquitatibus suis dum vicissim superbâ se defensione protegunt, sanctæ exhortationis inspiracula ad se nullatenus intrare permittunt.

Respondendo tamen ad dictæ quæstionis nodum, dicendum, quod quæsi quintuplex potest esse ratio; scilicet inconsideratio arduitatis negotij, modica dilectio sui, fictio boni desiderij, ignorantia defectus proprii, & timor inordinati desiderij. Prima igitur ratio esse potest, quia tales reformationis arduitatem in genere respiciunt, non in specie, aut cum circumstantiis debitis; sicut infirmus robore corporis facile putat auri centenarium posse tollere, quem exteriori oculo tantum inspicit, non autem grauitatem

oculo

Greg. l. 33.
Mor. c. 33.

oculo mentis considerat. Ea enim quæ solùm considerantur vniuersaliter, aut nihil, aut modicum mouent ad actum. Sic quamquam Deus sit bonum optimum, tamen nisi consideretur vt alicui bonus, à multis vix diligitur. Reformationem, quæ importat decorem & speciositatem animæ & corporis, nemo sanæ mentis vituperat: sed quia bonum est arduum & difficile, ab eo facilè humana fragilitas declinat. Sensit hoc Apostolus in personâ humanæ infirmitatis, cum ait: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum. nam velle adiacet mihi; perficere autem bonum, non inuenio.* Et iterum: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruius legi Dei, carne autem legi peccati.*

Rom. 7.18.

Alia ratio est, quia tales proximum plus quam se curant diligere, & sic promouentes aliena, propria negligunt commoda. Sicut hortulani, qui arua propria deserunt, & aliena colunt: sicut medici, qui aliorum curant

pestilentias, neglectis propriis. Sicut qui domibus multis ardentibus, ignem extinguunt in domibus alienis, & cremari sinunt proprias. Iste non est ordo charitatis: sed ordo est præposterus, necessariò commutandus, secundùm Eccles. 30. *Miserere animæ tuæ, placens Deo, & contine & congrega cor tuum in sanctitate eius.* Ordo autem dilectionis proximi rectus; de quo gloriatur spōsa Cantic. cū dicit: *Ordinavit in me charitatem.* & Glossa ibi B. Augustini notat; Primò, inquit, diligendus est Deus: secundò, parentes, inde filij, pòst domestici; qui & si boni sint, malis filiis præponendi sunt. Inimicos autem, nõ sicut teipsum, sed simpliciter dilige; sufficit enim quòd odio nõ habeas. Contra tales, ordinem pervertentes charitatis, dicit Prosper lib. De vitâ contempl. sic: *Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mūdum, qui contemnendus est, diligunt; aut corpora sua, minùs diligenda, plus diligunt; aut proximos suos, non sicut seipsos, aut Deum plus quàm seipsos fortè non diligunt.*

Tertia ratio est apud quosdam, quia reformationem non corde, sed appetunt eam solùm ore & fictè: ideò vt bonæ mentis esse videantur, aut vt benevolentiam benè affectorum captent, aut vt ne tamquam hostes
virtu-

Eccli. 30.
v. 24.

Cant. 2. 4.
Augustin.

Prosp. li. 3.
cap. 15.

virtutum esse credantur, cum tamen in occulto contra bonos practicent, quidquid mali possunt. Tota autem eorum intentio est, ne à malis separati citius refoventur. Tales durissimè alloquitur Christus, quia hypocritæ sunt, Matth. 23. *Vae vobis Scribæ & Pharisei hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Pharisee cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum.* vbi Chrysostom. Non hæc de sensibili dicit calice & paropside, sed de intelligibili; quem si numquam tetigerit aqua, mundus potest esse apud Deum. Si autem peccauerit, & totâ aquâ pelagi & fluminum se lauet, sordidus est, & miser ante Deum. Quàm mala sit autem & peruersa talium intentio, declarat B. Gregorius, vbi de squamis Leuitathan loquens, supraposita sic continuat; *Pestiferam concordiam, scilicet hypocritarum & astutorum, adhuc apertius Iob subdit, dicens: Vna alteri adhaerebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Qui enim diuisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinaciâ vniti perdurant: & tanto magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores fiunt, quanto à se inuicem nullâ increpatione separantur.

Mat. 23. 25

Chryf. homil. 44. cir. fin. op. imp.

B. Greg. l. 33. Mor. c. 33.

Quarta ratio est, quia quidam se putant in statu salutis esse, quo carent; aut si in charitate sint, perfectione non indigere. Vidi ego in quorundam magnorum Prelatorum & Doctorum congregatione quemdā Doctorem diuinæ legis, Pontificem simul, & Ordinis cuiusdam ac Religionis strictissime, si seruaretur vt olim, qui Doctor nequaquā admittere voluit verbis, quòd Religio, de quâ assumptus erat, lapsa esset, ac reformatione indigeret, quantumcumque luce foret clarius toti mundo contrarium esse verum. Vix enim credi potest, quantâ cæcitate premuntur, & cordis duriâ, qui malis imbuuntur habitibus. Vnde B. Gregorius exponens illud, In similitudinem lapidis, aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur, dicit: Aquæ enim per glaciem in superficie durefcunt, sed fluidæ in intimis remanent. Et quid per aquas, nisi fluxa accipimus corda reproborum? Qui, cum ex proposito virtutem deserunt, fortes se in bonis operibus per hypocrisim ostendunt: dumque in intimis suis ad vitia defluunt, & foris se sanctorum ac fortium imitatores fingunt, aquæ in similitudinem lapidis durantur, & superficies abyssi constringitur, quia per supraddictam sanctitatis speciem fluxa ac instabilis eorum conscientia hominibus tegitur. Et ite-

B. Greg. 29
Mor. c. 24.

iterum causam dictæ rationis tradit, ubi as-
 similat tales cæcos Philosophis, de quibus
 dicitur ad Rom. I. *Cum cognouissent Deum,*

B. Greg.
 Mor. 25.
 c. 12.
 Rom. I. 25

*non utique sicut Deum glorificauerunt, aut
 gratias egerunt, sed euauerunt in cogita-
 tionibus suis.* Sed quid ex huius erroris se-
 mine pullularit, illicò adiunxit, dicens; *Pro-
 pter quod tradidit illos Deus in desideria
 cordis eorum;* & plura ibi addidit. Cæcantur,

B. Gregor.
 ibid.

inquit Gregorius (scilicet mali) etiam ne in-
 telligant quod committunt; & qui intelli-
 gentiam suam sequi nolunt, in peccato &
 causâ peccati; & ipsum lumen intelligentiæ
 perdunt in peccato, & pœnâ peccati. Prioris
 ergo peccati merito, peccatorum subsequen-
 tium fouea tegitur, ut qui malum sciens per-
 petrat, deinceps iustè etiam nesciens in aliis
 cadat. Hoc quippe agitur, ut culpis culpæ
 feriantur, quatenus supplicia fiant peccan-
 tium, ipsa incrementa vitiorum. Nam quia
 omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus
 indulget, quod tamen humana malitia ad
 usum suæ iniquitatis retorquet; nimirum iu-
 sto Dei iudicio augeri culpa permittitur, ut
 ad feriendum altius quandoque cumuletur.

Inducit ad idem B. Gregorius illud Scriptu-
 ræ, *Ut impleant peccata sua semper.* & Apo-
 calyps. 22. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui
 in sordibus est, sordescat adhuc.* & Psal-
 m-

1. Theff. 2.
 v. 16.
 Apoc. 22. 11

stam

Psal. 68. 28 statim dicentem: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in iustitiam tuam.*

Quinta ratio est, quia timent, quòd alij eos velint aliquo bono priuari, quo scilicet carere renuunt; puta, delectatione corporis, aut usu pecuniæ, aut priuilegio aliquo forte illicitè adepto, vel similibus. Tales enim sæpè propositum benè agendi habent, & idem procurare intendunt per reformationem in aliis; sed cùm timor delectabilia perdendi ac dulcedo acquisitæ consuetudinis aderit, statim à cœpto bono desistunt. Tradit hoc

*B. Greg. 1. 7.
Mor. c. 14.*

B. Gregorius lib. 7. Moral. sic: Sunt nonnulli, qui seducentibus vitiis obuiare, quasi totâ intentione deliberant, sed irruente tentationis articulo, in deliberationis proposito non perdurant. Alius namque prauo usu superbiæ inflammatus, cùm magna esse præmia humilitatis considerat, se aduersum semetipsum erigit, & quasi tumorem turgidi fastus deponit, exhibere se quibuslibet contumeliis humilem promittit: sed cùm repente hunc vnus iniuria verbi pulsauerit, ad consuetam protinus elationem redit. Alius auaritiâ estuans, augēdis facultatibus anhelat: is cùm præterire velociter omnia conspicit, decreuit iam nihil appetere: sed cùm repente fuerint oculis oblata, quæ placeant,
pro-

protinus in ambitionē mens anhelat. Alius luxuriæ tabe polluitur, & longâ iam consuetudine captus tenetur; quanta autem castitatis sit munditia conspicit, ac carne vincitur turpe deprehendit, restringere ergo voluptatum fluxa deliberat, & reluctare consuetudini quasi totis viribus se parat: sed vel obiectâ oculis specie, vel ad memoriam reductâ, cum subitâ tentatione concutitur, protinus à pristinâ præparatione dissipatur.

CAPVT X.

Procedit ad præparatoria reformationis: & sunt septem, quæ ante reformationis introductionem disponi debent. Primum est, ut viri habeantur pro loco idonei, qui mancant; & illud declarat per naturalia, artificialia, & per dicta theologica.

DICTVM est hætenus de reformationis formâ principaliter: nunc respondendum ad secundum minus principale, dicendum scilicet erit, quomodo reformationis debeamus actus disponere. vnde dicendum est nunc de præparatoriis ipsius reformationis. Vbi sciendum, quòd ad reformationem, vt ad particularia descēdamus alicuius monasterij, septem sunt præparatoria satis necessaria, vt plurimum. Primum est, vt viri habeantur

habeantur

habeantur permanendo in loco idonei; secundum, ut reformatores sint negotio congrui; tertium, ut consensus habeatur Clericorum aliquorum, & Episcopi; quartum est, ut potestas procuretur & vigor secularis brachij; quintum, ut provideatur pro posse in loco, humano victui, sextum, ut inuoluntariis sæpè seminetur verbum Dei; septimum, ut in puniendo, humano non parcatur excessui.

Primò, inquam, exigitur, ut personæ habeantur pro loco idoneæ. Docet hoc naturalis industria, artificiosa structura, & sacra Scripturæ historia. Videmus enim in * vegetabilibus, naturaliter vim seminatiuam, primò omnium totam suam pænè virtutem ad radicis robur in dilatationem extendere; quia ex eâ, tamquam ex fundamento, stipes, rami, folia, flores, & fructus postmodum valent eo efficacius produci. Sic etiam cor, cerebrum, & membra principalia in animalibus primò natura producit, è quibus in antea omnia corporis lineamenta cudit. In artificiosâ etiam structurâ architectus primò lapides solidiores & maiores locat, super quibus deinceps firmiter ædificium ædificat. Sic si pictor primò in tabulâ fundamentum efficax ponit, eidem stabiliorem postmodum imaginem fingit. Sic etiam si pontipedes & susten-

* vegetabilibus

sustentacula solida artifex tritus supponit,
 firmius deinceps aquæ decursui resistit, &
 iter tutius transituris ministrat. Hinc in sacrâ
 similiter Scripturâ crebrò reperimus, quòd
 fundamenta domorum diuinarum de fun-
 damentis optimis erant solidata; quæ do-
 mus, Religiosorum præfigurabant vitam: Exo. 26. 17
 nam tabulæ, super quibus incumbibat ta-
 bernaculum, à Moysè, Deo ædificatû, erant
 de lignis sethim, quæ sunt imputribilia, &
 incombustibilia, earumque tabularum ba-
 ses erant argentæ. In atrio etiam eiusdem Ibid. 27.
 tabernaculi, quod atrium circumdabat ta-
 bernaculum, fuerunt columnæ sexaginta
 fulciantes tectoria atrij de bysso retortâ: qua-
 rum columnarum bases omnes erant de ære,
 seu æneæ. & columnæ erant æneæ, sed ca-
 pita earum cum celaturis argentea. Sic Salo-
 mon pro fundamento templi fecisse legitur.
 vnde 3. Reg. 5. *Præcepitq; Rex, vt tollerent* 3. Reg. 5. 7.
lapides grandes, lapides pretiosos in funda-
mentum templi, & quadrarent eos. Sic in
 eodem templo pauimentum domus textit
 auro intrinsecus. 3. Reg. 6. *Stravit quoque* Ibid. 6. 30.
pauimentum templi pretiosissimo marmore,
decore multo. 2. Paral. 3. *Sic in porticu tem-* 2. Par. 3. 6.
pli duas columnas posuit fusiles cubitorum
in altitudine octoginta miræ pulchritudi-
nis. 3. Reg. 7. Et, vt ibid. dicitur, *fecit mare* 3. Reg. 7.
fusile

fusile stans super boues fusiles duodecim. Per quæ omnia significatur, quòd inchoatores spiritalis templi, in quo Spiritus sanctus debet habitare, debent esse firmi & idonei. Quæ idoneitas quatuor requirit: videlicet, vt sint in se bonæ vitæ; ad proximum bonæ famæ; in loco, quem reformant, stabiles; & contra aduersarios longanimes.

In se oportet vt sint boni & reformati: alioquin iis diceretur; *Medice cura te ipsum.* Et malè alios lauat, qui sordes sordibus tergit. Et qui sibi nequam, cui bonus erit? Oportet etiam vt sint bonæ famæ: aliàs quamuis doleant de præteritis, tamen si in propinquo fuerint in grauibus peccatis, aduersarij contra tales faciliter insurgunt, præterita impropèrantes: simplices quoque sæculares inficiunt, dicentes; *Ecce isti nostrum volunt tollere locum, qui tamen peiores nobis existunt, vel fuerunt.* Debent ergo tales esse, vt cum Apostolo dicere possint illud

2. Cor. 2. 14 *2. ad Corinth. 2. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt.*

Oportet præterea vt sint in loco, quem reformare volūt, stabiles: alioquin cœptū opus deficeret, vel in teporem vitæ vergeret. *Quia nemo*

nemo, vt Veritas ait, mittens ad aratrum manum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

Ita Christus respondit ei, qui ait: *Sequar te* Luc. 9. 62.
*Domine, sed primùm permittite mihi renun-
 tiare his, qui domi sunt.*

Oportet insuper vt contra aduersarios sint longanimes; quia in principio reformationis, propter rei recētiam, contra bonos murmurant: extra domum, sæculares ad iram; intra domum, inflammantur inuoluntarij fratres: à dextris tentantur ex hinc hi, qui deberent esse cooperatores; & à sinistris sæpè turbat defectus, quoad diuitias vel res temporales. Nec mirū, quia ita etiam olim 1. Esdr. 3. 3. accidit Israëlitis, quando templum & altare volebant reformare, quæ destructa erāt in Ierusalem, vt habetur 1. Esdr. 3. vbi congregati sunt filij Israël de Babylonia venientes in Ierusalem quasi vir vnus. Primò ædificauerunt altare Dei Israël, vt offerrent in eo holocaustum secundum legem: *Collocauerunt, inquit, altare super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum: & obtulerunt super illud holocaustum Domino, manè & vesperi.* Deinde fundamentum templi positum est cum eisdem terroribus, vt ibidem habetur.

N

CA-

CAPVT XI.

Declarat secundum & tertium preparatorium reformationis: tum scilicet, ut reformatores sint negotio congrui, alias visitatores multa mala faciunt; tum ut consensus habeatur Clericorum aliquorum, presertim Episcopi, quia tales impediendo sunt pessimi.

SECVNDVM preparatorium reformationis est, ut reformatores sint negotio congrui. Reformatores autem voco, non ut in precedentibus, subditos: sed eos qui per auctoritatem superiorem, opus reformationis inchoant principaliter; puta Generales, seu Prouinciales Ordinum, Abbates vel Visitatores, & etiam eum, qui pro capite & Prælato ponitur in reformâdo loco. Tales enim quando non sunt negotio accommodi, opus reformationis plus impediunt, quàm promoueant: sicut in quibusdam videmus accidere, qui, eò quòd fideles non sunt in dicto opere, solùm visitationis officium exequentur nomine tenus & specie tenus; quatenus satisfaciant murmuranti populo sæculari: & eisdem reformatoibus recedentibus, quia vocales tantùm fuerunt, non reales, coeptum opus vertitur in ridiculum: quia enim in
arena

arena fundarunt, superædificatum non mirum si corruit. Tales prætereà visitatores multa scandala in monasteriis seminant, & nutriunt, & nonnumquam pro muneribus impium iustificant. Similes sunt tales Simoni præposito templi, qui, vt habetur 2. Mach. 3. contendebat obistere Oniæ summo Sacerdoti deuotissimo, & moliri iniquū aliquid in ciuitate Ierusalem, in qua sub Onia in omni pace leges adhuc optimè custodiebantur. qui Simon proditor templi & thesauri eius factus est. Similes sunt prætereà peruersi visitatores Iasoni, qui cōtra fratrem suum Oniam Sacerdotem præfatum ambiebat Sacerdotium summum. quo per gentilem regem Antiochum prætensè per munera adepto, statim ad Gentilem ritum contribules suos trāsferre cœpit; Ierusalem priuilegiis regalibus priuauit, instituta praua condidit, gymnasium in arce constituit, lupanaria in ciuitate construxit; Sacerdotes, contempto altaris officio & neglecto, participes fieri palæstræ iussit; spretis patriis honoribus, Græcas glorias habere studuit: & eorum instituta conseruari præcepit, atque Oniam captiuauit. Qui tamen Iason postmodum per Menelaum extra regnum fugatus est, vice altera, & tandem omnibus odiosus periit insepultus, vt habetur 2. Mach. 4. & 5. 10.

chab. 4. & 5. Nouit Altissimus quotiens talia in nouo Testamento & peiora fiunt suis modis, tam in monasteriis, quàm in sæcularibus ecclesiis, per eos qui in reformatione deberent esse primi; suntque tales pariformes plerumque Menelao supradicti Simonis germano. Qui Menelaus Sacerdotium summum à Rege gentili per pecunias dolose obtinuit, quando nuntius domini sui Iasonis ad regem missus fuit. Hic enim Menelaus aurea vasa de templo furatus, Andronico potenti & pessimo dedit, & partem vendidit. Hic Menelaus Oniam deuotissimum per Andronici manus occidi procurauit. Accusatus apud Regem desuper per pecunias se absoluit, & iustos accusantes eum Ierosolymitas cruciari procurauit ad mortem. Multa sacrilegia à Lyfimacho in templo fieri voluit, & occasio infinitorum malorum fuit, vt supra 5. & 6. capitulis. Absit igitur, vt sacra reformatio tales habeat patronos nequitia; sed sint reformatores potius similes illi viro sapienti, qui edificauit domum suam supra firmam petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram.

Mat. 7. 24.

Debent fundatores, vt ad specialia descen-

scendatur, habere proprietates quatuor dictas in præcedenti præparatorio; & insuper alias, vt scilicet sint auctoritate potentes, prudentia sagaces, & voluntate beneuoli. Quia auctoritate sufficienti carentes, victoriam obtinere nequeunt: prudentia non circumspecti, à callidis decipiuntur; voluntate verò duplices, corrumpuntur muneribus. Ita enim Christus, qui pro reformatione vitam perdidit, suos docuisse legitur. Nam de primo dicitur Lucæ 4. *Descendit Iesus in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibiq; docebat illos sabbatis, & stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius.* Luc. 4. 31.

De secundo, mittens discipulos ad præparandum reformationem per Christum inducendâ, sic ait duodecim discipulis quando eos à se misit; *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.* De tertio verò, scilicet vt sint voluntate beneuoli, quando mittuntur in Samariam, id est, in societatem malorum, si bonorum facies respiciunt in Ierusalem regularis obseruantie, non turbentur in irâ, quando à Samaritanis malis nõ recipiuntur benignè. Vnde Luc. 9. benè ad propositum dicitur: *Euntes (scilicet Iesus & discipuli duodecim) intrauerunt in Sa-* Luc. 9. 52.

maritanorum ciuitatem, vt pararent illi, (scilicet Iesu) refectionem, & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine vis dicamus, vt ignis descendat de celo, & consumat illos? Et conuersus increpauit eos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Qualia verò capita Deus in primordio cuiuslibet legis & religionis posuerit, patet ex dictis suprà cap. 4, & 8.

Tertium preparatorium est, vt consensus habeatur Clericorum aliquorū, & præsertim Episcopi, si non sit locus exemptus; alioquin, etiamsi sit locus exemptus, facit scandalum, aut obicem ponere consueuerunt quidam scioli: qui modò scandalum sequi ex nouitate rei in populo, & falcē inquirunt mitti in messē alienam; modò religiosos asserunt falsos esse, nisi obediant Episcopis iuxta ordinē Hierarchicum, & similia: quæ melius est præuenire, si potest fieri. Sunt enim interdum hi, qui ad reformationem deberent esse cooperatores præcipui, impediendo tale opus primi. Quod patet in triplici genere Clericorum, aliquando scilicet in Episcopis, aut in eorum vicariis, & in aliis facultatum Magistris. Quòd
illa

illa fiant per Episcopos aut eorum vicarios, sic luget B. Bernardus : Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primum diligere, gerere principatum. Arcem Sion præoccupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè & potestatiuè tradunt incendio ciuitatem. Et iterum idem Bernardus: Non omnes sunt amici sponsi, quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui, vt vulgò dicitur, adiuuant eam, quasi addextrare videntur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærunt, ex omnibus caris eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum: quia manus dederunt mammonæ. Idem malum faciunt sæpè aliarum scientiarum magistri, qui tamen verè sunt hypocritæ. vnde Veritas ait : *Vae vobis Scribæ & Pharisei, hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.* Vbi Chrysostomus: Regnum cælorum dicitur Scripturæ, quia in illis insertum est regnum cælorum: ianua est intellectus earum, aut regnum cælorum est beatitudo cælestis: ianua autem est Christus, per quem introi-

B. Bernardus.
serm. 1. de
conuers.
S. Pauli.

Idem serm.
ad Clerum
in Rhemensi
Conc. congregatum.

Mat. 23. 13

Chrysost.
hom. 44.
op. imperf.
tom. 2.

tur in eam. Clauicularij autem sunt Sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi & interpretandi Scripturas. Et Origenes ibidem: Pharisei ergo & Scribæ nec intrabant, nec intrare volentes permittebant: scilicet, in Christum credendo, & veritatem aperiendo aliis. Et iterum ibidem Origenes: Omnes qui malâ conuersatione sua dant exemplum peccandi in populo, & qui faciunt iniuriam, scandalizantes pusillos, claudere videntur ante homines regnum cælorum. Et hoc peccatum inuenitur in populis, maximè autem in Doctoribus, qui docent quod decet secundum iustitiam Evangelij; ipsi autem non faciunt, quæ docent. Benè autem viuentes, & benè docentes, aperiunt ante homines regnum cælorum; & dum ipsi intrant, alios prouocant intrare. Sed & multi non permittunt intrare in regnum cælorum intrare volentes, quia sine ratione excommunicant quosdam propter zelum aliquem, & sunt meliores quàm sunt ipsi. & quidem ipsi non permittunt eos intrare; illi autem, qui sunt sobrij mente, suâ patientia tyrannidem eorum videntes, quamuis vetiti, tamen intrant, & hereditant regnum. Sed & qui cum multa temeritate seipfos dederunt ad professionem docendi, priusquam discerent, & Iudaicas fabulas imitantes, detrahunt

Origen.

Idem tract.
25. in Mat.
rom. 2.

trahunt eis, qui in Scripturis, ea quæ sursum sunt, requirunt; claudunt, quantum ad se est, regnum cælorum. Hæc ille.

Ex quo patet, quòd quatuor differentiæ Clericorum claudunt regna cælorum, & sunt hypocritæ. Primò, qui in Christum verè credenti alteri obicem ponunt. Secundò, maximè claudunt, qui rectè docent verbo, & tamen malo exemplo alios scandalizant. Tertiò, qui innocentes excommunicant, vel bonos. Quartò, qui profitentur aliquem sacræ Scripturæ gradû, quam Scripturam non intelligentes, tritis in eadem iniuste detrahunt. Triplex enim est genus hominû Ecclesiasticorum: & opus est vt (si fieri potest) pro obseruantia introducenda, aduocetur scilicet Episcopus, eius Vicarius, & si quis est præsertim litteratus; vel habeatur exemptionis benè fundatum priuilegium. Sic etiam fecisse legimus dudum Reformatores veteres: nam in reformatione regulæ B. Benedicti facta in Cluniacensi monasterio per statuta S. Eutychie, cooperante sancto ibidem primo Abbate Bernone, & eodem defuncto, S. Odone ibidem in Abbatem electo, ipse Odo amica intentione ipsorum sub pœna excommunicationis est arrestatus ad suscipiendum Ordines sacros in reformatione. Deinde eiusdem S. Benedicti

Regulæ per S. Robertum cū viginti & vno monachis, in Cistertio facta reformatione, consilium ad hoc & auxilium habuerunt
 *Cabellio. Diocesani illius Episcopi * Cabilonensis;
 nis, & Archiepiscopi Lugdunensis tunc Apostolicæ Sedis Legati. In reformatione prætereà Regulæ B. Augustini per S. Norbertum facta, fauorem habuit Gelasij Papæ, Callisti Papæ, ac Lugdunensis Episcopi, cui specialiter commendatus est. Sic etiam S. Dominicus, per D. Episcopum Tolosanum, primum Ordinis conuentum fundauit. Simile S. Franciscus seruauit, & idem seruandum esse suis reliquit.

CAPVT XII.

Deducit quartum & quintum præparatorium: scilicet, vt potestas habeatur secularis brachij, & vt provideatur pro Fratribus humano victui.

QUARTVM præparatorium est, vt etiam potestas procuretur & vigor sæcularis brachij: quia hoc expedit, & sæpè necessarium est propter rebelles aut propter astutos religiosos, reformationi resistentes. Cùm enim tales iugo regularis obseruantia colla subiicere monentur, statim ad cognatos amicos currunt, & ad consanguineos & poten-

tentes, calumniantes reformationem, aut reformatores, aut modum reformandi. Et nisi sæculares potentes sint antea informati, & beneuolentia captati, faciliter operi diuino resistitur. Sic accidit Zorobabel Israëlitæ litteratissimo, quando legem Mosaicam post captiuitatē Babylonicam & templū in Ierosolymis reformare voluit. Quamuis enim licentiam habuit à Rege potentissimo Persarum cum filiis Israël eundi in Ierusalem ad ædificandum templum Domini, quod destructum dudum fuerat; & eidem partem vasorum templi tradidisset, ac Zorobabel iam cum multis Ierusalem ascendens, altare fundasset, & fundamenta templi reædificare inciperet; tamen Samaritæ, qui in circuitu fuerunt, indignati, cœptum opus præpedire curauerunt modis variis. Nam primò cum Israël se templum reædificare velle finxerunt, quod cum negarent Israëlitæ, secundò Samaritani impedire moliebantur. Et cum per se impedire non possent, dederunt munera Principibus Regis Persarū, qui erant positi super terram; qui pecuniis corrupti vendiderunt eis negligentiam ædificationis, Cyro tamen ignorante. Et adeò impedierunt eos, quòd in triginta annis, in quibus Cyrus regnauit, non erexerunt muros templi, nisi usque ad apodia-

dia-

diationem, prout habetur Esdræ in quatuor
 capitulis, primo videlicet, secundo & tertio,
 & partim in quarto. & 3. Esdræ 5. Deinde
 mortuo Cyro, cum filius eius Cambyfes,
 qui apud Esdram Artaxerxes vel Assuerus,
 & apud Iudith vocatur Nabuchodonosor,
 in regem Persarum esset sublimatus; iterum
 Principes terræ impediuerunt templum re-
 ædificare, & populus omnis circa Ierusa-
 lem scripsit Regi, conquerendo quæ mala
 fecisset Regibus illa ciuitas; vnde idem Rex
 prohibuit per epistolas reædificare téplum.
 Et quamuis tunc ad Regem Artaxerxem
 ascēderet Zorobabel, & per Darium vnum
 de septem sapientibus seu Magis, per eos qui
 regnum iudicabant, peteret templum pos-
 se reædificari: tamen nihil obtinuit, nisi
 quòd secretè Dario suasit, vt votum voue-
 ret de ædificando, si Rex fieret, templo, &
 de restituendis vasis partim non restitutis.
 Vnde quia Artaxerxes per octo annos mo-
 narchiam tenuit, ideò ædificatio dilata est
 per octo annos; quousque Darius prædictus,
 per hinnitum equi, regnum obtinuit iam
 mortuo Artaxerxe, vt libri Esdræ referunt.
 Artaxerxe enim mortuo, cum Zorobabel
 audisset Darium Regem electum, fiducia-
 liter cœpit ædificare, confidens de Rege.
 Et tunc iterum Principes terræ ædificatio-
 nem

nem interdixerunt ; sed Iudæi allegarunt in contrarium, Dei hoc esse præceptum. Deinde quæstio mittitur ad Darium de consensu vtriusque partis. Cum vtriusque igitur partis nuntiis ascendit Zorobabel ad Darium, à quo receptus est optimè. nam in cubiculo suo eum dormire iussit. Hæc tanguntur 1. Esd. 5. & 6. & 2. Esd. 6. & 7. Et tunc accidit historia de tribus fortibus coram Dario, vbi Zorobabel triumphum habuit de ænigmate, & ædificationem templi cum vasis obtinuit : de quo habetur 3. Esd. 3. & 4. Hæc de historia Ecclesiastica. Ex quibus patet, quantum bonum facere potest sæcularis fauor potestatis. vnde 3. Esd. 7. dicitur : *Tunc, scilicet quando Darius Rex consensit, ipse Sisennes subregulus Cælesyriae & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales obsecuti his quæ à Dario Rege erant decreta, insistebant sacrosanctis operibus, diligentissimè cooperantes cum senioribus Iudeorum Principibus Syria : & prosperata sunt sacrosancta opera, prophetantibus Aggeo & Zacharia Prophetis. Et consummauerunt omnia per præceptum Domini Dei Israël.*

Sic Abraham religiosissimus sepulturæ locum religiosum quando habere voluit, beneuolentiam verbis & pecuniis captauit à filiis Heth, quorum terra fuisse videtur, &

ab

ab Ephron, cuius ager & spelunca fuit sepulchri, sicque intentum habuit, Genes. 23. Sic Iacob doctus ab Angelo, fratris sui & principis Esau gratiam prudenter quaesivit, Deum inuocando, nuntios reuerenter praemittendo, exercitum diuidendo, & ore proprio ac corpore reuerendo, ut pacem haberet, & Deo quietius seruiret, Gen. 32. & 33. Sic Ioseph carcere damnatus iniustissime, exorat beneficium à Praeposito, quando restitui mereretur in gradum pristinum coram Pharaone, Gen. 40. & 41. Sic Moyse & Aaron à Deo indicitur ut Pharaonem inducant, quatenus dimittat populum Deo seruire in deserto, Exodi 3. 4. & 5. Sic Neemias à Rege Artaxerxe, secundo filio scilicet Darij, obtinuit reformare & regere muros, & ciuitatem Ierusalem, Neemiae per totum. Sic Onias summus Sacerdos deuotissimus, videns sine regali prouidentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare à stultitia sua, ad Regem se contulit, scilicet gentilem, 2. Machab. 4. Sic pacem & societatem inierunt religiosissimi successiue summi Sacerdotes & fratres cum Romanis, scilicet Iudas Machabeus, 1. Machab. 8. Ionathas cum eisdem & Spartiatis simile fecit, ibid. 12. Simon etiam mittit clypeum aureum Romanis, & paria, dum pacem obtinuit.

1. Mach.
14.

tinuit. Videant igitur qui reformare volunt, vt iuxta oportunitatem locorum & temporum, aut aliquorum de communitate, sæcularium fauorem habeant, aut Principis aut Consulatus: sciantque quòd difficillimum est reformare monasteria situata in ciuitatibus vel locis, vbi communitas regnat, sicut in ciuitatibus Imperialibus & huiusmodi, nisi eius consensus habeatur communitatis: imò consensu eius habito, valde difficile est adhuc reformationem introducere, vbi in monasteriis reperiuntur inuiti ad reformationem, qui in communitate habent consanguineos. Vix verò aliquis credit non expertus sæcularis, quanta arduitas negotio imminet, vbi montes actu tanguntur, quia tunc fumigabunt, fulgura & coruscationes, atque sagittas vltra quam credatur, emittet. Nec mirum, quia ibi tot reges, quot capita in Consulatu, & vnus alium inficit multipliciter, & ibi iudicatur secundum multitudinem vocum. Multi autem sunt vocati, pauci verò electi, dicit Dominus. In loco verò, vbi Princeps regit, opus longè facilius est, si Principis consensus habeatur.

¶ Quintum præparatorium est, vt prouideatur pro posse, humano victui in loco reformando, in cibo, potu, vestitu, & huiusmodi necessariis, præsertim si est possessio-

nata

natae Religionis. Quamuis enim quilibet religiosus, maximè is qui alios lucrifacere cupit, meritò debeat sibi à superfluis cauere; tum quia paupertatem vouit, tum quia aut de eleemosynis pauperum viuit, aut de patrimonio Crucifixi, tū etiam quia exemplum aliis plus esse debet abstinentiæ & patientiæ: tamen hi qui religiosis præsumunt, cauere debent, vt dicit Humbertus super regulam B. Augustini, ne in distribuendis necessariis sint tenaces; sed largiter, prout facultas permiserit, sunt ministranda huius vitæ necessaria his qui sunt Dei serui. Docet hoc Pater, in veteri Testamento, in populo Israël, cui in deserto dedit panem de cælo omne delectamentum suauitatis in se habentem, & hunc quotidie: Exodi 16. Et nec calceamenta pedum, nec vestimenta eorum attrita sunt, vt Deuteronom. 29. dicitur. Docet illud Filius Dei, in nouo Testamento Ioan. 6. vbi turbam paut abundanter, adeò vt de pane & piscibus multæ sportæ superfuerint: & in copia piscium, quam dedit post resurrectionem septem solūm discipulis piscantibus: qui pisces fuerunt centum quinquaginta tres, & pisces magni: & cum hoc præparauit miraculosè & ex consequenti optimum piscem super prunas, & panem, Ioan. vlt. Nec obstat verbum Christi, quo

Humbert.
sup. regul.
B. August.
cap. 25.

Exod. 16.
25.

Deut. 29. 5.

quo dixit Matth. 10. discipulis duodecim,
quos misit prædicare: *Non, inquit, peram in*

Mat. 10.
10.

via, neque duas tunicas, neque calceamenta,

B. Hieron.
ibid. 10. 9.

scilicet *portetis*: quia illud ibidem B. Hie-

ronymus sic exponit: Simplex vestimentum

dicitur quidquid necessarium est alicui, se-

cundum qualitatem loci aut temporis; du-

plex autem, quod extra necessitatem est.

Neque duas tunicas habeatis, inquit; in dua-

bus tunicis mihi videtur innuere duplex ve-

stimentum. Non quod in locis Scythiæ aut

glaciali niue rigentibus, vnica quis debeat

esse tunicam contentus: sed quod in tunica

intelligamus vestimentum duplex, ne alio

vestiti, aliud nobis futurorum timore refer-

uemus. Item in epistola ad Fabiolam idem

sic exponit: *Quidquid, ait', corpora nostra*

defendere potest, & humanæ succurrere

imbecillitati, quos nudos natura profudit,

hoc vnica appellanda est tunica: & quid-

quid in præsentibus alimentis est necessa-

rium, hoc vnus diei victus appellatur. Do-

cet illud, de quo supra, Spiritus sanctus in

principio Christianæ religionis, de qua dici-

tur Act. 2. Habebant omnia communia,

possessiones & substantias vendebant, & di-

videbant illa omnibus, prout cuique opus erat.

Quando igitur prouidetur debite & ab-

unde in necessariis, viris bonis, sequuntur

O tria

B. Hieron.
ad Fabiolam,
fortè ad
Hedibiam
quæst. 1.
tom. 3.

Act. 2. 44.

*Tria bona
sequuntur
debitam re-
rū necessa-
riarū pro-
uisionem.*

tria bona, videlicet laus Creatoris secundum illud: *Edent pauperes, & saturabuntur; & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

Secundò, custodia paupertatis; quia aliàs multi aut efficiuntur proprietarij, aut mutant locum, aut Prælati detrahunt: quia

Eccli. 27. 1. *propter inopiam multi deliquerunt:* Ecclesiast. 27. Tertiò, virtus corporis, per quod feliciorum possunt prosequi statum. propter

Psal. 58. 10 quod Psalmista ait: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Et è contrario, quando non prouidetur in temporalibus debite, sequuntur

*Tria mala
ex inopia
Religiosorū
oriuntur.*

tria mala, videlicet, murmuratio, proprietates, & infirmitas vel debilitas ac ineptitudo sustinendi difficilia & iugum Ordinis.

CAPVT XIII.

Deducit duo vltima preparatoria; videlicet vt inuoluntarij sepe seminetur verbum Dei, & vt in puniendo reos non parcatur excessui.

*Quibus
predicandū
verbū Dei,
vt refor-
matio opti-
mè succedat.*

SEXTVM preparatorium est, vt his qui sunt inuoluntarij, sepe seminetur verbum Dei, per prædicationem publicam: aliquando ad populares, aliquando etiam fiat ad inuoluntarios fratres, aliquando etiam ad voluntarios claustrales. Ad populares quidem, vt discant, quàm bona sit reformatio cum suis

fuis aliquibus fructibus, vt benè fiant contenti quoad reformatores, fi apud pusillos est subortum scandalum; & vt reformationem inchoatam, vel inchoandam, velut nouellam plantulam iuuent posse-tenus irrigare, ne arefcat. Vnde B. Gregorius super illo Iob 12. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subuertent terram;* sic dicit: Si aqua scientia prædicationis accipitur iuxta quod scriptum est, Aqua profunda verba ex ore viri; & torrens redundans, fons sapientiæ. Cùm aqua continetur, cuncta siccantur: quia cùm scientia prædicatorum subtrahitur, eorum qui virefcere in spe æterna poterat, corda protinus arefiunt, vt in desperata siccitate permaneant, dum fugitiua diligentes, nesciunt sperare mäsura. Aliquando etiam, & potius sapè fiat exhortatio per verbum Dei ad inuitos regulares, vt à faucibus dæmonum eripiantur. Vnde B. Gregorius super illo Iob 29. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferbam prædam,* dicit: Toties ex iniqui dentibus Ecclesia prædam tulit, quoties ex erroris morfu animam prædicando eripuit. Quis namque iniquus veriùs dici potest, quam diabolus? cuius molas conterimus, quoties differendo contra eius astutias, occulta eius machinamenta monstramus. Aliquando

O 2 præ-

B. Greg.
l. II. Mor.
cap. 6.

Verbū Dei
aqua dicitur.

B. Greg.
lib. 19. Mo-
ral. c. 23.
Verbū Dei
ex faucibus
dæmonis
hominem
eripit.

B. Greg.
 lib. 19. Moral. c. 1. & 2.

prætereà ad voluntarios claustrales, sermo Dei dirigendus est, vt pane cælesti recreati, aduersa faciliùs tolerare possint. Sicut dicit idem B. Gregorius: Arbor est, quia speciosus forma præ filiis hominum. Huius arboris rami, prædicatores sunt. In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuant, in eorum dictis atque consolationibus, ab huius vitæ fatigatione respirant.

Modus exhortandi per verbū Dei familiaris, dum lex datur & reformatur.

Exod. 4. 14

Hunc modum exhortandi per Dei verbum, reperimus in legis datione & reformatione tentum esse, scilicet circa legem naturæ, Moyse & Christi. Cùm enim lex naturalis parētibus primis data tepuisset, & Deus eam per scriptam legem reformare vellet, Moyse & Aaron misit: de quibus dicit ad Moyse Exodi 4. *Frater tuus Aaron Leuites, scio quòd eloquens sit: loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius; & ostendam vobis, quid agere debeatis. Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris in his, quæ ad Deum pertinent.* Sic prætereà quando lex Moyse reformari debuit, ad licentiam Cyri, Zorobabel litteratissimus & Propheta Zacharias suis sermonibus induxerunt captiuos, vt irent Ierusalem, & templum

plum ædificare inciperent, & reformare cærimonias. Sic quando postmodum Darius regnare cœpit in Ierusalem, statim duo Prophetæ surrexerunt, scilicet Zacharias & Aggæus, prædicantes & exhortantes pro continuanda structura templi; & tunc alij animati, templum perfecerunt, 1. Efd. 5. vbi dicitur: *Tunc* (scilicet quando isti duo prophetauerunt & prædicauerunt) *surrexerunt Zorobabel filius Salathiel & Iosue filius Iosedec, & cœperunt ædificare templum in Ierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos*; dicti scilicet duo. Sic etiam postea, constructo templo, Esdras in lege doctissimus, in captiuitate plures suis induxit sermonibus, quòd Ierusalem venerunt, vbi plura reformauit, contra legem facta. Ita in positione legis Euangelicæ Christus cum duodecim Apostolis, & septuagintaduobus discipulis, verbû Dei seminare voluit. vnde & Act. 2. dicitur de primitiua Ecclesia: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Insistendum ergo est opportunè, importunè, prædicatione verbi diuini in principio cuiuslibet reformationis; quia est virtuosum, vtpote panis, qui procedit de ore Dei: est lucidum & lucerna pedum, & lumen semitis nostris: & est dulcissimum, quia

præcipit Dei desiderabilia, & dulciora super mel & fauum.

*Septimum
medium re-
formatio-
nis, punire
excessus.*

Septimum præparatorium est, vt scilicet in puniendo reos, non parcatur eorum excessibus. Talis autem correctio, in casu quo inuiti debet reformari, certè discretissimum virum, si haberetur, benè exigeret: quia vbi multi peccatores solùm infirmitates celare cupiunt animæ, nec medicus animæ quæritur, nec diligitur, sed facilè ei inuidetur. unde Gregorius 9. Moral. c. 1. Peruersæ mentes, si semel ad studium contrarietatis eruperint; siue prauum siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersus hoc responsonibus impugnant: quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit placent. At contrà bonorum corda, quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic peruersa diiudicant, vt recta quæ dicuntur assumant.

*Quinque
obseruanda
punire cu-
pienti.*

Psal. 140. 5

Debet igitur, qui corrigentis habet officium, quinque inspicere. Primò, vt sic corrigat, quatenus si boni sunt, non durè nimis procedat. Dicit sic Psalmista: *Arguet me iustus in misericordia, & increpabit me.* Sed rationem assignat B. Gregorius sic, vbi priùs; Discernendis contradicentium sensibus æquissimi arbitri resident, & sic malè prolata respuunt, vt comprobent quæ ex veritate

cog=

cognoscunt. Secundò, sic corrigat malos, vt inde boni non perdantur. vnde Gregorius ibidem; Solent inter spinarum multitudines, etiam de frugibus semina succrescere. Cauta ergo manu operantis agendum est, vt dum spina tollitur, spica nutriatur: quatenus qui studet eradicare quod pungit, nouerit seruare quod reficit. Tertiò, sic corrigat animosè, vt tamen humilitas intus non amittatur; vt docet idem 7. Moral. dicens: Sancti etenim viri, nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi, sed cum reuerentia eos ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. Culpas quippe delinquentium etsi ex alto increpantes feriunt, semetipsos tamen apud se subtiliùs iudicantes, quasi in abiectis ponunt. Exempla ibi ponit multa Sanctorum. Quartò, sic corrigat peruersos, vt ad tempus, si expedit, punire omittat. De quo idem 2. lib. cap. 18. dicit: Sciendum quòd nonnumquã cum redarguuntur prauiores existunt. Idem l. 2. c. 18. Ipsis ergo & nobis parcimus, si ab eorum redargutione, pro eorum amore cessamus: vnde necesse est, vt aliquando toleremus tacendo quod sunt; quatenus in nobis discant viuendo, quod non sunt. Quintò, sic corrigat, vt modus non furorem sed discretionem assumat. De quo

B. Greg. 7.
Mor. c. 15.

Aug. sup.
ep. ad Gal.
tom. 4.

Augustinus super Epistol. ad Galatas dicit:
Quidquid lacerato animo dixeris, punien-
tis est impetus, non charitas corrigentis. Et
vt Gregorius Nazianzenus in Apologetico
in Apol. 1. diffusè tradit, longè maiore arte opus est, in
medendis animarum quàm corporum vul-
neribus.

C A P V T X I V.

*Proponit duos modos reformandi, scilicet,
generalem & specialem. Et circa genera-
lem tria dubia mouet. Primum, an aliqua
lapsa Religio possit tota reformari. & il-
lud determinat quòd non, per multa istud
probando.*

Nunc veniendo ad tertium minùs prin-
cipale huius tractatus, scilicet, ad re-
formationis & suæ dispositionis subiectum,
opus erit videre, quis modus reformandi sit
debitus. De quo, duo modi loquendi in ge-
nere possunt assignari; vnus remotus & ge-
neralis, alius propinquus & specialis.

Circa communem & generalem modum
reformandi, occurrunt tria dubia. Primum,
an aliqua lapsa religio possit tota simul re-
formari. Secundò, vtrum melius sit refor-
matione laxè quàm rigidè incipere. Tertiò,
quæ fuerint radices lapsuum in Ordinibus.

Ad

*Duo modi
reforma-
tionis.*

Ad primum videtur quòd non; præfer-
 tim si est multiplicata in monasteriorum
 numero. Patet hoc ex radice triplici; scilicet,
 ex suæ formæ primaria introductione,
 ex materiæ nimia indispositione, & bene
 agentium paucitate. Reformare enim est

*Resoluit an
 Religio la-
 psa possit
 tota simul
 reformari.*

maioris difficultatis quàm formare, vt ex
 vi. cap. patuit. Sed forma Religionis cuius-
 libet successiue in primitiua eius institutio-

*Prima dif-
 ficultas ex
 parte for-
 ma.*

ne cœpit crescere, non simul tota, sed pede-
 tentim dilatabatur per varia de nouo con-
 structa monasteria: vtputa Ordo Clunia-
 censium in Cluniaco, Cisterciensium in Ci-
 stercio, Præmonstratensium in Præmonstra-
 to, Prædicatorum in Tolosa, & sic de aliis.

Sic etiam introductio formæ Euangelicæ,
 quæ quædam reformatio fuit legis veteris,
 quam Christus non venit tollere, sed perfi-
 cere; successiue in orbem venit terrarum:
 quia primò multitudo credentium, quibus
 erat vnum cor & anima vna in Domino, &
 qui habebant omnia communia, introdu-
 cta est Ierosolymis; deinde per reformato-
 res, videlicet Apostolos, venit successiue in
 orbẽ, & vinea Ecclesiæ dilatauit ramos suos.

*Forma Eua-
 angelica
 successiue
 introducta.*

Patet secundò responsio ex materiæ ni-
 mia indispositione. Sunt enim Religiones
 plurimæ, in quarum monasteriis penè nul-
 libi velut olim viget regularis obseruantia,

*Secunda
 difficultas
 ex indispo-
 sitione ma-
 teria.*

& ita multiplicata sunt vitia, transgressiones, & abusus tanti, vt humanitus nō videatur possibile omnia talia reformare simul & tollere. Non enim forma ignis introduci potest ligno viridi, nisi prius multis actionibus præuis humidum expellatur & frigidum. Nec terra fructifera efficitur, prius non culta multipliciter. Sic etiam olim electa plebs Israëlitica terram repromissionis simul reformare non potuit, Iebusæis malis resistantibus. Nec Zorobabel, Esdras, & Neemias, quamuis erant viri doctissimi, & omni virtute præditi, statim potuerunt efficere, vt lex Dei in ciuitate Ierusalem seruetur integrè: quin imò in multis sæpè suos repererunt legis transgressores: maximè nūc in vsura quam exercuerunt diuites, nunc in contractu illicito, quo Gentilium tenuerunt vxores; nunc in fractione Sabbati, quando aduehebant merces; nunc in machinatione mortis, quam quidam Neemiæ intentabant factis proditoriis.

*Quætrās-
gressio in
terra pro-
missionis
frequēior.*

*Tertia dif-
ficultas ex
benè agen-
tium pau-
citate.*

Patet tertid responsionis veritas, ex benè agentium paucitate. Hi enim qui formam Religionis perditam possunt introducere, sunt qui forma eadem actuati sunt, cum vnumquodq; tale facit ipsum tale, & agens agit, in quantum actu est. Sunt autem in comparatione malorum, boni religiosi paucif-

cissimi; & facilius est deficere, quàm proficere; valetque peruersus vnus plures peruere, quàm decem boni vnum conuere. Nec omnes boni viri, qui sunt boni in toto vno Ordine, fortassis secundam partem Ordinis possent reformare, etiamsi vellent. Ponamus præterea, quod rarum est apud quosdam, quòd Visitator alicuius Ordinis sit bonus, leges & ordinationes condant in aliquo dissoluto monasterio optimas, corrigat quorundam excessus, dum visitet, pro viribus addat pœnas etiam excommunicationis legum transgressoribus, Quid quæso sequitur, nisi quod verbo tenus promittet obseruantia regularis timidi, multa bona se facturos durante Visitatoris presentia, fingent laborem in præceptis? Et quia diu ibi stare nequit is qui visitat, statim vt recesserit, nullus est malorum qui opere compleat, quod prius se facturum quadam obducta simulataque hypocrisis promisit. Messis ergo monasteriorum multa, operarij autem pauci. Ex quibus omnibus iam liquet, quòd sunt quidam simplices, qui Ecclesiam in omni ferè statu lapsam grauitèr, putant per vnum Concilium generale posse reformari totaliter. Bona plura facere potest, non ambigo, generale Concilium; sed non simul reformare omnia. Opus hoc est non vnius Concilij, sed dierum

*Errant qui
vniuersam
Ecclesiam
per vnum
generale
Concilium
posse refor-
mari pu-
tant.*

*Ecclesiam
à primo ex-
ordio defor-
matis ha-
buisse pul-
chrè osten-
dit.*

dierum plurium: & fortassis numquam hoc fiet; sicuti & in retroactis iam temporibus, numquam Ecclesia diu stetit sine deformatis & persecutoribus. Adam enim viuentem, Cain fratricida etiam cum omnibus suis filiis auaritiæ & terrenis inseruisse legitur, Seth Domino diu benè viuentem. Ante diluuium verò Noë tempore, filij Dei, Seth scilicet, per filias hominis Cainitas deformati sunt; adeò, vt octo hominibus demptis, mundum aquæ subuerteret. Post diluuium inter Deicolas, Cham patris deridet verecundiam: & statim Nemroth tyrannidem in alios exerquit sibi coætaneos. Abraham cum paucissimis fugit de Vr Chaldæorum, ignem nolens cum aliis pro Deo colere, qui tamen Ismaëlem in domo sustinuit propria. Isaac propter Esau sæuitiam, Iacob imminere sensit homicidium. Ioseph innocentissimus fratrum in domo paterna sustinuit inuidiam, & eos accusauit de crimine pessimo. Moyses vir mansuetissimus sustinuisse dicitur populum duræ cervicis, licet quidam essent beneuoli. Iudicium tempore, quomodo post Gedeon habuerint simoniaccè filij Israël sacerdotium, videatur Iud. 18. Samuel in Heli domo vidit auarè & negligenter nimis Leuitas viuere: imò & luxuriosè viuentes filios Leui cum aliis fœminis adulterantes

tes

tes potuit perpendere. Dauid modò Saulis
 fauitiam, modò Absolonis cum complici-
 bus persecutionem passus est. Iebusæus præ-
 terea numquam extirpari per Israël potuit
 toto regno fidelium, & potentissimorū tem-
 pore. Quorum temporibus diuisum est re-
 gnum Israëliticum, erecta sunt idola, mago-
 rum succreuit superstitio; & non obstante
 quorundam Prophetarum exhortatione, à
 sanctissimis vix vestigium legis colebatur
 Moysaicæ. Adimpleuerunt enim reges nati
 de gente Iudaica tandem plateas Ierusalem
 Prophetarum sanguine innoxio. Completo
 proinde in captiuitate Babylonica annorum
 numero septuagenario, multi ex Israël po-
 puli potius manere eligebant inter gentes
 locupletes, quàm redire in Ierusalem ad co-
 operandum reformationi Religionis perdi-
 tæ. Quot verò mala, Iudas Machabæus Dei
 sacerdos, vna ex parte cum suis sustinuerit
 pro lege Dei; fratribus à parte tunc altera
 legem Dei deformantibus; quotque perse-
 cutiones Onias sacerdos à Simone & Me-
 nelao fictis Pontificibus, reperiet qui libros
 Machabæorum inspexerit.

Sic insuper sub lege Evangelica Christus
 in senatu Apostolico Iudam sustinet: Apo-
 stoli & primitiua Ecclesia Iudeorū & Nico-
 laitaram persecutionem patitur. Petrus cum

Simone

*Deforma-
 tio legis
 Evangelicæ
 quando in-
 cœpta.*

Simone mago decertat. Ioannes à Cherintho hæretico pugnam fuscipit. Paulus innumera patitur à suis falsis fratribus, prout historia tradunt tam Apostolicæ quàm Evangelicæ. Quanta autem deinde nouella Ecclesia à tyrannis sustinuerit tempore Martyrum vsque ad beatorum Siluestri & Constantini imperia, quando nullum generale Concilium propter fidei æmulos congregari potuit: quanta verò deinceps per hæreticos, Arium, Sabellium, & innumeros panè alios eorum complices & schismaticos, Ecclesia à suis passa sit, videat quilibet tam in Eusebij Ecclesiastica, quàm Cassiodori in Tripartita, historiis. Non ergo mirū, si hodie generalis simul omnium reformatio, ad multa, non ad pauca respicientibus videtur humanitus impossibilis. Senserunt hoc olim Doctores Ecclesiæ potissimi: puta Gregorius Nazianzenus in suo Apologetico, vbi caufatur Clerum sui temporis & populum malorum nimis abundare vitiis: quamobrem etiam primum Episcopatum se fugisse asserit. Ita sensit B. Ambrosius, in cuius historia legitur: Cùm Ambrosius radicem omnium malorum auaritiam magis ac magis in hominibus crescere cerneret, & maximè in his qui erant in potestate constituti, apud quos omnia pretio vendebantur; nec non

*Generalis
omniū re-
formatio
humanitus
impossibilis.*

Greg. Naz.
Apolog. i.

Sur. in vita
B. Ambros.
4. Aprilis.

&

& in his qui erant sacris deputati mysteriis, vehementer ingemuit, & se de huius sæculi ærumna liberari exorauit instantius: exauditus est, & illud latè reuelauit suis fratribus. Sicque se beatus Augustinus ad Vincentium Donatistam tuebatur, quando ait; *Quantūlibet viget disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm Arca Noë, vbi inter octo homines vir reus inuentus est, aut melior sit, quàm domus Abrahamæ, cui dictum est, Eiice ancillam, & filium eius; aut melior sit quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Similiter autē fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quoniam difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt; ita non sum peiores expertus, quàm qui in monasteriis defecerunt: vt hinc arbitror dictum in Apocalypsi; *Iustus iustificetur adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.**

Aug. refert
illa ep. 137.
tom. 2.

CA-

CAPVT XV.

Mouet secundum dubium, An melius sit reformationem laxè vel rigidè incipere. Et mouet argumenta pro vtraque parte contradictionis, distinguens finaliter, & ostendens per quinque exempla, quòd qualibet lex in obseruando tepescit, nisi reformatio fiat in ea.

*Ostendit
qua mala
oriuntur
ex laxa re-
formatio-
ne.*

AD secundum dubium, an melius sit reformationem laxè quàm rigidè incipere, in locis vbi reformationi oportunitas arriserit, quid respondendum sit, dubito. Quæ si lentè incipitur, & integra Regula & constitutio non conseruatur rigidè per multitudinem in reformationis exordio, experientia docente didicimus, vix posse postea vniquam perfectam reformationem induci. Tam boni quàm mali in quadam affuefiunt viuendi inertia, quam postea tollere est difficilius, quàm graues in sæculo peccatores conuertere, vt supra patuit de Religiosis tepidis. Qui enim parua negligit, teste Scriptura, paulatim decidit. Semperq; postea sic arguunt: In reformationis principio, & hætenus, fuerunt Patres litterati & sancti, qui ad rigida hæc nos non arctauerunt, cur ergo iugum imponitis nobis, quod nec

nos,

nos, nec patres nostri portare potuerunt? Et sic modò auctoritatem talium, modò præscriptam consuetudinem, modò nature fragilitatem, & multa alia obiiciunt Superioribus; imò sæpè diuisiones in conuentu ex his feminant, ita vt fit multùm difficile eos ad maiora perfectionis instrumenta ponere. Sciunt hoc, qui abstinentiam esus carniæ prohibitam in suo Ordine, & similia, numquam potuerunt obtinere in monasteriis etiam aliàs reformatis, vbi in exordio reformationis hæc non introducta fuerunt.

Si verò dixerimus rigidè fore procedendum ab initio cum deformatis fratribus, opponent plura suprà argumenta posita primo libro, & se coram Ecclesiasticis & secularibus multùm apparenter excusare poterunt hi, qui aliàs ad reformationem sunt inuiti. Obiicient etiam doctrinam Legislatoris supremi Matth. 12. positam, & vaticinium sumptum ex Isaia 42. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciet ad victoriam iudicium.* Respondebunt insuper sicut Christus Matth. 9. contra discipulos Ioannis, qui Christo dixerunt: *Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Nemo committit commissuram panni rudis in vestimentum vetus:*

Mala quæ procedunt ex rigida reformatione.

Mat. 12. 20

Isa. 42. 3.

Mat. 9. 14.

P tol-

tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres vsteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres novos mittunt, & ambo seruantur. Habebunt pretereà pro se fortassis illius sacratissimi Concilij Ierosolymis celebrati sententiam, in quo Petrus ait eis fidelibus, qui circumcisionem volebant gentibus cõuersis imponere: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* Et in eiusdem Conci-

Act. 15. 28. *lij epistola sic Gentilibus scribitur: Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, id est, à propriatis, seu auaritiæ vitio; à sanguine & suffocato, id est, à rebelli inobediëntia, & fornicatione. A quibus custodiëtes vos, benè agitis. Valete.* Quãta porrò cautela B. Benedictus per suã Regulam in capitulo de electione & officio Abbatis committat benigniter tractare & regere eos, qui infirmi sunt moribus; & vasa sunt rubiginea, norût hi, qui eundẽ passum regulę legerunt notabilẽ: respon-

Psal. 18. 8. *dẽdo quòd Lex Domini est immaculata, cõ-*
uer-

S. Bened.
in Reg.

uertēs animas, & testimoniū Domini fidele,
sapientiā prestans paruulis, teste Psalmista.

Tamen ad dubium, Primò notandum, quòd quælibet lex siue Regula per Ecclesiam approbata, quamuis in se sit rectissima & stabilis; tamen propter infirmitatem humanæ naturæ, cui applicatur diu per multitudinem & semper, non manet in vsu, sed dietim, nisi cum magna sollicitudine custodiatur, à moribus hominum labitur: vt patuit in lege naturæ primis insita parentibus, quæ ante diluuium pænè defecit in omnibus: in lege scripta data per Moysen populo Israëlitico, quæ tempore Iudicum & Regum tandem à cunctis ferè deserebatur: in lege Euangelica, quæ in principio nascentis Ecclesiæ custodiebatur exactissimè; & tamen moderno tempore, iuxta Apostoli dictum, refriguit charitas multorum. Et idem patet in quarumlibet Religionum regulis & constitutionibus, quæ olim custodiebantur ad vnguem, sed hodie vix vestigium earum manet. Et ideò propter deficientem vsu cuiuslibet Regulæ, ipsa lex cum regulato assimilatur rebus defectilibus, vtputa, ci-
tharæ, horologio, choro, periodo, ac nauigio. quarum quælibet indiget rectore aut diligenti artifice, qui defectum eius, cum deficere cœperit, arte sua reformet.

*Notandum
quomodo
omnia pau-
latim in-
tereunt.*

*Coacerva-
tio pulcher-
rimorum
similium.*

Horologium enim etsi semel ad cursum sui motus positum per horarum spatia fuerit; tamen deficiente funis longitudine, aut alio accedente impedimento, opus est, vt reformetur per suum artificem. Citharizandi etiam ars, quamuis sit in se stabilis; tamen quia per vsum plectri, aut per tactus duritiam, chordæ successiuè laxantur, & idcirco nisi chordæ retendatur ad normam musicæ, tandem potiùs stridorè, quàm harmoniam in auribus audientium efficiunt. Sic chorus quantumcumq; cantum Ecclesiasticum seu psalmodiam altè incipiat; tamen apud habentes vocum grauedinem, tantum adeò descendit, vt necesse sit cantorem reintonare altiùs. Ita periodus corporis complexionati hominis, quia tendit per elementorum propria continuè ad terminum; oportet, si quis diu viuere debet, vt medici arte reformetur. Sic præterea est de naui, quæ contra fluxum fluminis habet ascendere, necesse est, vt continuè per nautam sursum trahatur, aliàs tandem fluctibus mergetur pelagi, quia descendit continuè. Pari modo est sentiendum de qualibet regula & lege, quæ nisi per artificem sibi propositum continuè applicetur hominibus, tota deperit. Et hanc ob causam reor, Deus omnisciens, hunc modum in omni legis datione tenuit,

tenuit, vt in eius principio semper viros po-
 fuerit perfectissimos; quibus cœptū opus per
 primum eorū impressum impetum, ad per-
 fectionē sui cursus continuaretur diutiùs. Sic
 legi naturali Adam præfecit, de quo dicitur:
Minuisti eum paulo minùs ab Angelis, gloria Psal. 8. 6.
& honore coronasti eum, & constituisti eum
super opera manuum tuarū. Sic legi scriptæ
 Moysen tradidit, virū, cui similis, teste Scri-
 ptura, postea non surrexit inter puros homi-
 nes per decursum Testamenti veteris, solo
 Christi Baptista dempto, si veteri legi debet
 connumerari. Sic legi charitatis & Euange-
 licæ speciosus forma præ filiis hominū præ-
 ficitur, & cœtus Apostolicus. Et ita etiam in
 omni Ordine approbato per Ecclesiā, Deo
 cooperante actum est, vt semper talis Pater
 fuerit in principio, de quo dici posset; *Non*
est inuentus similis illi, qui conseruaret le-
gem Excelsi. Hinc est, quod B. Antonium in
 fronte status monastici, postquā tepuit, pri-
 mō posuit; deinde Basilium, Hieronymum,
 Augustinum, Benedictum, Dominicum, &
 Franciscum, ac similes velut duces exerci-
 tum, propriis anteposuit Ordinibus.

Hæc idcirco prænotauerim, vt videatur,
 quàm necessarium sit eos esse hodie in Re-
 ligione sua discretos & perfectos, qui repa-
 rare habent velut instrumenta nimis defe-

*Quàm pru-
 denter re-
 formatio
 instituenda.*

ctibilia, sui Ordinis citharas mysticas. Ca-
 uere enim habent, ne qui leniter tensi, in
 supererogationis operibus Deo dulciter
 modulari possent, & eum laudare in chor-
 dis & organo: ne nimium tracti ad grauia ex-
 exercitia, sese cogantur rumpere; aut velut ro-
 tam carri murmurare faciant continuè per
 impatientiæ vitium. Caueant etiam è con-
 trario, ne si quis sit, velut chorda putrida,
 fortassis multitudinem inficiens, vt illam, si
 frangatur, aut multitudinem rodat conta-
 giosis criminibus, seorsum studeat ponere,
 & locare pro illa aliam, quatenus multitudo
 Deum laudare possit, velut in psalterio &
 citharis, bonis operibus, tam per Decalo-
 gum, quam per Euangelica consilia. Si enim
 Principum terrenorum musici, qui huma-
 nas aures demulcere solent, sua arte sym-
 phonica pro terreno pretio nihil omittere
 norunt de concernentibus artis suæ regulis;
 quanto magis Prælati & congregationum
 spiritualium Præpositi, pro regni cælestis æ-
 terno præmio, & ob Dei reuerentiam paria
 debent facere? Vt videlicet in corrigendo
 suam musicam, & reformando vasa musi-
 ca, nihil omittant de contingentibus, quan-
 tum humanitus est possibile. Notandum
 Secundò, quòd hîc opus est distinctione
 B. Augustini in libro suo Enchirid. vbi po-
 nit

Aug. c. 110.
 Enchirid.

nit quatuor animarum differentias : Sunt enim quadruplices nonnumquam in con-
 uentu aliquo fratres : quidam valdè boni, quidam valdè mali, quidam mediocriter boni, & quidam mediocriter mali.

*vt quatuor
 animarum
 differentia
 secundum
 S. Aug. sic
 quatuor
 differentia
 Religioso-
 rum.*

Cum primis igitur, respondendo ad du-
 bium, agendum est leniter; & tamen ita, vt
 regulam & statuta seruent pro viribus inte-
 grè, quia tales sibilo mouentur leniori. Cum
 mediocriter bonis procedendum est pari-
 formiter, nisi tepori se dietim contra regu-
 lam dare inciperent, quia tunc inclinandi
 sunt voce & exhortatione asperiori. Cum
 mediocriter verò malis, qui contagiosis non
 sunt imbuti vitiis, calcaribus mixtim & si-
 bilo exhortatorio vtendum erit. Cum valdè
 malis autem, qui vitiis letalibus inficiunt a-
 lios, ita prouidendum erit, ne alios corrup-
 pant, & vt ipsi à suis malis resipiscant; aut
 saltem vt maiora mala, puniti & custoditi,
 perpetrare non possint. Faciant igitur in his
 omnibus reformatores, prout in his & in a-
 liis vnctio Spiritus sancti docuerit, & regula
 seu statuta ac aliorum Doctorum scripta de-
 terminauerint; atq; quemadmodum in cir-
 cumstantiis locorum, temporum, & perso-
 narum, experientia seu euidètia facti informa-
 uerit: quia de his impossibile est, cum sint
 particularia, regulas ministrare sufficientes.

CAPVT XVI.

Determinat tertium dubium, & ostendit quot fuerint & sint radices lapsuum in diuersis Ordinibus, nempe sedecim. Et primas quinque declarat: & sunt, malorum prælatio, correctionis omiſſio, officialium multiplicatio, larga dispensatio, & inobedientium rebellio.

AD tertium dubium, quæ sint & fuerint radices lapsuum in Ordinibus: memini de hoc legisse cuiusdam Doctoris deuoti Ordinis Prædicatorum Tractatû quemdam, & responsa notabilia, quæ coram me nõ habeo, nec memoria mea ista fortè in toto retinet. Occurrunt tamen mihi quædã ex eisdem & ex aliis, & sunt numero xvi. Quorum quædã habent locum in capite, quædam in membris, quædã in vtrisque, & quædam ex aliis accidentibus. Omnia tamen causa destructionis exstiterunt regularis obseruantie: videlicet quoad capita, indignorum & malorum prælatio, correctionis omiſſio, officialium inutiliũ multiplicatio, & larga in professis dispensatio. Quoad subditos verò, Prælati exhibitæ rebellio, priuata temporalium appropriatio, incauta cum exteris conuersatio, & studij religiosi omiſſio. Quoad vtroque

Enumerat sedecim radices, quæ lapsuum Religionis progignunt.

que autem, videlicet tam quoad Prælatos, quàm quoad subditos, sunt ineptorum ad officia promotio, minimorum debitorum inconsideratio, locorum nimia multiplicatio, feminarum incauta adhæsiō, & bonorum virorum perditio. Sed quoad extrinseca, sunt diuitiarum improportionata augmentatio, bellorum & tyrannorum oppressio, parochiarum noua incorporatio.

Prima radix est, indignorum & malorum prælatio. Hanc ob causam Christus in templo *eiicere cepit vendentes & emētes*, Matthæi 22. vbi dicit Chrysostomus; Sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit. Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Sic enim cum videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia vitium habet in radice: sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum.

Secunda radix est, correctionis debitæ omissio. Non enim solum verbis oportet corrigere subditorum insolentiam, sed etiam factis: alioquin culpa tam in Prælato redundat, quàm in subditos, vt expressè contigit Heli summo Sacerdoti respectu filiorum suorum, qui fures erant diuini sacrificij,

P 5 auari

Prosequitur primam radicem.
Mat. 21. 12.
Chrysost. hom. 38. in Mat. in op. imperf.

Maximi refert in Ecclesia sacerdotes esse bonos, aut malos.

II. Radix.

*Quantum
malum ex
omissa cor-
reptione.*

auari & fornicarij, quos pater quidem ver-
bis, sed lenibus solùm corripuit: idcirco eis
non emēdatis, pater mortuus est subitanè,
filij in prælio; alterius vxor, scilicet Phinees
intempestiuo partu periit; arca capitur, &
Sacerdotij dignitas à genealogia Heli subla-
ta est, 1. Reg. 2. & 4. cap.

III. Radix

*Damna ex
facile amo-
ris aut mul-
tiplicatis
Prælati.*

Tertia radix est, officialium inutilium
multiplicatio, quæ fit quandoque in Præla-
ti nimis veloci amotione, qui nouit iam
ouium proprietates, & per consequens eas
melius regere, si bonus est, quàm alius,
qui sequitur, facere valeat; qui antequam
prædecessoris sui experientiam acquirit, ou-
ibus in regiminis pastu multum deperit. Fit
etiam ista officiorum multiplicatio & offi-
cialium, inutilis & nociua plurimum, præ-
fertim quādo pro officiis pecunia & emolu-
menta temporalia aliqua etiam pro mona-
sterio recipienda occurrunt: quia exinde
fiunt faciliter proprietarij, & euaporatur
propter extrinseca officia ipsa acquisita de-
uotio. Horrent exinde loca regularia, &
Deo subtrahitur seruatorum debitus in cho-
ro numerus. Sic enim dum sacrista pro ec-
clesia pecuniam recipit, librarius pro scri-
ptoribus, vestiarius pro vestitu, sutor calceo-
rum artifex pro corio, pistor pro molendi-
nario, infirmarius pro debilibus, Abbas vel

*Nota quā-
ta officialiū
diuersitas
apud de-
formatos.*

Prior

Prior pro sibi necessariis, procurator pro sæcularibus, burfarius pro conuentus utilitatibus; & sub pietatis specie, per officialium numerum, qui sub vnico vel binario conseruari bene posset, latenter subintrat proprietatis vitium. Non sic Christus fecisse legitur primitiuè, nec Ecclesiæ Principes. Nam inter duodecim Apostolos & septuagintaduos Discipulos, solum Iudam pro procuratoris officio elegit, qui pecuniam tractaret, & haberet loculos, vt dicitur Ioan. 13. Et in Ioan. 13. 29 cœtu primitiuæ Ecclesiæ, qui circiter tria millia personarum habuit, propter ministerium mensæ, id est victualium, non videntur nisi septem electi esse Diacones, Act. 6.

Quarta radix est, larga in professis dispensatio, in his videlicet, quæ ad Regulam & statuta pertinent. Nam ex talibus sequitur omnium ad Religionem pertinentium tandè dissipatio. Quo contrà reperimus in primordio cuiuslibet legis Prælatos transgressoribus earum pœnas durissimas inflixisse. Quæ gra- uiter animi aduersum in Priores vtriuslibet legis transgressores. vnde de hominè, qui Sabbato collegit ligna, in carceratū iussit Deus in principio dationis legis Mosaicæ per omnè Israël lapidibus extra castra obrui, Num. 15. Et de blasphemomominis Dei, pari modo incarcerato, Deus Num. 15. v. 35. ait Leuit. 24. *Educ blasphemum extra castra, & ponent omnes, qui audierunt manus suas super*

super caput eius, & lapidet eum populus uniuersus. Sic etiam filij Israël post acceptam legem, quando eam non curauerunt seruare, nunc incendio, nunc serpentibus, nunc terræ hiatu à Deo puniti esse leguntur. Pari modo in primitiua Ecclesia, vt Religio- nis eius regularis obseruantia, præsertim in paupertate voluntaria custodiretur, Christo permittente, Iudas proprietarius suspendio interiit, & eius sequaces Ananias & Saphira subitanea morte per Petri sententiam plexi sunt ilicò, vt habetur Act. 5. Benè ergo Prælatum describit Apostolus ad Titum 1. di- cens: *Oportet Episcopum, id est, superin- tendentem Prælatum, esse sine crimine sicut Dei dispensatorem.*

*Descriptio
Prælati.
Tit. 1. 7.*

v. Radix.

*Definit in-
obedientiã.*

*Hugo li. 2.
de claustro
animæ c. 13
Cōtemptus
trifariã
medetur.*

Quinta radix est, Prælati exhibitæ per inobedientiam rebellio. Est autem, vt ait Tullius, inobedientia, duritia mentis obstinata, cum debeas imperanti velle obtemperare. & vt Hugo dicit lib. De claustro animæ, morbus ex superbiæ tumore procedens: sicut sanies ex vlcere, sic ex superbia contemptus manat. Hæc autem tribus modis mederi solet, videlicet emplastro, vnguento, & ferro; id est, exemplo boni operis, verbo exhortationis, & disciplina correctionis. Cum enim vlcus non emittit per confessionem saniem, vel ex commoni-
tione

tionem non permittit emendationem, restat
vt ferri recipiat incisionem, id est, corre-
ctionem disciplinae.

CAPVT XVII.

*Declarat quinque alias radices, quae sunt
temporalium priuata appropriatio, in-
cauta cum extraneis conuersatio, studij
Religiosi emissio, ineptorum ad officia
promotio, & minimorum debitorum in-
consideratio.*

SEXTA radix est, priuata temporalium VI. Radix.
appropriatio contra Superioris rationa-
bilem licentiam, contra communitatem re-
rum, & contra votum paupertatis. De qui-
bus Cassiodorus dicit: Prouidè decreuit an-
tiquitas vniuersitatem edictis generalibus Cassiod. l. 9
variarum
epist. 18.
admoneri, per quae & debitum animae cor-
rigitur, & excedentis verecundia non graua-
tur. Cuncti enim sibi aestimant dici, vbi nul-
lum constat exponi, & similis fit innocenti,
quem contigerit sub communionem purgari.
Huius autem communitatis laesionem per
bona applicata iure proprietario, omnes Re-
gulae sanctorum Patrum summè detestati
sunt. Patet hoc in praereditatis de Ananiæ &
Saphiræ & Iudæ poenis crudelibus. Patet in
primis Ægypti, & ei propinquis Patribus,
qui

qui talem volentem habere propria, simi-
bant ab inferni canibus nudum dilacerari
per *delationem carniū. Patet in B. Augu-
stini Regula, vbi dicit: Si quis rem sibi colla-
tam celauerit, furti iudicio condemnetur.
Patet in fratre Iusto, non re sed nomine,
Ordinis S. Benedicti, qui ob occultatio-
nem trium aureorum sine presentia fratrum
est mortuus, & in sterquilinio, iubente bea-
to Gregorio, est sepultus; & quamuis in
morte pœnituerit, tamen omni ferè suf-
fragiorum p̄sidio vsque ad diem triges-
imum est spoliatus.

*delecta-
tionem
August. in
Reg. to. 1.

B. Greg.
l. 4. Dial.
cap. 55.

VII. Radix
ex qua de-
formata
Religio.

Conuersa
tio malorū
perniciosa.

Isa. 6. 5.

Septima radix est, incauta cum exteris
conuersatio: quia hæc nisi moderatè fiat,
etiam cum circumspectione maxima, citò
deuotionis exhaurit vigorem. Vix enim per-
fecti sine peccato conuiuere possunt natio-
ni prauæ & peruersæ, minùs autem hoc va-
lent imperfecti. Hæc ille S. Propheta sensit,
cùm ait: *Vir pollutus labiis ego sum, in me-
dio populi polluta labia habentis ego habito.*
Isaiæ 6. Vbi Glossa: Hoc dicit Isaias pro
societate populi, cum qua cogebatur loqui.
Noxium est cum peccatoribus viuere: quia,
qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Hu-
ius radice vitiatione, duo videntur Ordi-
nes sine lapsu ab initio stetitisse, Carthusien-
sium, & Cælestinorum.

Huius

Huius cohabitationis infectio B. Grego-
 rium coëgit à felicitate sæculi Ordinem in-
 trare monasticum, & deinde in Summum
 Pontificem electum vitæ suæ statum deplora-
 rare, vt patet in Dialogorum proœmio,
 & in Prologo super Iob, vbi dicit: Post-
 quam sum cælesti desiderio afflatus, sæcula-
 rem habitum contemnere melius putavi.
 Cumque ad hoc me cogeret animus præ-
 senti mundo quatenus specie tenus deser-
 uire, cœperunt multa contra me ex eiusdem
 mundi cura succrescere; vt in eo non iam
 specie, sed quod grauius est, mente retine-
 rer. Quæ tandem cuncta sollicitè fugiens,
 portum monasterij petij. Contra præfatam
 radicem, B. Antonij sententia fuit & habe-
 tur in vitis Patrum; Quocumque, inquit,
 vadis, Deum semper habe præ manibus; &
 in his quæ agis, adhibe testificationem sa-
 crarum Scripturarum; & quocumque loco
 sederis, non citò mouearis. Et iterùm: Quie-
 scens in solitudine à tribus bellis eripitur,
 scilicet auditus, locutionis, & visus; & vnã
 tantummodò habet pugnam, scilicet cor-
 dis. Ait iterùm idem: Sicut pisces si tarda-
 uerint in sicco, moriuntur; ita monachi ex-
 tra cellam tardantes, à quietis proposito re-
 soluuntur. Sic Helinandus sanctam Abba-
 tissam Syncleticem dixisse ait: Sicut gallina
 dese-

B. Greg. in
 epist. ad
 Leand.

In vitis
 Pat. part. I.

Solitarius
 à tribus bel-
 lis eripitur.

Ex Heli-
 nand. refert
 hæc Vin-
 cent. li. 17.
 hist. cap. 9.

deserens nidum suum, facit oua sua sine pullis exire; sic monachus vel virgo de loco ad locum transiens, frigescit, & mortificatur.

ix. Radix

Octaua radix est, studij religiosi omissio: quæ iam Mendicantium Ordines, eos comparando ad præterita, multum tendere facit ad occasum. Percepi idipsum ab Ordine possessionatorum à viris optimæ conscientia, se non diu reformatos esse mansuros, nisi studium apud se resuscitarent. Habet igitur locum hodie in vtrisque illud Osee 4.

Osee 4. 6. *comminatum populo Israël ruituro: Contuituit populus meus; eò quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum*

Hieron. ad
Rusticum
monach.
tom. I.

& ego. Hinc Hieronymus Rustico monacho in epistola ad eundem exarata: Numquam de manibus & oculis tuis recedat liber. Et idem: Ama scientiam Scripturarum, & vitia carnis non amabis. Litteratorum enim

*Ignorantia
mala.*

virorum carentia in monasteriis, litteratis sæcularibus ingressum vetat, Ordinis Prælatos reddit contemptibiles, vitiosos nescit corrigere; nec tentatos iuuenes credere finit suis rectoribus. Quo contra docuisse videtur B. Hieronymus super Psalmos dicens:

B. Hieron.
sup. Psal.

Solent viri, solent & monachi, solent & mulier-

lierculæ, hoc inter se habere certamen, vt plus ediscant Scripturas, & in eo se putant esse meliores. Et ad Demetriadem virginē: Hieron. ad Demetr. tom. 9.

Vtere, inquit, lectione diuina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conseruando, & pulchriora faciendo. Scriptura enim speculum est, fœda ostendens, & corrigens, & docens. Sed vtinam hodie non haberet locum in quibusdam monasteriis illud Isaia 5. maledictum: *Vae, inquit, qui consurgitis mane* Isa. 5. 11.

ad ebrietatem seētandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiujs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.

Et statim causam huiusmodi excessiuū subdit: *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habebat scientiā, & nobiles eius interierunt fame, (Glossa, verbi Dei:) & multitudo eius siti exaruit, (Glossa, realis doctrinæ.) Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; vlllo termino. Et descendunt fortes eius, & sublimes eius, gloriosiq; eius ad eum.*

Nona radix est, ineptorum ad officia promotio: quæ fit aliquando ad officia capitum, de quo prius dictum est; aliquando ad officia membrorum & particularia; aliquando etiam ad gradus scientificos, vbi litteratura

Q

NON

non suppetit. Ex quibus sequuntur communitati multa dispendia : quia si illud fit in officiis eorum temporalibus, tunc tales aut superbiunt, aut iniuriantur proximis, aut pereunt conuentus bona temporalia ex talium incuria. Tales officarios, viros pessimos, ponere super filios Israël olim studuit rex Antiochus; de quo 2. Machab. 5. dicitur: *Reliquit autem & prepositos ad affligendam gentem: Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorum eo ipso, à quo constitutus est: in Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui grauius quàm ceteri imminebant ciuibus.* Si autem fit ineptorum promotio ad gradus immeritos, sequuntur grauiora plerumque Ordini & loco incommoda: quia sic Ordo vilipeditur, qui admittit talia; fit iniuria scientiæ & gradui. Volunt tales regere ceteros, & prælaturas statim ambiunt. De quibus dicit B. Ambrosius: Rescindenda insipienti potestas, non adiicienda libertas. Hanc etiam ob causam nonnulli de quodam Mendicantium Ordine, prout tempore nostro accidit, nullum admittere voluerunt ad supremum conuolare Theologiæ gradum in suis conuentibus: studium quidem non prohibentes, sed verentes gradus abusum. an bene vel malè, aliis iudicandum committo.

Deci-

Quid mali ex Superiore malo

2. Mach. 5. v. 22.

Quid indolentium promotio.

Amb. lib. 2. ep. 7. non-nihil à fin.

Decima radix est, minimorum debito- x.Radix.
 rum inconsideratio & negligentia. vnde Ec-
 cles. 19. *Qui spernit modica, paulatim deci-* Eccli. 19.1
dit. Hinc Philosophus 5. Politicor. dicit:
 Oporteret quod paruum est, maximè obser- Arist.lib.5.
 uari, latet enim subintrans præuaricatio; Polit.c 8.
 sicut substantias, parua expensæ consumunt cap. fin.
 sæpè factæ. Et Tullius lib. 1. de Officiis: *Que*
parua videntur esse delicta, ab his est dili-
gentius declinandum. Tales fuerunt Patres
 monachi primitiui; de quibus dicit Cassia- Cassian.l.4
 nus, de Institutis monachorum: In septima- de Instit.
 na cuiusdam fratris, cum præteriens Oeco- monach.
 nomus tria lenticulæ grana vidisset iacere cap.20.
 in terra, quæ hebdomadario festinate, dum
 ea præparat coctioni, inter manus, cum aqua
 qua diluebantur, elapsa sunt; confestim su-
 per hoc Abbatem consuluit, à quo velut in-
 teruersor neglectorque sacri peculij iudica-
 tus, ab oratione suspensus est. Cuius negli-
 gentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi
 eum publica poenitentia diluisset. Non so-
 lum enim seipfos esse seruos, sed etiam om-
 nia quæ sua sunt, credunt Domino conse-
 crata. Propter quod si quid fuerit in mona-
 sterio semel illatum, vt sacrosanctum decre-
 uerunt cum omni reuerentia debere tracta-
 ri. Sunt enim multi, qui non curant trans-
 gredi statuta parua, & peccata venialia inci-
 dere:

Q 2

Contēnen-
tes parua
& venia-
lia, errant.
Aug. lib. de
x. chordis,
cap. 11. &
tract. 12. in
Ioan. circa
fin. tom. 9.

Boëth. c. 6.
Pulchrè
dictum

*cōstantia:

dere: cū tamen per talia perueniatur ad magna. In cuius cōtrarium dicit Aug. lib. de decem chordis: Nolite cōtemnere venialia, quia minima sūt: sed timete quia plura. Plerumque enim bestiaē minutæ multæ nocent. Numquid minutissima sūt grana arenæ? sed si arena ampliùs in nauī mittatur, mergit illam, vt pereat. Quàm minutæ sūt guttæ pluuiæ: nōne flumina implent, & domos deiiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis. Aduertendum præterea, quòd omnis mali origo semper fuit negligentia. Si enim primus Angelus circumstantias debitas, & primus homo similiter, inspexissent; talia nequaquā in peccata corruissent. Propter quod Boëth. lib. De disciplina scholarium dicit: Sicut in vnoquoque opere mater est * diligentia, ita vniuersæ doctrinæ & disciplinæ nouerca est negligentia.

CAPVT XVIII.

Declarat tres alias radices: quæ sūt, locorum nimia multiplicatio, feminarum incauta adhesio, & bonorum virorum perditio.

XI. Radix. VNDECIMA radix est, locorum nimia multiplicatio, aut in numero monasteriorum, aut in vno monasterio structurarum varie-

varietas. Ex monasteriorum enim multitudine, in exemptis Ordinibus præsertim, sequitur difficultas regiminis; quia quod nimium est, vix, aut nullatenus regi potest, ut patet in multitudine exercitus: de qua quidam sapiens ait Dario, plus esse contra Alexandrum timendum, quàm de ea gaudendum foret. Sequitur etiam carentia & fratrum penuria faciliter: quia per talia varia loca oportet à locis, ubi quidam essent necessarij, eos mitti aliò. Sequitur insuper minor ad Ordinem fauor, quia raritas rebus pretium imponit. Sequitur prætereà, potissimè apud Mendicantium fratrum Ordines, defectus rerum temporalium: quia cum ex terminis se nutrire habeant, arctitudo terræ multis non finit ministrare victum, ubi paucis sufficeret. Hæc & similia motiua legitur olim monuisse Prædicatorum Ordinem primus postillator totius Bibliæ, Venerabilis Hugo eiusdem Ordinis, iam assumptus in Cardinalatus officium, quatenus scilicet Ordo à nimia cōuentuum multitudine abstineret. Ex multiplicatione verò structurarum in vno monasterio, sequuntur magna inconuenientia, quæ supra lib. i. cap. 17. narrata sunt. Insuper expensæ graues ex eodem imminent, nunc de lignis submouendis, nunc de muris reficiendis, &

Inconuenientia ex multitudine monasteriorum.

Hugo Ordinis Prædicatorum, primus postillator totius Bibliæ. S. Scriptura.

Q 3

nunc

*Timenda
religioni dū
nimum se
amplificat
& extendit.
Ita. 5. 8.*

nunc de rectis refarciendis. Timendum igitur est multis Religionibus, ne illud malum eis appropriari possit Isaia 5. *Vae, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terra? In auribus meis sunt haec, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multa deserta fuerint grandes, & pulchra absque habitatore.*

*XII. Radix
ruinam
religioni
generans.*

*Num. 31.
v. 16.*

*B. Aug. l. I.
Soliloq.
c. 10. to. I.*

*Hieron. ad
Nepot. de
vita Cler.
tom. I.*

Duodecima radix est, feminarum incauta ad haesio; siue sint illae saeculares siue monasticæ. De quibus Moyses Num. 31. dicit Israël, qui obtento bello seruauerunt feminas: *Nonne istae sunt, quae deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, & prauari cari vos fecerunt in Domino, super peccato Phogor, vnde & percussus est populus?* Ad idem est B. Augustinus lib. Soliloq. Nihil esse sentio, quod magis ex arce deiiciat animum virile, quam blandimenta femine. Et Hieronymus ad Nepotianum: *Hospitulum tuum aut raro aut numquam mulierum pedes terant: omnes puellas ac virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita castitate confidas. Nec Sampson fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memeto semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecit.*

eiecerit. Et ad Heliodorum: Quid facit monachus in cellis feminarum? quid sibi volunt priuata & sola colloquia, & arbitros fulgentes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Ideò idem Hieronymus de vita Clericorum: Feminarum cum Clericis nullo pacto coniuncta permittitur conuersatio. Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuum genus est femina. Cum proximat, stimulat, ignem incendit, flammigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, & exurit fundamenta montium. Si cum viris feminae habitent, viscarium non deerit diaboli. Medium loquendi cum feminis tenere docet Athanasius libro suo exhortatorio ad monachos, ubi sic dicit: Vita uestra iubeat, lingua suadeat, quia plus auctoritatis exemplum, quam sermo gestat. Feminas probas & Religionis studio Deo dedicatas, cum mensura venerationis honorate, ut nec austeritas inhumana, nec fedulitas sit remissa. In loquendo autem cum eis, praecipue vobis aetas, hora, solitudo vitanda sunt, ut vitetur omne quod contra vos potest fingi, tamquam possit credi. Ipsa feminae semina priusquam nutriatur, intereant: non enim vobis tandem fides facti, sed etiam possibilitas est releganda mendacij.

Tertia decima radix est, bonorum virorum

Q 4

Hieron. ad Heliodor. fortè aduer. Vigilant. cir. fin. tom. 2.

Hieron. ad Oceanum de vit. Cler. tom. 4. *Femina describitur.*

Athanas. in exhor. ad monach.

Qualis femina honoranda.

Quid inter loquendum cum eis seruandum.

XIII. Radix.

Prou. 29.
v. 18.

rum perditio, quia tunc maligni libertatem habent malè viuendi. Sensit hoc, qui ait Prouerb. 29. *Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus.* Perduntur viri boni multipliciter: aliquando ineuitabili morte, violenta vel naturali: aliquando per corruptores animarum, morte deterius morali: aliquando per tyrannos sæculares vel Ecclesiasticos de territorio propelluntur, morte ciuili: aliquando etiam de vno loco mittuntur ad alium, cui subueniendum erit.

Quantum
obstet profligare probos

Cauendum ergo, quantum ratio dictauerit, & quantum est humanitus possibile, ne notabiles viri perdantur: quia in eorum presentia salus animæ conseruatur, quæ in eorum perditur absentia. Vnde Prouerb. 29.

Prou. 29. 2.

In multiplicatione iustorum latabitur vulgus; cùm impius sumpserit principatum, gemit populus. Et iterum: *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, & ruinas eorum iusti videbunt.* Patuit hoc in Moyse, quo viuente religio veteris Testamenti fidelissimè per eum retenta est: & inde moriturus, ait ad Israël: *Novi quòd post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via, quam precepi vobis.* Sic Iosue moriturus ait ad populum Israël: *Non poteritis seruire Domino.* Et Iudicum 2. dicitur:

Deu. 31. 29

Seruierunt q̄ Domino (scilicet filij Israël)

Ios. 24. 19.

Iudic. 2. 7.

cunctis

cunctis diebus Iosue, & Seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore. & statim sequitur: *Et surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera que fecerat cum Israël: feceruntque filij Israël malum in conspectu Domini, & seruiuerunt Baalim; ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum.* Hinc de assumendo Elia in paradisum, per Helisæum 4. Regum 2. clamando dicitur: *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius.* Currus enim supportat, & auriga dirigit: sic Elias populum Israël supportauerat, defectus supplendo in impetratione pluuiæ, periclitante populo, & reduxit eundem ad veram fidem per impetrationem super holocaustum. Pari modo Helisæo ægrotante, & statim morituro, vt dicitur ibidem c. 13. *Descendit ad eum Ioas rex Israël, & flebat coram eo; dicebatque, Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Ita rex Iuda Ioas, viuentem Ioiada Sacerdote, eodemque dirigente, optimè rexit regnum, legem, templum, sacerdotium, & alia regulauit sanctissime: sed statim, Ioiada defuncto, se adorari permisit vt Deum, 2. Paralip. 24. Iudic. 2. 10
4. Re. 2. 12.
4. Reg. 13.
v. 14.

Q 5

CA 7

CAPVT XIX.

Declarat duas alias radices: quæ sunt, diuitiarum improportionata augmentatio, & bellorum ac tyrannorum oppressio.

XIV. Radix **Q**UARTA DECIMA radix est, diuitiarum improportionata augmentatio, per quam videmus hodie grauissimè collapsa in Religione monasteria: nec mirum, quia abicitur paupertatis votum per diuitiarum inordinatum vsus. Ex hac radice monasterium S. Martini Turonis in moribus adeò collapsum fuit tempore magni Caroli, ita vt ibi monachi viuerent nimis deliciose, induerentur sericis vestibus, & calceamentis aurei coloris. Vnde duo Angeli ingressi sunt dormitorium; & vno digitum extendente, alter monachos indicatos percutiebat. Vnus autem monachus vigilans, hoc videns, fugit; & Angelum, ne se occideret, per nomen Dei adiuratum emolliuit, vt refert S. Odo Abbas, & Vincentius in Speculo historiali, lib. 23. Destruunt autem diuitiæ Religionem dupliciter: vno modo quando assumuntur à particularibus personis vt propriæ, & tunc adest proprietatis vitium, quod Christus in Anania & Saphira puniuit grauissimè, Actor. 5. Alio modo, quando diuitiæ

non

*Diuitiis
collabuntur
religiones.*

*Pulchrum
exemplum.*

*S. Odo a-
pud Sur. 18.
Nou. lib. 3.
vitæ. &
Vincent.
lib. 23. hist.
c. 173.*

*Dupliciter
diuitiæ va-
stant deco-
rem reli-
gionis.*

non habentur in proprio, sed in communi.
 An tales diminuant perfectionem Religio-
 nis, definit S. Thomas in hæc verba: Habe-
 re superabundantes diuitias in communi,
 siue in rebus mobilibus, siue immobilibus,
 est impedimentum perfectionis, licet tota-
 liter non excludat eam. habere autem de
 rebus exterioribus in communi, siue mobi-
 libus siue immobilibus, quantum sufficit ad
 simplicem victum, perfectionem Religionis
 non impedit, si consideretur paupertas per
 comparisonem ad communem finem Re-
 ligionum, qui est vacare diuinis obsequiis.
 Si autem consideretur per comparisonem
 ad speciales fines Religionum, sic præsuppo-
 sito tali fine, siue paupertas maior vel mi-
 nor, est Religioni accommodata: & tanto erit
 vnaqueque Religio secundum paupertatem
 perfectior, quanto habet paupertatem ma-
 gis proportionatam suo fini. Et ibidem po-
 nit tres gradus Religiosorum. Primi sunt,
 quorum religio ordinatur ad actiones cor-
 porales vitæ actiuæ, vt ad militandum, vel
 hospitalitatem sectandam, & isti debent ha-
 bere communes diuitias & abundantiam
 diuitiarum communium. Alij sunt, quo-
 rum religio ordinatur ad vitam contempla-
 tiuam, & talibus competit habere possessio-
 nes moderatas: nisi simul oporteat tales
 Reli-

S. Tho. 2.2
 q 188. ar. 7

*Non maior
 paupertas
 optima, sed
 fini con-
 gruentior.*

*Quibus Re-
 ligiosis com-
 petant ma-
 gna diuitia.*

*Quibus
 mediocres
 diuitia.*

Quibus
modica di-
uitia.

Qua cen-
seantur su-
perabun-
dantes di-
uitia Reli-
giosis.
Hieron. ad
Heliod.
Episc. de
morte Ne-
potian. t. 1.

Deut. 32. 15

uinum verificetur Deuteronom. 32. *Incras-
satus est dilectus, & recalcitrauit: incras-
satus, impinguatus, dilatatus, dereliquit
Deum factorem suum, & recessit à Deo sa-
lutari suo.*

xv. Radix.

Decima quinta radix est, bellorum ac
tyrannorum oppressio, per quæ apud Græ-
corum & Latinorum Ecclesiam innumera
propè

prope nostra tempora sunt deuastata monasteria; nunc per Saracenos, nunc per hæreticos, vt in Bohemia; nunc verò per bella Principum, vt in Francia; nunc prætereà per alios sæculares Dominos, qui exactiõibus, prædis, & oppressiõibus variis, plura monasteria ipsi destruunt, quæ eorum progenitores fundarunt & dotarunt opulenter.

De qua clade dicit Psalmista: *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Ob tale infortunium coacti sunt Rechabitæ deuoti, cærimonix de non bibendo vinum, & de non habitando in domibus, sed in tabernaculis, dimittere in parte rigorem à patre eis iniunctum, in tempore, quo Nabuchodonosor rex Babylonis incepit vastare terram Israël. Sic postmodum religio Testamenti veteris, quæ habebatur in templo Ierosolymis, funditus defecit ibidem, quando Nabuzardan Princeps dicti Nabuchodonosor intrauit Ierusalem, succendit domum Domini, omnemque domum combussit igni, & muros Ierusalem in circuitu destruxit: translati sunt cum vasis viri & feminae in infinita multitudine, & sacerdotes cum ministris in Babylonis regnum, 4. Reg. vltimo. Ita cum Antiochus rex pessimus dominari cœpit in Ierusalem, & in circuitu, cultum veri Dei de templo eliminauit, & ciuitati Ierusalem
idola

Psal. 9. 23.
Persecutionis tempore
perit Religio.
Ierem. 35.

idola introduxit, & cærimonias omnes diuinas prohibuit; ita vt nullus se auderet Iudæum nominare; ac infinita alia mala cultoribus Dei altissimi intulit, prout diffuse habetur 1. Machab. 1. Et quamuis talia mala bellorum sæpe suis peccatis mereatur populus: tamen valdè verendum est, quòd similia suis deformitatibus plus demereatur Clerus & status Ecclesiasticus. Hæc tradit Chrysoftomus super isto 21. Matth. *Eiecit vendentes de templo, &c.* vt allegatum est in 1. radice.

Peccata populi irritat Deum, magis Ecclesiasticorum.
Chryl homil. 38. in Matth.

CAPVT XX.

Pandit decimam sextam & ultimam radicem: quæ est Parochiarum plurium incorporatio. Et elicit sedecim remedia contra lapsum Religionis.

XVI. Radix

SEXTA DECIMA radix est apud quosdam, Parochiarum plurium incorporatio; propter quam aut vix reformari possunt, aut si reformati sunt, difficulter in bono perseuerant. Non enim dubium, quin per religiosos viros salus animarum multum procurari possit apud plebeios: sed cum monachus solus, aut etiam alteri consociatus, multum manet extra suum cœnobium, sicut curam habentibus est necessarium, faciliter eis placet

Religiosi curam pastoralem administrantes quibus malis expositi.

cet fuga monasterij, horret exinde fratrum
 in clauſtro contubernium, moram trahat
 neceſſe eſt ſatis ſepè circa ſexum femineum,
 & implicari habet rebus temporalibus. Ex
 quibus ſequitur inobedientia ad Superio-
 res, negligentia mandatorum in Regula, ca-
 ſtutatis periculum, & philargyriæ incendi-
 tur vitium. Prudenti igitur conſilio uſi ſunt
 primitiui Patres Prædicatorum Ordinis, qui
 in ſuis ſtatutis inhihent, ne pro eis aliquis
 recipiatur locus cui ſit annexa cura anima-
 rum: idipſum faciunt Canonicorum regu-
 larium, vt audio, conſenſu vnanimi, multa
 in Germaniæ partibus reformata monaſte-
 ria. Percepi præterea relatione viri cuiuſdam
 fide digni, quemdam noſtro tempore Ab-
 batem fuiſſe alterius Ordinis; qui cùm re-
 periret ſuum monaſterium multarum Eccle-
 ſiarum parochialium eſſe plebanum, litte-
 ras vel bullas conſectas deſuper omnes ſcal-
 pello diſcerpſit, dicens in contrarium mur-
 murantibus: Malo Eccleſias perdere, quàm
 bonos monachos: ſunt enim ſæculares plu-
 rimi, qui prouidere poterunt Chriſti ouicu-
 lis. Huius mentis fuiſſe diuoſcitur B. Gre-
 gorius, qui Caſtorio Ariminenſi Epifcopo
 ita ſcribit: Miſſas publicas in cœnobio om-
 nino fieri prohibemus, ne in Dei ſeruorum
 reſſibus, & eorum receptaculis, vlla popu-
 laris

B. Greg.
 lib. 4. epiſt.

laris præbeatur occasio conuentus: quia non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi Episcopus Cathedram collocare, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationē, quamuis leuissimam, faciendi, nisi ab Abbate fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate; vt remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus, diuinū opus cum summa deuotione animi perficiant. Et habetur 18. qu. 2. Luminoso. vbi Glossa super verbo *publicas*, dicit: *Publicas*, in quibus est concursus populorum, quæ fiunt in hora tertia; sed *publicas*, id est, solemnes benè cantant. Et super verbo *recessibus*, dicit: Potius ergo essent monasteria in solitudine, quàm in vrbe.

*Generales
modi sedecim
reformationis
Re-*

Ex prædictis igitur radicibus sedecim, religionē inficientibus, possunt sedecim cautelæ elici à sensu contrario, per quas collapsa possunt monasteria reformari, & conseruari iam reformata; videlicet vt digni & boni pro Prælati ponantur; vitia debite corrigantur; inutiles officiales non ponantur; faciliter in regula & statutis non dispesetur; Prælati nequaquam rebellio fieri permittatur; temporalia fratribus in nullo approprientur; rarò fratres vel cautè cum sæcularibus conuersentur; studium litterarum, præsertim

tim sacrarum, non negligatur; indocti officii scientialibus non intitulentur; minima mala ne fiant, prouideatur; monasteria non nimis multiplicentur; feminis fratres non sine magna necessitate conuersentur; viri boni pro posse manuteneantur; diuitiæ superabundantes caueantur; pro pace terræ crebrò Deus & Sancti exorentur; & cura saltem per proprios fratres, aut non retineatur, aut vt solùm per solidos regatur, vel in toto adimatur. Ex his iam liquet, qui sunt modi generales Religiosos reformandi.

CAPVT XXI.

Dat specialem modum reformandi per septem monitiones: quarum tres declarat; quæ sunt, vt eligatur locus vbi verisimiliter reformatio citius inducatur, vt per principalia professionis inchoetur, & vt officia Conuentus per bonos administrantur.

SEd specialius descendendo ad reformationem alicuius monasterij, oculus mentis habeatur ad septem. Primò, eligatur locus vbi verisimiliter reformatio citius introducatur. Secundò, per ea quæ cadunt sub professionem principaliter inchoetur. Tertiò, officia Conuentus principalia per bonos administrantur. Quartò, turbatores

*Septē modi
speciales re-
formanda
Religioni
necessarij.*

R reform-

reformationis maiores emittantur. Quintò, confessores boni & beneuoli instituantur. Sextò, excessus etiam in paruis cum discretione puniantur. Septimò, ea per quæ Ordo lapsus est, præcipue caueantur.

*Primus, ut
reforma-
tionis locus
aptus eli-
gatur.*

Aristor.

*1. Par. 21.
v. 18.*

Primum est, ut de electione loci magis idonei pro reformatione prouideatur. Si enim impossibile sit, simul reformare vnum totum Ordinem, ut cap. x i v. docuimus; eligi debet de possibilibus secundum Philosophum, quod melius est. Videatur ergo an locus possit verisimiliter multa nutrire idonea Ordini supposita, an manutieri per fautores patriæ, an victum ministrare personis necessarium, an fructus magnus ibi sequi valeat animarum: & an per istum locum reformari loca valeant in breui alia; & alia considerentur similia. Hanc considerationem David habuisse perpenditur, cum religionem diuini cultus ampliare & reformare voluit. nam 1. Paralipom. 21. emit aream Iebusæi in Ierusalem, utpote locum multum idoneum, vbi Angelus David iusserat ædificare altare Domino, & offerre holocaustum post perpetrationem peccati de numeratione populi. Salomon proinde loco eodem templum sumptuosissimum cum officialibus copiosissimis prius per David ordinatis cõstruxisse legitur 2. Paral. 2. & 3. Chri-

Christus etiam Ierosolymis in medio terræ religionem Christianam primò per se, & per Apostolos, ac eorum Discipulos, initiare & prosequi voluit, vt in discursu liquet Euangelij, & in Apostolorum Actibus: quia à tali idoneo loco cultus Dei latiùs diffundi potuit.

Secundum est, vt per ea quæ cadunt sub professionem, principaliter inchoetur; videlicet per eradicationem vitiorum mortaliū, & per fundationem trium vitorum Religionis principalium, obedientiam, castitatem, & paupertatem voluntariam potissimè. Nam vbi rerum pura communitas non seruiatur, vix spes de profectu reformationis sperari potest. Qua communitate rerum adepta, omnes panè aditus vitiorum præcludi valent: proprietate verò, vel (vt inquirunt) appropriatis & personalibus rebus relictis, statim nulli panè vitiorum aditus possunt obstrui. Non enim quis superbia vestium lasciuire potest, cum à vestiario solum vestis ministratur regularis: auaritia tunc locum vix habere potest, cui fomentum pecuniæ subtractum est: ad feminas nec tunc accessus, nec carnis lapsus habetur, quando eis nullum æris datur pretium: comestationis & ebrietatis materiam cibus subtrahit reſectorij, cum nulla aliunde restat via

2. Inchoanda reformatio per ea ad quæ ex vi professionis tenentur.

Rerū propriarum abdicatio prorsus æcessaria.

*Eradicare
vicia fami-
liare fuit
Patriar-
chis, Iudici-
bus, Pro-
phetis.*

procurandi lautiora: discursus etiam extra
monasterium, ex quibus multa sequi pos-
sunt mala, faciliter restringuntur; quia ille
nihil potest allegare rationabiliter petendo
licentiam exitus, cui omnia necessaria in
monasterio largiuntur. Permissis autē pro-
priis, & appropriatis è diuerso, vix aliquid
regularis obseruantiae nutrirī potest, nisi spe-
cie tenus. Hunc modum principalia eradi-
candi vitia in reformationis exordio sem-
per habuisse leguntur sancti olim Patriar-
chæ, Iudices, & Prophetæ: qui primò om-
nem cultum idololatriæ eradicauerunt ab
Israëlitis: vnde Abraham per Deum de Vr
Chaldæorum, id est, de igne adorato per
Chaldæos, sic vocatur: *Egredere, inquit, de
terra tua, & de cognatione tua, & de domo
patris tui, & veni in terram,* (scilicet promif-
sionis, *quam monstrauero tibi.* Quo an-
nuente statim ibi ædificauit altare Deo, vi-
ctoriam belli fortitus est, futura vidit, & cir-
cuncisionis accepit legem (vt patet Gen. 12.
vsque 18.) per quam totam suam domum
reformauit. Sic Deus legem naturalē, quam
à creationis principio cordibus hominum
indiderat, reformaturus per legem dandam
scripto (iam Moyse in monte Sinai existen-
te) sic ait à principio: *Ego sum Dominus
Deus tuus, &c. non habebis Deos alienos co-*

ram

ram me. Sic Samuel iudicaturus Israël, & eundem reformaturus, in principio regiminis ad eos ait: *Si in toto corde vestro reuer-* 1. Reg. 7. 3.
timini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestrum, Baalim & Astaroth; & preparate corda vestra Domino, & seruite ei soli. Cùm autem secundùm Apostolum, idolii proprietatis tollere omnino necessarium est.
avaritia sit idolorum seruitus; summè necessariũ est in principio reformationis, proprietatis idola tollere. Nam Coloss. 3. dicitur: Coloss. 3. 5.
Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est idolorum seruitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. Vnde Cassianus collatione Abbatis Cassian. collat. 12. cap. 2.
 Cheremonis, eadem Apostoli verba commemorans, ait: Quisquis non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, & idololatriæ crimen incurrit; amorem scilicet mundalis materiæ, diuinæ præferens charitati. Hæc ergo sunt avaritiæ & proprietatis idola, quæ reformationis Pater præ cunctis demoliri debet palam, & etiam occultè: exemplo illius pulcherrimæ Rachelis, quæ vt patrem suum ab idololatriæ traheret vitio, idola eius abstulit, piè mota, sed improprio furto: & cùm

ea pater quæreret, ipsa desuper sedit; Gen. 31. Per quæ significatur, vt dicit ibi Glossa, quòd auaritiæ vitium amoueri debet, & per lamenta pœnitentiæ quisque talia debet tegere.

3. *Ut officia
principalia
per bonos
admini-
strentur.*

Tertium est, vt officia conuentus principalia per bonos administrantur: puta non solum Abbacia, Prioratus, Decanatus, Præpositura, & alia, vt Magisterium Nouitiorum, ac similia, quibus vt plurimum annexa est cura animarum; sed etiam ea quibus non est annexa, scilicet vestiariæ, cellariæ, sacristiæ, & similibus rerum officia: quia si talibus non præficiuntur viri Deum timentes, & zelum religionis habentes, sed tepidorum Religiosorum complices; numquam, vel difficulter emendari poterunt vitia, quæ à talibus officiis negligenter ministratis oriri solent. Præterea Prælato principali nimis durû esset ad omnia videre officia cõtinue. In huius rei documentû legimus Num. 11. *Dixit Moyses ad Dominû: Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est, &c. Cui respondit Deus: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sunt, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, &c.* vt scilicet Spiritum sanctum (id est) gratiam prophetandi, seu donum

num scientiæ accipiant. vide ibi notanda. Vnde huius adinstar ordinauit cum suis Efdras, 1. Efd. 6. ministros Dei in templo iam reformato Ierosolymis, vnde ibi dicitur: *Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, & Leuitas in vicibus suis super opera Dei in Ierusalem, sicut scriptum est in libro Moy- sis.* Idem fecerunt Apostoli Christi primitiuam Ecclesiam in spiritualibus prouiden- tes, & temporalibus, de quibus dicitur Acto- rum 6. *Conuocantes duodecim multitudi- nem discipulorum, dixerunt, Non est equum nos derelinquere verbum Dei, & ministra- remens. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus su- per hoc opus: scilicet prouidendi de mini- sterijs, viduis & mensis. Nos verò in mi- nisterio verbi Dei, & orationi instantes erimus.*

CAPVT XXII.

Declarat residua alia quatuor, videlicet, vt turbatores reformationis compescantur, vt confessores boni instituuntur, excessus parui cum discretione puniatur, & vt ra- dices, per quas Ordo lapsus est, caueantur.

QUARTÒ, turbatores reformationis maiores compescantur, nunc minis, nunc

R 4

nunc

nunc pœnis, nunc etiam, si opus est, emissione ad loca alia regularia; vbi & sibi facilius proficere possint, & in conuentibus, vnde venerunt, minùs nocere. Sunt enim in principio reformationis frequenter instigante factore zizaniorum, quidam veteris vitæ capitanei, potentia amicorum, vel virorum astutia, aut propria malitia freti, qui sollicitant nedum inuitos ad reformationem, sed etiam beneuolos à cœpto opere retrahere gestiunt. Talium peruersas condiciones tradit Apostolus 2. Timoth. 3. *Quemadmodum autem, Iannes & Mambres resistunt Moyse; ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente.* Hos B. Iudas seu Thadæus describit in sua Epistola, dicens: *Hi, quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam, mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Et post pauca sequitur: *Hos quidem arguite iudicatos: illos verò (scilicet innocentes vel beneuolos) saluate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore; odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Vnde Augustinus in Regula sua, docens facinorosos corrigere, ita dicit: *Conuictus verò (scilicet de facinore)*
secun-

2. Tim. 3. 8

secundum Præpositi, vel etiam presbyteri, ad cuius dispensatione pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiamsi ipse non abcesserit, de vestra societate proiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. De hac materia Humberti expositio videatur, aduertenda plurimum.

Humbert.
in Reg.
S. August.
cap. 99.

Quintò, confessores boni & beneuoli instituantur, qui palàm, & occultè, veluti periti medici, vulnera malarum consuetudinum medicari curent pro viribus. Hi enim melius quàm alij morborum secreta rimari, & emplastra salubria sæpè aptiùs applicare valent agrotis moribus. Et quamuis in omni reformato loco illud sit necessarium; magis tamen idoneis confessoribus, qui zelum reformationis habeant, opus est in monasteriis monialium reformandis: imò sine talibus, præsertim vbi aliquæ essent reformationi maleuolæ, numquam debita & efficax fieri potest reformatio. Sexus enim iste quia

S. Confessarij boni, ceteri medici, vulnera curat.

Femineus
sexus flexilis ad bonum
& malum.

mollis, ad bonum per Deum timentes, & ad malum per desides statim persuasibilis est. Et quia facilius est destruere quàm construere, peccare quàm virtuosè agere, descendere quàm ascendere: ita vnus confessor, vel litteraturæ titulo insignitus, qui re-

*Quid con-
fessori, ut
idoneus
fiat, agen-
dum.*

formationi ex corde non afficitur, plus die vno destruit, quàm decem boni pari tempore ædificare valeant. Gerant igitur confessores idonei moraliter officia sacerdotum Leuitici generis in cognoscendis vitiorum lepris, & in docendo, ac pro talibus curandis Deo in vera religione varia virtutum offerant sacrificia.

*6. Excessus
prudenter
puniantur.*

Sextò, excessus etiam in paruis cum discretione puniantur: quando enim reformatio non inchoatur cum religionis cærimoniis, quæ etiam non cadunt sub præceptum; postmodum vix se permittunt religiosi ad altiora subleuari, vt suprâ dictum est c. 15. Cum discretione, dico, quia secūdum beatum Gregorium, cum nemo de imo repente fiat summus sine speciali miraculo, & de vno extremo ire in aliud sine læsione graui fieri regulariter nequeat, compatiendum est his qui vitiis sunt assueti, & cærimoniis inexperti, ne contra Christi doctrinam vinum nouum mittatur in vtres veteres, ne extinguatur lignum vel linum fumigans; & ne quassetur arundo vento tentationum agitata, prout tactum est hoc suprâ cap. 15. Docetur hoc sextum remedium multum caute per illud Ecclesiastici 19. *Qui spernit modica, paulatim decidit.* Vnde in Prologo statutorum Ordinis Prædicatorum ita de ipsis dicitur

*Quàm cir-
cum spectè
correctio
adhibenda.*

Eccli. 19. 1.

dicitur constitutionibus: Mutare vel addere
 nulli cuiquam propria voluntate liceat; ne,
 si minima neglexerimus, paulatim deflua-
 mus. Super quo ita dicit venerabilis Hum-
 bertus: Notandum quòd nulla eorum, quæ
 ad bonum vel ad malum animæ pertinent,
 sunt minima simpliciter; sed respectu ad
 maiora, dici possunt minima. Sunt enim
 Dei mandata maxima; sed Ecclesiæ siue
 Summorum Pontificum parua, in respectu
 ad illa: minora verò instituentium Regulas,
 vt Augustini, Benedicti, & similia: sed mi-
 nima mandata sequentium institutiones eo-
 rum condentium. Et intellige in quantum
 est ex parte mandantium, non mandatorū.
 Nam maioris auctoritatis sunt Summi Pon-
 tifices & consimiles, quàm Augustinus vel
 Benedictus. Isti verò sunt maioris, quàm
 moderni sub eis militantes. E contrà verò
 contingit interdum quoad mandatorū na-
 turam, quòd mandata superaddita Regulis
 in constitutionibus sint maioris perfectio-
 nis, quàm mandata Regularum, & manda-
 ta regularia maioris, quàm Ecclesiæ man-
 data. Secundùm ergo hunc modum vocan-
 tur hîc minima mandata constitutionum,
 & dicuntur minima ex parte auctorum. Ite-
 rum dicuntur minima in demerendo: quia
 licet sint magna in merendo obseruanti ex
 cha-

*Vnde dicitur
 tu maxima
 & mi-
 nima man-
 data.*

In eos qui
mixima
negligunt.

Mat. 23, 23

charitate; minima tamen sunt inter omnia demerendo, quia transgressio eorum, minima inducit peccata: sed tamen non sunt ideò negligenda, sed districtè seruanda. Sed contra, maledicit Dominus huiusmodi minima districtè seruantibus, dicens: *Va vobis Scribae & Pharisei, qui decimatis mentham, &c.* Respondeo: Licet his maledicat, non tamen propter hoc, sed propter aliud, quod subiungit, dicens: *Et relinquitis, quae grauiora sunt legis.* alioquin non subiungeret & diceret; *Et illa non omittere;* inuens quòd etiam minima non sunt negligenda. Non ergo discordat Domini sententia cum ista, sed concordat.

Septem fructus ex obseruatione minimorum.

Seruanda sunt igitur constitutionum minima diligenter multis de causis. Primò, quia valent ad meritorum cumulum. Sicut enim humiliatio circa visibilia in Sacramentis facit ad maius meritum; sic & humiliatio, quæ est circa huiusmodi minima. Secundò, ad ædificationem proximorum. Interior enim dispositio non ita ædificat, sicut exterior compositio. Tertiò, ad exercitium virtutum. In his enim probatur, & exercetur obedientia, humilitas, & similia. Quartò, ad impedimentum malorum maiorum. Quomodo enim incurrit detractio- nes, vel lites, vel huiusmodi, qui seruat si-
len-

lentium? est ergo silentium obstaculum ad maiora mala, & sic aliæ obseruantia. Quintò, ad custodiam maiorum bonorum. Sicut enim dissipata sæpè, quæ modica est, dirumpitur possessio: sic dissipatis, constitutionibus, maiora bona citius dissipantur. Sextò, ad locupletationem spiritualem. Qui enim modica congregat, locupletatur; & qui negligit ea custodire, depauperatur, etiam si diues sit. Ideò dicitur: *Operarius* Eccli. 19. 8. *ebriosus* (qui negligit congregare denarium, & obolum quando habet, sed statim expendit in taberna) *non locupletabitur. Et qui minima negligit, paulatim decidet*: scilicet à simili. Et inde sumptum est, quod hîc dicitur: Ne si minima neglexerimus, paulatim defluamus. Hæc de Humberto.

Vltimò, caueantur etiam opera pro posse, per quæ lapsus est Ordo. De quibus dictum est satis cap. 16. Sunt etiam alia documenta salubria pro reformatione claustralium reperibilia, quæ rerum experientia & vnctio docere consuevit Spiritus almi.

IOAN.

IOANNIS NIDER
DE
REFORMATIONE
RELIGIOSORVM
LIBER TERTIVS;

Fruetus reformationis, & Religionis
ingressus, ostendens.

CAPVT PRIMVM.

*Proponit nouem Religionis fructus, eosque
declarat: & sunt isti, quod sit abundans
pauperi, mediocri sufficiens, tolerabilis
diuiti, infirmis larga, delicatis copatiens,
fortioribus moderata, paenitentibus mise-
ricors, peruersis seuera, & bonis optima.*

VT probetis quæ sit voluntas
Dei bona, & beneplacens, &
perfecta: per quæ promittit
Apostolus reformatis præmia
multa. Sensus enim litteræ
est: *Reformamini ut probetis*, id est, expe-
rimento discatis, *quæ sit voluntas Dei*, bona
quidem in se, quia non vult nisi bonum; be-
nepla-

neplacens aliis considerantibus; & perfecta, Qua sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. in nullo diminuta: vel bona propter bonum naturæ, beneplacens propter bonum gratiæ, & perfecta propter bonum gloriæ: vel bona, quantum ad statum incipientium; beneplacens, quantum ad statum proficientium; & perfecta, quantum ad perfectorum statum. Ad hæc enim tria omnium Religionum status repertus esse dinoscitur, vt per eum, velut in schola virtutum, de gradu incipientium Deo famulari, per media accommoda ducatur quis ad charitatis supremum.

Vt autem de quibusdam Religionum loquamur fructibus (sunt enim multi valdè) triplices nunc tangentur. Quidam sunt circa temporalia commoda, quasi principaliter, & sunt in quibus apparet voluntas Dei bona; quidam circa temporalia & spiritualia simul, in quibus apparet voluntas Dei beneplacens; & quidam sunt principaliter circa spiritualia & æterna, & sunt numero duodecim, circa quos apparet perfecta Dei voluntas. Taceo autem modò de septè utilitatibus, quæ dictæ sunt libro 2. cap. 6. Sunt itaque utilitates & commoda, quæ adfert Religio ingredienti, quæ Hugo de Folieto adnumerat, in libro De clauitro animæ, & declarat: Audiant, inquit, sæculares, quos delectatio temporalium detinet, qui Religio-

*Declaratur
triplicis
generis
beneficia
reformatæ
Religionis.*

*Hugo de
Folieto l. 1.
de clauitro
animæ c. 8.*

nis

nis abhorrent habitum, quàm suavis sit veræ Religionis cohabitatio. Abundans enim est pauperi, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, peruersis seuera, bonis optima. Hæc sunt nouem beneficia Religionis.

Hugo ibid.
cap. 9.
*Religio ab
undans est
pauperi.
Duplex
paupertas.*

Primum, abūdans est pauperi. Sunt tamen pauperes in duplici differentia. Quidam rebus temporalibus egent, sed inuiti; & hæc vocari solet egestas. Egent enim rebus, & bona voluntate, qua nihil ditius esse potest. Et de talibus quidam veniunt ad monasterium de sæculo, vt possint honorari, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse potuerunt. Tales autem laborant, vt postmodum ad loca mittantur ditiora, aut murmurant contra dispensatores rerum temporalium, vt lautiora quærentes: proprio nomine vocari erubescunt, gaudentes Abbates, Priores nuncupari, vel similibus titulis insigniri. Huiusmodi pauperibus non Christus promittit regnum, sed infernum. Alij sunt, qui ex paupertate venerunt: quibus si dentur necessaria, ex hilaritate putant esse superflua; otium diei vnus, sacrilegium esse credunt; saturari vilibus cibis, arbitrantur vitium; nulli æquales esse, ex debito cunctis seruire se aestimant; aliquando bonas vestes habe-

habere erubescunt; & nisi condiret humilitatem discretio, uti licitis, licitum esse dubitarent. Tales sequuntur Christum pauperem itinere recto: quia pauperes pauperem, humiles humilem. His dantur ad necessitatem temporalia, & promittuntur ad æternitatem cælestia, Matthæi 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Mar. 5. 3.

Secundò, Religio mediocri est sufficiens. Nam mediocri, scilicet in diuitiis, sufficere debet; quia necessaria præbet, dat satis, & dat gratis. Mediocritas est via media, quæ ducit ad ciuitatem summi Regis. A dextro verò & sinistro sunt egestas & diuitiæ. In illa angustiantur per inopiam, in his verò errant per superbiam. In pretiosa enim veste, superbia; in pannositate, alienæ rei concupiscentia timetur. Mediocritas autem est quasi mensura, qua totius bonitatis spatium terminatur. Ideò Salomon orat Prouerb. 30. *Duo rogauit te, ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem & verba mendacia longè fac à me. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. Tribue tantum victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam; Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Hug. lib. 1. cap. 10. 11. Religio mediocri sufficientiæ a mini- strat. Prou 30. 7. Egestas & diuitia fugienda.

S

Ter-

Hugo lib. 1
cap. 11.

Mat. 11. 30

111. Religio

est diuiti

ius suauis.

Molestia
diuitiarum

Mat. 11. 28

Ioan. 7. 37.

Tertio, Religio tolerabilis est diuiti, Christo teste, dicente; *Iugum meum suauis est, & onus meum leue.* Spes enim muneris, laborem oneris minuit. Verè onus leue vita Christi, quia nec multa portat, nec diu. Religio non acquirit cum cupiditate, nec possidet cum amore, non dolet si amiserit. Iugum autem diaboli grauat & opprimit. Multa enim patitur diuitum superbia. Quibusdam in diuitum mensa, datur cibus sine potu, aliis è conuerso potus sine cibo: quibusdam dantur superflua nimis. Multi ibi ieiuni surgunt à mensa, & tamen lata urbanitate famem consolantur. Mensa verò Religionis est ordinata; sufficiens, non superflua. Et Christus bonis dicit Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et Ioan. 7. *In nouissimo die magna festiuitatis stabat Iesus & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ieiunant milites vt aliena rapiant, scholares vt subtiliores fiant, auari vt ditentur, hypocritæ vt appareant, infirmi vt conualescant, & pugiles vt vincant, & ista cum facilitate faciunt: cur non ita pro aeterna mercede fiet sensato leuis labor, diuitum grandis? Leuior est labor claustrum quàm castri; leuius est pondus tunicæ quàm lorice. Tutius est claustrum quàm castrum; tutior est

est Abbatis obedientia quàm Regis iussio.

Quartò, Religio infirmis est larga. Quidam enim sunt qui infirmantur ex senio, alij verò ex membrorum læsione, alij ex infirmitate ad tempus, alij continuo languore.

De quibus omnibus quidam sunt garruli; alij ad causas externas vocari desiderant; alij de medicinalibus, non vt libet ministratis, murmurant; alij gemunt inconsolabiliter; alij turbant seruitores grauiter. E contra, boni silentio linguam comprimunt, vitam contemplatiuam diligunt; medicinalia non curant, aut gratè recipiunt; in tribulatione gratias agunt, & obsequiosis sibi beneuoli existunt. Est autem Religio larga infirmis, vt si dentur alijs necessaria, infirmis plura & delicatiora quærantur. Plura, vt ex multis aliquid placeat; delicatiora, vt cum gustauerint, reficiantur in aliquo.

Quintò, Religio est compatiens delicatis. Sunt enim quatuor delicatorem species, scilicet voluntate, vsu, genere & natura. Voluntate delicati sunt, qui cum grossioribus cibis vti possent, nolunt, sed diuersa exquisita fercula quærentes, respondent ventri. Pæne autem delicatus talis compescendus est, & abstinentia. Vsu delicati sunt, qui, cum in sæculo essent, seruibant ventri: in monasterio verò positi, vsu soliti cibi mutare nolunt.

Hugolib. 1
cap. 12.
14. Religio
quæ suauis
infirmis.

Cur Religio
querat plu
ra & deli
catiora in
firmis.

Hug. lib 1.
cap. 13.

15. Religio
compatitur
delicatis.

Quatuor
genera ho
minum de
licatorem.

nolunt. Infirmi-
tatem corporis tales timent,
& animæ suæ mortem conferunt. vnde ma-
lus vsus abolendus est. Genere delicati sunt,
filij nobilium & diuites: qui sicut in sæculo
fuerunt nobiliores dignitate generis; ita in
conspetu fratrum, nobiliores sunt processu
boni operis. Natura verò delicati sunt, quo-
rum complexio talis est, vt pondus laboris,
ieiunij, & vigiliarum ferre non valeant. Qui
etiam cibos exquisitos fastidiunt, qui sibi
sunt oneri, qui calore solis dissoluti citò las-
fantur, & frigore statim torpescunt. Omni-
bus his compatiens est Religio, compassione
vera, quæ fit ore, corde & opere: non com-
passione falsa, quæ fit, aut tantum corde si-
ne opere, aut tantum ore sine opere, aut vtro-
que modo pro inani hominum laude.

*Compassio
vera fit o-
re, corde,
opere.*

*Hug. lib. i.
cap. 14.
vi. Religio
est modera-
ta fortibus.*

*Tres species
hominum
qui forti-
tudine vi-
gent.*

Sextò, est moderata fortibus. Tenendus
est in omnibus modus. Quod autem exce-
dit modum, excedit vires. Modus æqua-
lance librat onera fortium, siue debilium:
ne grauentur fortiores, aut debiles sub one-
re opprimantur. Tres autem sunt species
fortium. Quidam scientia, qui licet diligen-
tis affectu non careant, licet fortitudo cor-
poris non suppetat, ipsi tamen quadam ra-
tionabili causa, qua Creatoris benignitatem
& suam negligentiam recognoscant, incli-
nant animi rigorem, & corpus cogunt ser-
uire

uire suo Creatori: & sic discunt benè amare, quia sciunt benè operari. Corpore fortes sunt alij, quos natura solidauit ad tolerandos labores: quorum quidam quod proficit, operari possunt, sed nolunt; alij plus volunt, quàm quod pati possunt. Tales qui corpore fortes sunt, & animo debiles, sibi parcunt, seipos amantes: sectantur otium, vacant fabulis; fures sunt, quia communitati subtrahunt, quod commune fecerant. Animo sunt quidam fortes, alij fortiores, alij fortissimi. Fortis Tobias, fortior Iob, fortissimus Abraham. Tobias commisit, Iob amisit, Abraham dimisit: hic pecuniam, iste substantiam, ille domum, terram & cognationem. Vnus in spe, alter patienter, alius verò sponte. Primus egenti compatiendo, secundus persequentem tolerando, tertius iubenti obediendo. In tribus huiusmodi consistit fortitudo totius Religionis. Qui scit enim & vult, & potest bene operari, si modum in hoc semper teneat, perfectus est.

Septimò, Religio misericors est pœnitentibus. Tribus enim modis pœnitet homo. Saul ore, Petrus corde, Dauid ore simul & corde pœnituit. Tria commisit Dauid erga Vriam, perfidiam, homicidium, & adulterium: tamen quia corde pœnituit, audiuit: Remissum est tibi peccatum tuum. Ter ne-

S 3

gavit

Animo fortes, fortiores, fortissimi.

Iob fortior Tobias, Abraham fortior utroque & cur.

Hug. lib. i. cap. 15. vii. Religio misericors in pœnitentes. Tribus modis pœnitet homo.

*Trifariam
miseretur
Religio pec-
catoris.*

gavit Petrus, & tamen respexit eum Dominus. Tribus modis peccavit Saul, per superbiam, per inobedientiam, & per excusationem peccati. In Religione autem Prælati, & Regula, tribus modis miseretur peccatori, sicut & Deus, & homo aliquando homini: videlicet exspectando vel corrigendo ut se emendet; vel consolando & spem dando, si pœnitet, ne desperet; & roborando per ostensionem munerum patriæ.

*Hug. lib. I.
cap. 16.
VIII. Reli-
gio peruer-
sos pia seue-
ritate coër-
cet.*

Octauò, Religio est peruersis seuera. Seruat honestatem seueritas, leuitatem castigat, timetur ab indoctis. Ipsa est decor senum, iuuenum virga, Prælatorum personas ornat, virtutum speciem colorat. Sicut enim rubor mixtus candori, sic seueritas mixta rectitudini, si dulcedine cõdiatur, vultum Religionis decorat. Dulcedo Prælati trahit ad pœnitentiam discipulum peccantem, seueritas corrigit, rectitudo dat legem delinquenti.

*Hugolib. I
cap. 17.
IX. Religio
est bonis
optima.
Mundus
bonis pesti-
mus.*

Nonò, Religio est bonis optima. Nam bonos facit rerum distributio, meliores mundi renuntiatio, optimos verò Religionis cohabitatio. Mundus bonis est pessimus: Religio autem etiam malis est optima. Facit enim quandoque bonum de malo, de bono meliorem, de meliori optimum. Hæc omnia principaliter de Hugone, vbi supra, sub compendio sunt excerpta.

CAPVT III.

Proponit alios duodecim fructus ingressus Religionis, & sex declarat; qui sunt, matrimonij non consummati solutio, à debito pecuniario exemptio, à voto quocumque absolutio, in defectibus facilior dispensatio, & macula ingratitude seu infamie abolitio.

NVNC secundò dicendum est de aliis fructibus, Religionis ingressum sequentibus, qui tam bonum corporis principaliter, quàm animæ bonum respiciunt, & presentanti occurrunt duodecim: videlicet, matrimonij nondum consummati solutio, à criminali pœna liberatio, à debito pecuniario exemptio, à voto quocumque absolutio, in defectibus facilior dispensatio, macule ingratitude seu infamie abolitio, iuramenti præstiti deobligatio, hereditatis etiam perditæ recuperatio, immunitatis clericalis adeptio, defectuosè natorum legitimatio, priuilegij Papalis collatio, & bonorum spiritualium participatio.

Primus ergo fructus est, matrimonij solutio, scilicet non cõsummati per carnalem copulam. Iste enim vel ista, quæ vel qui promisit matrimonium alteri, per verba de presentanti,

*Enumerat
12. fructus
qui ex im-
gressu Re-
ligionis na-
scuntur.*

*1. Solutio ma-
rimonium
non cõsum-
matum.*

fenti, intrando cum effectu Religionem approbatam, id est profitendo, se eximit, ita quòd alteri coniugum non alligetur vt antea, Probat hoc Magister in 4. dist. 38. & secundum omnes Theologos & Canonistas ita est. Patet idem per B. Ioannem Apostolum, quem (vt Hieronymus in Prologo super Ioannem & Augustinus testantur) Christus vocavit à nuptiis non per carnalem copulam consummatis in Cana Galilææ ad cœtum Apostolorum, qui viuebant more, quo modò in tribus substantialibus viuunt Religiosi, vt patuit supra lib. 2. cap. 4. Rationes cur Religio matrimonium soluat non consummatum, variæ assignantur. Prima secundum D. Thomam in 4. dist. 38. sumitur ex natura voti solemnitis: Quia per votum, inquit, solempne amisit homo potestatem sui corporis, illud ad perpetuam continentiam tradens, & ideò non potest illud tradere in potestatem vxoris, matrimonium contrahendo. Secunda ratio sumitur ex dignitate eius, cui promittitur matrimonium, scilicet Christo. Qui, inquit, facit votum solempne, contrahit matrimonium spirituale cum Deo; quod est multo dignius, quàm matrimonium materiale. Sed matrimonium materiale prius contractum, dirimit matrimonium post contractum; ergo & votum solemp-

Aug. præf. in Ioan sed alio, quàm hîc sensu. vt patet ex tract. vlt. in Ioan.
 Baron. An. nal. tom. 1. an. 31. c. 25
 Rationes cur Religio soluat matrimonium.
 Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3.

solemne Religionis. Tertia ratio ab aliis assignatur ex parte mortis. Nam mors naturalis separat matrimoniū materiale, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est.* Religionem autem profitens approbatam, morte moritur quadam ciuili, vt ostendetur infra cap. 6. 7. & 8. Hinc Ioannes de Neapoli, part. 1. qu. 21. quærit an ingressus Religionis, morti æquiparetur. Respondet quòd sic: probat per Innocentium 16. qu. 1. Placuit cõmuni concilio nostro, &c. vbi Glossa dicit; Hic vides, quòd ingressus Religionis æquiparetur morti naturali. Vnde quod iuris est circa dotem vel donationem propter nuptias in morte naturali, ita in hac morte, id est, in ingressu Religionis, vt C. De Episcopis & Clericis l. Deo nobis. Et sicut donatio causã mortis, confirmatur in morte naturali; similiter est de morte ciuili, vt C. De donatione inter virum & vxorem, l. Res vxoris. Nota tamen, vt dicit Petrus de Palude in 4. dist. 27. in quatuor casibus licet cõiugato Religionem intrare. Primò, quando etiam post matrimonium consummatum alter coniugum fornicatur: quia fornicanti etiam inuito alter potest Religionem intrare, nisi eum sibi postea reconciliauerit,

1. Cor. 7. 39

4. d. 27. q. 3
ar. 2. conc. 1*Quando
matrimonio
consummato
Religionem
ingredi licet.*

S 5

vt

vt Theberga Lotharium. Si enim licet discedere in sæculo, multo magis in clauſtro. Exemplum de Paulo Simplice. Secundo caſu, altero coniugum conſentiente & pariter intrante. Sic multi viri intrauerunt Religionem virorum, vxores feminarũ, etiam matrimonio conſummato. Tertio, altero conſentiente & in ſæculo remanente, vbi non eſt timor incontinentiæ. Quartus caſus eſt, matrimonio non conſummato. In aliis autem non licet caſibus. Hæc ille.

2. *Fructus.*

Secundus fructus eſt, à debito criminalis pœnæ liberatio. vnde Petrus de Palude in art. 1. con-4. d. 38. qu. 4. Proſitens religionem approbatam, liberatur à pœna debita in foro iudicij. Et licet quidam dicant oppoſitum, puta, ſi homicida profiteatur Religionem, quòd non propter hoc ei parcitur, quin per Iudicem Eccleſiaſticum degradatus exponatur iuſtitix ſæculari, animaduerſione debita puniendus in omni caſu, in quo poſt profeſſionem delinquens degradaretur, & iuſtitix ſæculari traderetur, ſiue ſit hæreſis, ſiue crimen læſæ maiestatis, ſiue aliud: prima tamen opinio eſt probabilior: quia cum plus ſit fieri religioſum, quàm ſimpliciter ad Eccleſiam cõfugere, ſicut homicida confugiens ad eccleſiam non traditur iuſtitix ſæculari mulctandus vel occidendus, ſed Ec-
cleſia

*Probat crimi-
mini ſub-
iectum Re-
ligionis in
greſſu im-
munitate
donari.*

clesia seruat ei vitam & membra; multo magis illi, qui fit religiosus: quia de monasterio minus debet eiici quàm latro eòdem confugiens; imò etiam post professionem extra monasterium inuentus, non debet capi ab Episcopo degradandus, & exponendus, quia semper est in Ecclesia, qui totam vitam Ecclesiæ dedicauit. Nec est simile de illo, qui post professionem deliquit; vnde ab ea tueri non debet. Hæc ille.

Tertius fructus, est à debito pecuniario exemptio. Vnde Petrus vbi suprà dicit: Profitens Religionem approbatam, liberatur ab omni debito pecuniario humano; quia si aliquis ex contractu, vel quasi delicto, vel quasi est homini obligatus in aliquo, quod in pecuniam potest cõuerti, & pecunia æstimari, liberatur eo ipso, quòd sit seruus non hominis, nec potens proprium habere. Huiusmodi est religiosus, ergo, &c. Vnde si promisit scribere, vel aliquid suo artificio facere, non tenetur propriis manibus operari; sed tenetur monasterium ad estimationem, quantum bona eius valent, non quantum persona: quia remanet liber cum possit fieri Episcopus, quod non est de seruo propriè dicto: licet dominus, cuius seruus prius erat obligatus, teneatur secundum estimationem ipsiusmet serui; quia seruus æstimari potest.

Liber-

3. Fructus.
art. 1. conclus. 7.

Ad quid teneatur Religio recipiens cum qui soluendo non est.

Libertas autem inæstimabilis est, & ideò liber homo æstimari non potest: cuiusmodi est Religiosus. Vnde quantum ad hoc, quòd nihil potest habere proprium, nec per consequens ad aliquid huiusmodi obligari. Sed si debeat facere restitutionem incertam, cum illa debeat pauperibus, auctoritate Ecclesiæ distribuenda est: & cum ipse auctoritate Ecclesiæ, se & sua dederit monasterio, & per consequens pauperibus (quia bona Ecclesiarum, sunt pauperum) videtur monasterium non teneri ad restitutionem faciendam ulterius; sicut teneretur, si esset restitutio certa ex se, vel per Ecclesiam iam certificata; puta quòd esset applicata omnis incerta restitutio in subsidium terræ sanctæ. Et hoc intelligo, quando de suo, & suo nomine tenebatur ad restitutionem incertam: secus si in manibus suis tamquam executor haberet bona subiacentia restitutioni incertæ, quia illa deberet monasterium auctoritate Superioris distribuere, vel aliàs sibi retinere, quia se & sua, non aliena, potuit dedicare. Hæc Petrus.

4. *Fructus.*

Quartus fructus est, à voto quocumque, simplici saltem, absolutio secundum Thomam; etiam si in professione de hoc non fit mentio specialis. Vnde Petrus de Palude, ubi supra: Profitendo Religionem approbatam,

art. 1. conclus. 5.

Quid agendum dum dicitur restituitur restitutioni incerta obnoxius.

gam, est homo liberatus ab omni voto simplici, siue esset reale, siue personale, siue mixtum: quia etiamsi vouisset arctiorem Religionem, liberatur profitendo laxiorem: De regulari cap. penult. lib. 6. Sed si erat votum reale, monasterium tenetur illud implere, quantum bona valent, si erat certæ Ecclesiæ vel Religionis aliq̄ votum factum. Si autē vouerat dare pauperibus vel Ecclesiæ absolutè, impleuit votum profitendo; quia sua secum dedit pro Deo, & Deo & pauperibus. Probat̄ur autem ista conclusio Extr. de voto, cap. Scripturæ, vbi dicitur; Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutasse. hoc autem est verum de voto simplici indistinctè, siue sit perpetuum, siue temporale; siue parziale, siue totale, vt Religionis. Secus de voto solèni sacri Ordinis, quia ad illud remanet obligatus profitens Religionem, vt sic duplicis voti reus habeatur, si frangat castitatē. Item per Episcopatum obligatus, si profiteatur sine licentia Papæ, non liberatur, quia habet alas ligatas, nec potest volare ad solitudinem sine licentia. De renunt. c. Nisi cùm pridem. Item obligatus voto solemnī alterius Religionis arctioris vel æqualis, sine licentia petita & obtenta de facto: aliàs aliam profitens,

Nota triplex votū, & à quo liberet Religio.

tens, non liberatur à prima. Sed quando de licètia Prælati primò profiteretur laxiorem; vel petita & non obtenta, profiteretur arctiorem, vel etiam non petita, licet fieri non debeat, factum tamen tenet, & à prima liberatur. Hæc ille Petrus.

5. *Fructus.*

Quintus fructus est, in defectibus facilior dispensatio, vt cum illegitimo in legitimando, cum irregulari in dispensando, cum suspensio, interdicto, vel excommunicato, in absoluendo; cum inidoneo ad Prælaturam vel ad Ordines in quibusdam impedimentis, eadem amouendo; & in similibus. Vnde Urbanus Papa II. ait distinct. 56. Presbyterorum filios à sacris ministeriis remouemus, nisi aut in cœnobiis, aut in canoniis religiose probati fuerint cōuersati. Sic etiam distinct. 77. dicitur; Monachus nouitius morum honestate fulcitus, continuò lector vel notarius, aut certè defensor (id est, exorcista) effectus; post tres menses existat acolythus, maxime si huic atas etiam suffragatur: sexto mense Subdiaconi nomen accipiat; ac si modestæ conuersationis, honestæque voluntatis existat, nono mense Diaconus, completoque anno fiat Presbyter: cui tamen quot annorum fuerant interstitia collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse deuotio.

Sextus

Sextus fructus, est maculæ ingratitudeis 6. Fructus.
 seu infamię abolitio. Vnde Ioannes de Nea-
 poli par. 1. qu. 22. Per ingressum Religionis,
 aboletur ingratitude, quam aliquis incurrit;
 vt si fortè impias in parentes vel donatorem
 manus ingessit, aut atroces iniurias seu gra-
 ue rerum ipsorum damnum vel vitæ peri-
 culum præsumpsit inferre. Probat hoc 19.
 q. vlt. tit. finali, Non liceat, &c. vbi Glossa
 dicit: Hinc colligitur infamiam alicuius
 posse aboleri post susceptionem religiosi ha-
 bitus; & eo ipso quòd intrat monasterium,
 nõ obesse Religioso, quod ei obstaculum in
 sæculo generabat. Iterum probat per Authẽ-
 ticam de monachis collat. 1. quære infra
 9. c. vbi in forma allegabitur; in qua dici-
 tur, quòd ingressus Religionis omnem ma-
 culam detergit. Quæ autem dicit omnem,
 nihil excipit.

CAPVT III.

*Declarat residuos sex fructus: qui sunt, iu-
 ramenti præstiti deobligatio, hereditatis
 perdita recuperatio, immunitatis cleri-
 calis adeptio, defectuosè natorum legiti-
 matio, privilegij specialis collatio, & bo-
 norum spiritualium participatio.*

SEPTIMVS fructus est, iuramenti præstiti
 deobligatio: in multis scilicet casibus. 7. Fructus
 qui ex in-
 gressu Reli-
 gionis ori-
 tur.
 Vnde

Vnde

*Iste est Ray-
mundus à
Clem. VIII.
an. 1601.
canoniza-
tus.*

Vnde Raymundus in Summa lib. 3. cap. 16. ponit casum. Pone, inquit, mihi aliquem obligatum iuramento in quatuor libris ad certum terminum soluendis, vel ad scribendum librum, vel ad seruiendum in persona propria ad tempus, aut ad aliquid simile, numquid iste potest intrare monasterium? Respondeo: Dicas quòd potest intrare Religionē, non obstante sibi tali obligatione vel iuramento, dummodò non ex leuitate vel voluntate subtrahendi debitum hoc faciat, sed ex charitatis feruore, & Spiritus sancti inspiratione. Nec facit iste iniuriam creditori; excusatur enim Spiritus sancti auctoritate. Monasterium autem tenetur satisfacere de his, quæ ipse contulit monasterio: si verò nihil contulit monasterio, quia nihil habebat, inanis est actio, quam excludit inopia debitoris. Si tamen post ingressum, occasione eius monasteriū acquireret aliqua, puta per successionem hereditariam, teneretur monasterium, in quantum illud esset. Prædictis concordat cum Raymundo Hostiensis, Innocentius, Vlricus, & Petrus de Tarentasia in Summis suis. Vide de hoc late Ioannem in Summa lib. 3. tit. 16. & Thomam 2.2. q. vlt. ar. 6. ad 3.

Ponit Raymundus alium casum. Quid, inquit, de Potestate vel Consule alicuius ciuita-

uitatis, qui iurat regere ciuitatem per annum, numquid potest intrare Religionem? Dico per ea quæ dicta sunt, quod potest; licet quidam dicant contrarium. Concordat cum Raymundo Vlricus, Innocentius, & Gaufridus; qui addit: Quod idem est in Magistro, qui iurauit regimen scholarium per annū; & de Cappellano, qui seruire iurauit in officio cappellani. Non enim iuramentum violat, qui illud in melius commutat, Extr. de iureiurando. Peruenit.

Octauus fructus est, hereditatis etiam perditæ recuperatio. Possunt enim monasterium ingredienti succedere, & hereditatem accipere, ac si in sæculo mansissent, non ad sibi retinendum, tamquam proprietarij, sed vt communitati cœnobij detur. Vnde c. De Episcopis & Clericis, de eo nobis dicitur, quod parentes non possint filios suos ingressos in Religionem, in legitima fraudare portione. Iterum in Authentica de sanctissimis Episcopis, constitutione 9. Idem dicunt iura Canonica, vt habes 19. qu. 3. cap. Perlatum. & cap. Si qua. vbi præfata Authentice auctoritas allegatur. Glossa ibi ad idem est. Sed quærit Ioannes de Neapoli p. 1. qu. 30. an peccent parentes, qui intransibus monasterium, subtrahunt eis debitam partem hereditatis: respondet; Cùm ingratitude

8. Fructus,
Succedunt
in hereditate etiam
Religiosi.

An peccent
parentes filios Religionem ingressos hereditate priuantes.

T pur-

purgetur per Religionis ingressum, non licet parentibus exhereditare vel præterire ingredientes monasterium, vt 19. q. vltima, cap. finali. Et certè ibi idem dicit: Contra pietatis & naturæ iura videtur fieri, quòd in sæculo sæculariter viuentibus subueniant, & Deo seruientes negligant in monasterio. Videatur de hoc August. lib. De decem choridis, qui in hoc manifestè parentum & sæcularium hominum conuincit laborare auaritiam. Contra hoc tamen quidam faciunt miseri, de quibus Hieronymus sic dicit in epistola ad Demetriadem virginem: Solent miseri parentes & non plene fidei Christianæ, deformes & aliquo membro debiles filias, quæ dignos generos non inuenerunt, virginitati tradere; tanti, vt dicitur, vitrum æstimantes, quanti margaritam: & eas inopes relinquunt, aliorum filiorum luxuriæ & deliciis ad omnem copiam prouidetes, &c. Et ibi laudat quamdam, quæ contrarium fecit, scilicet tantum dando monasterio virginum, quantum dedisset pro marito; licet, vt solitum est, mundani eam in hoc reprehenderunt.

9. *Fructus.*

Nonus fructus est, immunitatis clericalis adeptio: sic quòd si quis percutit violenter professum in approbata Religione, siue clericus sit ille, siue conuersus, imò si nouitius est,

Cap. 12.
tom. 9.

Hier. ad
Demet.
tom. 1.

est, incidit talis in sententiam excommunicationis maioris. Idem est de monialibus, & earum nouitiis & conuersis. Probantur ista per ea, quæ habentur 17. qu. 4. Si quis suadentes. & Extr. de sententia excommun. parochialis, cap. Non dubium. Intellige de conuersis, qui propriis renuntiauerunt, vel Religionē ingressi sunt, habitu nouitiorum suscepto: non de donatis templi, vel hospitalis, vel aliarum Religionum, qui adhuc retinent propria, licet tonsuram vel aliud signum huiusmodi conditionis portent.

Decimus fructus est, defectuosè natorum ^{10. Fructus} legitimatio. Vnde Ioannes de Neapoli vbi suprà qu. 21. Sunt quidam irregulares ex defectu natalium, vt filij Presbyterorum, & alij spurij. Horum irregularitas aboleri potest per ingressum Religionis, vt Extr. de filiis Presbyterorum, c. 1. Statuimus vt filij Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoueantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione aliqua regulariter continentes monachi. Innocentius: Tunc enim in monasterio vel canonia regulari possunt promoueri, etiam sine dispensatione, alibi verò non: sed nec in monasterio nec alibi prælationē habebunt, vt eodem tit. cap. finali; nec Ecclesiam sæcularem, 16. qu. 1. Dico ergo quòd irregu-

*Intrantes
monasteriū
de iure com-
muni ad
Ordines
promouen-
tur.*

laritas intrantium Religionem aboletur, vt à iure statutum est. Dicit etiam Ioannes Andree in Nouella super cap. i. vbi supra: Quando aliqui monasterium intrant, tunc de iure communi ad Ordines promouentur. De hoc infra cap. vltimo.

II. Fructus

*Recēsentur
varia Reli-
gionum
priuilegia.*

Vndecimus fructus est, priuilegij specialis collatio, scilicet quod Ordini datum est in eo profitentibus. De quibus in multis locis canunt iura Canonica. Vix est enim aliquis Ordo approbatus, qui non habeat multa priuilegia specialia. Quidam enim habēt, quòd apud se profitentes vel professi, imò intrantes, possunt pænè ab omni vinculo ab homine vel à iure lato excommunicatiōnis, suspensionis, & interdicti absolui, & quòd cum eis in multis & magnis irregularitatibus potest dispensari: alij habent idem, quotiescumque & vbiicumque indigent de talibus; quòd à Priore sui Ordinis vbi que possunt gaudere & recipere talem absolutionem, & dispensationem, vt Ordo Prædicatorum, de quo mihi constat. Qualia certè priuilegia nullus Archiepiscopus de iure communi communicare potest suis Clericis. Alij habent, quòd apud se professi possunt cōsequi plenam remissionem omnium peccatorum suorum per plenariam Indulgentiam, in mortis articulo semel: alij ha-
bent

bent quòd in vita possunt hoc consequi semel, alij sæpè: alij habent alias magnas Indulgentias, & multas consequi possunt, nunc in sermonibus, nunc in eleemosynis, nunc in visitatis ipsorum ecclesiis: & ita de aliis est sentiendum.

Duodecimus fructus est, bonorum scilicet satisfactoriorum à fratribus & sororibus sui Ordinis cõmunicata participatio; quam B. Bernardus, adhuc in vita existens, cõmunicavit suis benefactoribus, prout de hoc vidi copias. Solent enim Religiosi multa opera satisfactoria facere in ieiunando, orando, abstinendo, prædicando, itinerando, confessiones audiendo, duriter iacendo, & in aspero vestitu, ac multis similibus, quorum participatione possunt communicare suis benefactoribus, & maximè suis confratribus & cõsororibus. Ita Sacerdotes speciales Misericordias, & non Sacerdotes speciales habent Psalmos dicere: per quæ certè, saltem, quando alicui cõmunicantur, ex intentione facientis participium ad satisfaciendum, non solum ad merendum aliquod accidentale, tunc multum minuitur pœna debita pro peccatis in purgatorio luendis, prout determinant S. Thomas & Doctores omnes communiter super 4. Sent. dist. 19. & 45. Habent insuper multi Religiosi, vt Ordo Prædicato-

12. Fructus

Ad quid
conducit
participatio
bonorũ ope-
rum qua
aliis indul-
getur.

rum, per totum orbem in omnibus fratrum
 conuentibus, & sororum suarum monaste-
 riis, quòd singulis annis certum pro fratri-
 bus & sororibus celebretur anniuersarium;
 & pro parentibus eorum, aliud annuatim
 similiter anniuersarium perpetuum, qualia
 sæculares vix cum suis diuitiis obtinere pos-
 sunt. Ob quam causam Psalmista magno
 cum desiderio orauit, dicens: *Participem me
 fac Deus omnium timentium te, & custo-
 dientium mandata tua.* Et licet omnes in
 charitate existentes participationem mu-
 tuam assequantur generalem in cælo per
 Sanctorum cõmunionem de charitatis al-
 terius operibus: non tamen talem partici-
 pationem consequuntur omnes, per quam
 à pœnis liberentur; qualem consequuntur
 hi, quibus specialis datur participatio, prout
 Doctores communiter determinant ibi su-
 præ. Sed quæret aliquis: Quam vtilitatem
 consequuntur hi, quibus à Religiosis com-
 municantur beneficia Ordinis per litteras,
 vel aliàs? Respondet Petrus de Palude 4. di-
 stin. 45. q. 2. Receptio ad beneficia Ordinis
 fit principaliter ad merendum, non ad satisfi-
 faciendum. vnde receptus ad beneficia, non
 est propter hoc immunis à pœnitentia in-
 iuncta sibi, nec in toto, nec in parte, propter
 ieiunia quæ fiunt in Ordine, sicut esset per
 Indul-

*Differt ge-
 neralis com-
 munitio bo-
 norum ab
 hac speciali.*

*Ad quid
 dentur lit-
 teræ quibus
 recipiuntur
 aliqui ad
 beneficia
 Ordinis.*

Indulgētias, nec minūſ diu punietur in purgatorio: propter quod poſt mortem ſolent recitari obitus, vt ſpecialiter pro eis oretur.

Est enim duplex participium in operibus bonis, vnum in merendo, aliud in ſatisfaciendo. Inter quæ participia, duplex eſt differentia. Prima, quia participium meriti eſt ex ſola vnione charitatis, ſine aliqua intentione facientis ſpecialiter directè ad participantem, licet ſit maior cum intentione: ſed participium ad ſatisfaciendum, non: alioquin quicumque eſſet in charitate, ſiue in hoc mundo, ſiue in alio, ſtatim eſſet immunis ab omni pœna, theſauro Eccleſiæ, qui eſt infinitus, diſtributo pro eius ſatisfactione; ſicut & quilibet ex participatione meriti Chriſti per Sacramentum meretur præmium infinitum, quod ei dat Deus intenſiuè vel extenſiuè, quæ eſt vita æterna: vel ſaltem ille qui eſt in maiori charitate, eſſet minoris pœnæ debitor in hoc ſæculo & in alio; quod non eſt verum, ſed ex ſola intentione facientis. Secunda differentia eſt, quia participium meriti non minuitur ex multiplicatione participantium, ſicut patet, quòd non ſit deterior conditio multiplicationis electis, ſed melior. non ſolùm, quia illi incipiunt participare, qui incipiunt communicare: cum etiam paruuli baptizati, ſint par-

Duplex participatio bonorū, vna ad merendum, ad ſatisfaciendū altera.

ticipes bonorum operum, qui nihil operantur. Et propter hoc sine præiudicio prius receptorum ad beneficia, possunt secundi recipi, nec minus capiunt nouissimi quam primi. Sed in satisfactione secus est, secundum communem doctrinam. Hæc Petrus: & est sententia S. Thomæ in 4. dist. 45. qu. 2. ar. 1. Deinde Petrus quærit: Quid ergo importat istud participium meriti? Respondet: Non videtur aliud, nisi quòd Deus propter merita aliorum præseruat aliquem quandoque à peccato, quandoque à morte, & sic de aliis. Sicut recordatus est Deus Abraham, & liberavit Loth: cum etiam quandoque propter iustos pereant impij: vnde non concurrat meritum nisi ex vna parte; sed quando ambo iusti sunt, tunc ex vtraque. Sed per receptionem ad beneficia consequitur aliam vtilitatem, quia specialiùs participat, & ex intentione illa generali in recipiendo, & ex intentione speciali pro receptis orando. Hæc Petrus de Palude. Concordat cù isto Godfridus in Quodlibetis suis, dicens, quòd beneficia à Religiosis communicata, non minus valent paucis, quam multis. sed per aliam rationem: Quia, inquit, talia bona Religiosorum plus vel minus valent petentibus secundum maiorem vel minorem deuotionem ipsorum. Ideò si cum instantia multi petant,

*Quid boni
afferat par-
ticipatio
meritorum*

*Quando
beneficia
aque va-
lent multis
quantum
paucis.*

petant, & illi recta intentione illos recipiant, videtur quòd tantum valeant multis quantum paucis: quia Deus supplet vicem deuotionis actualis, cum maneat sufficiens secundum habitum & radicem.

CAPVT IIII.

Recenset alios fructus Religionem intrantis, qui sunt duodecim. Primum declarat, quæ est vocationis diuinæ certificatio. vbi notantur vocationum & instinctuum multiplices differentiæ.

NVNC de maximis Religionum fructibus, in quibus probatur Dei voluntas perfecta, dicendum est: & sunt, quantum proposito sufficit, duodecim numero, quos maximo cum merito potest assequi ille, qui profitetur Religionem approbatam: scilicet vocationis diuinæ certificatio, veneni charitatis abiectio, ad victimandum perfecta dispositio, holocausti veri oblatio, vitæ & passionis Christi conformatio, plena peccati remissio, supremæ philosophiæ professio, spiritus facilius erectio, in dubiis tutior ambulatio, operum per vota melioratio, peccati commissi minoratio, & iudiciariæ potestatis collatio.

Primus itaque fructus est, vocationis di-
i. Fructus
Religionis.

T s uinæ

uinæ certificatio. Sunt autem vocationum plures modi; quidam boni, alij verò mali: sicut etiam de instinctibus dici solet, sed nō omnes instinctus sunt à Deo. De bonis verò vocationibus tres differentias ponens Cassianus ex ore Abbatis Paphnutij, ita inquit collatione Patrum: Primus vocationis modus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnūquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis excitat, Deumque sequi & eius inhærere præceptis, compunctione saluberrima cohortatur; vt in Scripturis sacris Abraham voce Dominica de genitrali solo, & totius cognationis suæ affectibus, patrisque domo legimus euocatum, dicente Domino: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Quo etiam modo B. Antonium accitum esse cognouimus, qui occasionem suæ vocationis à sola diuinitate percepit. Ingressus itaque Ecclesiam, ibique audiens in Euangelio, Domino prædicante: *Qui nō odit patrem suū, & matrem, & uxore, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autē & animam suā, nō potest meus esse discipulus.* Et Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vēde omnia que habes, & da pauperibus, & habebis thesaurū*

Cass. col. 3.
cap. 4.
*Tres modi
vocationis.*

*Primus à
Deo.*

Gen. 12. 1.

Luc. 14. 26.

Mat. 19. 21

in celo: & veni, & sequere me. Præceptum hoc Domini, velut specialiter ad se directum, cum summa cordis compunctione suscepit; confestimq; renuntians cunctis, secutus est Christum, nulla exhortatione neque doctrina hominum prouocatus.

Secundus vocationis modus est, quem Secundus Vocationis modus fit ab homine. fieri per hominem diximus, cum vel exemplis quorundam Sanctorum vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur; quo nos quoque gratia Domini retinemur astricti, qui prædicti viri (scilicet Antonij) monitis ac virtutibus incitati, huic nos studio perfectionis tradidimus. Quo ordine etiam in Scripturis sanctis per Moysen filios Israël de afflictione Ægypti legimus liberatos.

Tertius verò vocationis modus est, qui ex Tertius Vocationis modus ex necessitate instigante. necessitate descendit, cum nos diuitiis huius mundi vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula minantur, vel amissione bonorum vel proscriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Dominum, quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem inuiti properare compellimur. Extat exemplum de Israël sæpè grauato per tyrannidem Gentium; & tunc Israël clamando ad Dominum, liberatus est. Sic Isaia 65.

&

Pf. 106. 28. & in Psal. 106. *Cum occideret eos, tunc querebant eum. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.*

Vocat homo hominē tripliciter.

Prou. 9. 13.

Vocat præterea solus homo, non Deus, hominem tripliciter. Aliquando ad peccatorum exercitium, vt dicitur Prou. 9. *Mulier stulta & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus sue, vt vocet transeuntes per viam.* Aliquando vocat homo ad conuiuium faciendum, vt

2. Reg. 4. 23. 27.

Iob filij vocabant tres sorores suas, vt comederent, &c. Et 2. Regum 4. *Vocauit Absolon omnes filios Regis. & post: Fecerat enim conuiuium, quasi conuiuium Regis.* Aliquando ad consilium accipiendum, Iudith 2.

Iudith 2. 2.

Vocauit Nabuchodonosor omnes maiores natu, omnesq; duces bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui. Vocatio

Non tunc semper vocatio hominis à vocato auditur.

Pro. 14. 12.

autem hominis, non semper tunc à vocato auditur, teste Salomone Prouerb. 14. dicente: *Est via, quæ videtur homini iusta; nouissima autem eius deducunt ad mortem.*

Vocat dæmon, sed nõ ad bonum.

2. Cor. 2. 11

Vocat item, sed numquam ad bonum, dæmon. Sic enim in serpentis effigie per Euam primò mundum seduxit. Quo contra hortatur Apostolus 2. ad Corinth. 2. *Vt non circumueniamur à satana: non enim ignoramus cogitationes eius.* Et Ioannes in

Cano-

Canonica sua I. cap. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.* Qualiter autem dæmones per instinctus deceptorios, mediantibus prophetis, id est, doctoribus malis, vocent ad mala homines, docetur 3. Reg. 22. vbi de Achab rege Israëli malo, iam decipiendo, vt caderet in prælio, ait quidam malignus spiritus ad Deum: *Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius, scilicet regis Achab.* De malis igitur tã hominibus quã spiritibus causatur Apostolus 2. ad Cor. 11. dicens: *Eiusmodi pseudoapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Sathanas transfiguratur se in angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum.*

Cum autem inter tot euocationum & instinctuum differentias difficile sit verum à falso cognoscere, tutior via est Religionem ingredi, his qui sunt dispositi iuxta consilium Apostolorum Principis ita suadentis: *Quapropter fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrat*

1. Ioan. 4. 2

3. Reg. 22.
v. 22.2. Cor. 11.
v. 13.Inter varias vocationum varietates quibus tutissimum Religionem ingredi.
2. Pet. 1. 10

nistrat

ministrabitur vobis introitus in eternum regnum Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi. Ad idem est S. Thomas 2. 2. q. vlt. ar. vlt. ad 1. vbi exponens ista verba Ioannis, *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sunt*, sic dicit: Cùm dicitur, *Probate spiritus si ex Deo sunt*, locum habet in his quę dubia sunt, vtrum spiritus Dei sit: sicut dubium potest esse his, qui iam sunt in Religione; vtrum ille, qui Religioni se offert, spiritu Dei ducatur, aut simulatè accedat; & ideò debent accedentem probare, vtrum diuino spiritu moueatur. sed illi, qui ad Religionem accedit, non potest esse dubium, an propositum de ingressu Religionis in corde eius exortum, sit à spiritu Dei: cuius est ducere hominem in terram rectam. Et si quis obiiceret propositum Religionis in corde eius exortum, sic intrando non esse à Deo, cùm frequenter per exitum Religionis dissoluatur; dicitur enim Act. 5. *Si ex Deo est (scilicet consilium) non poteritis dissoluere.* respondet S. Thomas sic ibidem; Nec propter hoc ostenditur non esse ex Deo, quòd aliqui retrocedunt. Non enim omne quod à Deo est, est incorruptibile; alioquin creaturæ corruptibiles non essent ex Deo, vt Manichæi dicunt. Neque etiã aliqui, qui habent à Deo gratiam, possent illam

*Non definit
vocatio à
Deo esse
ideò quòd
constans
non sit.
Act. 5. 39.*

illam amittere, quod etiam est hæreticum. Sed consilium Dei est indissolubile, quo etiam corruptibilia & mutabilia facit, secundum illud Isaïæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et ideo propositum de ingressu Religionis, non indiget probatione, vtrum sit à Deo: quia certa discussione non eget, vt dicit Glossa supra illud 1. ad Thessal. ultimo: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Vnde ad vocationem Domini, Petrus & Andreas continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et Chrysostomus super Matth. dicit: Talem obedientiam Christus quærit à nobis, vt neque instanti tempore remoremur. Si tamen sit aliquod speciale impedimentum volenti intrare Religionem, puta, infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua huiusmodi, in his requiratur deliberatio, & consilium cum his, de quibus speratur quod profint, & nõ impediunt, vnde dicitur Eccli. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum iniusto de iustitia.* Quasi diceret, vt sequitur: *Non attendas his in omni consilio; sed cum viro sancto assiduus esto.* Hæc sanctus Thomas. Et si quæres: Cum inter differentias bonarum vocationum quæ à Deo, ab homine, & ex necessitate fiunt, sint gradus, quæ vocatio est melior seu utilior? respon-

Isa. 46. 10.

Propositum
de ingressu
Religionis
nõ eget pro-
batione aut
ex Deo sit.
Glos. inter-
lin.

1. Thess.
ult. 21.in cap. 4.
Mat. ho. 14
tom. 2.

Qui legi-
time se Re-
ligioni in-
habiles pu-
tant à quo
consilium
cipient.

Eccli. 37.

v. 11.

cap. 5.

*Necessitate
compulsi
aliquando
optimi ef-
fecti.*

spondet vbi suprà Paphnutius: Ex his itaque tribus modis, licet priores duo melioribus inniti principiis videantur: nonnumquam tamen etiam inuenimus de tertio gradu, qui infimus videtur ac tepidus, perfectos viros ac spiritu feruentissimos extitisse; illisque consimiles, qui optimo principio aggressi sunt Domini famulatum, reliquam quoque vitam laudabili feruore spiritus exegisse: & iterum de illo superiori gradu plurimos tabefactos ad vituperabilem finem sapissimè cecidisse. Exemplum adfert ibi de Abbate Moysè, qui propter homicidium, quod in sæculo existens commisit, ad monasterium, vt vitam tueretur, confugit: & ideò Religionis ibi habitum assumens ac profitens, perfectissimæ tandem vitæ fuit; de necessitate faciens virtutem. Et è contrario multi, quos Paphnutius nominare noluit, primis duobus gradibus vocati, tandem ex negligentia in profundum barathri ceciderunt. Sicut etiam Iudas, à Deo sicut ceteri Apostoli vocatus, sine pessimo clausit vitæ suæ extrema. Vnde concludit Paphnutius ibi: Totum ergo in fine consistit, in quo potest quis & optime conuersionis initiis dedicatus, inferior per negligētiam reperiri; & necessitate attractus ad nomen monachi profitendum, effici per timorem Dei, diligentiamque perfectus.

CA-

CAPVT V.

*Deducit secundum fructum, qui est veneni
charitatis abiectio. & ostendit, quod cha-
ritatis triplex sit venenum, quod Religio
docet euomere; nempe superbia, auaritia,
& luxuria.*

SECVNDVS fructus Religionis, est veneni
charitatis abiectio, scilicet cupiditatis;
quæ, teste Apostolo, radix omnium est ma-
lorum, prout se extendit ad amorem inor-
dinatum diuitiarum, deliciarum, & ad ef-
frenem voluntatis libertatem, prout S. Tho-
mas exponit lib. De perfectione spiritualis
vitæ. Considerandum hîc est, in quo vita
Christiana consistit, quomodo eam virus
vitiarum necat, & qualiter per Religionis
ingressum, toxicum animo depellitur. Pri-
mum docet agnoscere, vbi prius, S. Tho-
mas, ita inquit: Est in naturalibus aliquid
simpliciter perfectum, quod cõtingit finem
eius, quod ei competit secundum propriam
rationem: vt animal cum ad hoc deuenit,
quod in nullo deficit, quod pertinet ad per-
fectionem vitæ, scilicet in dispositione mem-
brorum, quantitate & virtute. Secundum
quid perfectum est, quod perficitur in ali-
quo

*Secundus
Fructus
Religionis.*

*S. Tho. lib.
De perf.
spirit. vitæ.
o 17. opu-
scul. 18.*

*Quid per-
fectum sim-
pliciter.*

*Quid per-
fectum se-
cundum quid,
vt aiunt.*

Quis in Religionem perfectus simpliciter.

Quis secundum quid.

1. Cor. 13. 2

quo concomitante; puta si sit perfectum in albedine, odore, &c. Sic in spirituali vita, perfectus simpliciter dicitur ratione eius, in quo spiritualis vita consistit; sed secundum quid perfectus dici possit ratione cuiuscumque quod spirituali vitæ adiungitur. Consistit autem spiritualis vita in charitate: qua carens, nil spiritualiter reputatur. Vnde 1. Cor. 13. *Si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et 1. Ioan. 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.*

Perfectio consistit in charitate Dei primario.

Gen. 17. 1.

Quomodo ambuletur coram Deo.

** Secundaria perfectio in dilectione proximi.*

Ergo simpliciter perfectus est in vita spirituali, qui in charitate perfectus est. Secundum quid perfectus est, qui secundum quodcumque, quod spirituali vitæ adiungitur, ut humilitate, patientia, & huiusmodi perfectus est. Cum itaque perfectio consistat in charitate, & duo sint præcepta charitatis, de Deo principale, de proximo secundarium: primo consistit perfectio vitæ in dilectione Dei. Vnde Gen. 17. Dominus ad Abraham ait: *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Ambulatur ergo coram Deo, non passibus corporis, sed affectibus mentis. * Secundario verò consistit

stit in dilectione proximi: unde Matth. 5.
Diligite inimicos vestros. Et cum plura sub- Mat. 5. 44.

iunxisset, quæ ad dilectionem proximi per-
 tinent, ait concludens: *Estote ergo vos per-*
fecti, sicut & Pater vester celestis perfectus
est. Huic S. Thomæ sententiæ concordat
 Abbas Moyses, ut refert Cassianus Collat.
 Patrum, ubi post prædictæ venationem sen-
 tentiæ sic infert: Igitur ieiunia, vigiliæ, me- Cass. col. 1.

ditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio cap. 7.
 omnium facultatum, non perfectio, sed per-
 fectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis
 consistit disciplina illius finis, sed per illa
 peruenitur ad finem. Incassum igitur hæc
 exercitia molitur, quisquis his veluti sum-
 mo bono contentus, intentionem sui cordis
 hucusque affixerit, & non ad capiendum fi-
 nem, propter quem hæc appetenda sunt,
 omni conatu se extendit: habens quidem
 disciplinæ illius instrumenta; finem verò, in
 quo omnis collatus est fructus, ignorat.

Quid autem huius vitæ nobilissimæ, quæ
 in charitate consistit, venenum existat, do-
 cet beatus Augustinus libro 83. Quæstio-
 num: Venenum, inquit, charitatis est cu-
 piditas temporalium rerum; augmentum
 verò eius, cupiditatis diminutio. Et iterum
 * Homilia 8. Radix omnium bonorum est
 charitas: radix omnium malorum est cu-
 pidi-

*Quidnam
 venenum
 charitatis.*

B. Aug. l. 83

q. 36. to 4.

* B. Aug.

Hom. sup.

illud 1. Ti-

moth. 6.

Radix om-

nium ma-

lorum, &c.

tom. 10.

piditas: & simul ambæ esse non possunt, quia nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit euellere. Et insuper vt Petrus Rauennensis in quodam Sermone exclamat: Cupiditas omnium malorum est radix, transgressionis mater, magistra nocendi, primiceria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum. Nec mirum: patulum enim est, quòd ex inordinato amore seu ex affectu creaturarum peruerso, quæ in re sunt idem quod cupis, tria peiora pullulant vitia: auaritia scilicet, luxuria, & superbia, dicente Innocentio libro De vilitate conditionis humanæ: Tria maxime solent homines affectare, scilicet opes, voluptates, & honores. De opibus praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt, &c. Nam opes generant cupiditatem & auaritiam: voluptates pariunt gulam & luxuriam: honores nutriunt superbiam & iactantiam. Manifestum est itaque, quòd per tria Religionis fundamenta, paupertatem, castitatem, & obedientiam, directe triplex antefatum eradicatur venenum, vt supra patuit libro 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 3. Declarat idem iterum S. Thomas tractatu De perfectione vite spiritualis, vbi sic inquit:

Modus

*Triapesti-
ma vitia ex
inordinato
amore crea-
turarum.*

*De cõtem-
ptu mundi,
li. 2. cap. 1.*

Obediētia,
tertia.

Dionys. De
diuin. no-
minib. c. 4.

Gal. 2. 20.

Luc. 14. 26.

interioribus cum vxore impedimur passio-
nibus; quia inter omnes passiones, maximè
absorbet concubitus rationem. Tertia verò
via, ad acquirendum charitatis perfectio-
nem, est resignatio propriæ voluntatis. Non
enim solùm necessarium est ad perfectio-
nem charitatis consequendam, quòd homo
exteriora abiiciat; sed etiam quodammodò
seipsum derelinquat. Dicit enim Dionysius,
quòd diuinus amor est extasim faciens, id
est, hominem extra seipsum ponens, non
sinens hominem suiipsius esse, sed eius quod
amatur. Cuius exemplum in seipso Aposto-
lus ostendit ad Galat. 2. *Viuo ego, iam non
ego; uiuit verò in me Christus*: quasi suam
vitam nõ suam existimans, sed Christi: quia
quod proprium sibi erat contempnens, totus
Christo inhærebat. Et ideò Lucæ 14. post-
quam Dominus dixerat; *Si quis venit ad
me, & non odit patrem suum, & matrem, &
uxorem, & filios, & fratres, & sorores: tam-
quam aliquid maius addens, subdit; adhuc
autem & animam suam, non potest meus
esse discipulus*. Quod supremè fecerunt Mar-
tyres, pro Christo totum dantes per mor-
tem. Excedit tamen libertas voluntatis om-
nia bona hominis; adeò vt post mortem,
beneficium nullum maius impendere possi-
mus, quàm pro alio nos in seruitutem redi-
gere.

gere. Qui igitur se Deo & Superioribus per obedientiam votum tradit, animæ suæ perfectissimum bonum libertatem obtulit. Quorum exemplum Christus primò fuit. De

quo ad Romanos 5. dicitur: *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per unius hominis obedientiam, iusti constituti sunt multi.*

Christus primò suã voluntatem Patri obtulit.
Rom. 5. 19.

Hæc itaque obedientia consistit in abrenuntiatione propriæ voluntatis. Vnde Matthæi 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Ioan. 6. *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Ex quibus omnibus patet, quòd per debitum Religionis ingressum, quis impedimenta perfectionis & venena charitatis abiicit.

Mat. 26. 39

Ioan. 6. 38.

CAPVT VI.

Declarat tertium fructum, qui est ad victimam perfecta dispositio. Vbi docetur, quomodo homo ad modum hostiæ veteris Testamenti, per septem se Deo sacrificare debet.

TERTIVS fructus est, ad victimam scilicet perfecta dispositio. Vbi notandum, quòd ad offerendum olim aliquam hostiam

V 4

Deo

Septem carimonie vnde se homo per se hunc Deo sacrificet.

Deo viuam, multę perexigebantur carimoniarum: sicut etiam hodie ad hoc, quod aliquis se Deo religet & offerat congruę, plura requiruntur. Vnde ad hoc vt homo se per Religionis ingressum, perfectam Deo hostiam exhibeat; septem carimonias seu ritus imitari studeat, qui circa hostias veteris Testamenti seruari mandantur Leuit. 1. Nam a grege aliorum segregabatur; ne se defenderet, ligabatur; oportebat vt occideretur; vt aptior immolationi foret, excoriabatur; ad abstergendas fordes lauabatur; in sex frusta diuidebatur; & tandem super altare cremabatur.

Primò, Segregari debet à cõmunigrege.

Ioan. 15. 16

Primò ergo Deo se daturus, se à secularibus segreget, sicut Christus suis fecit discipulis, quibus ait Ioan. 15. *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Nec terreantur ex ista segregatione boni à malis, si mundus electos odit, quia idem Dominus contra talia armat suos; dicens Ioan. vbi prius: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mūdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, &c.*

Secundò, Ligari debet sese sacrificans.

Secundò, præceptis consiliorum & præceptorum diuinorum se liget, ne postmodum

dum pœnitendo resiliat; in hoc consilium
 æternæ sequens Sapientiæ, Eccles. 6. dicen-
 tis: *Audi fili, & accipe consilium intelle-* Eccli. 6. 24.
ctus, & ne abiicias consilium meum. Iniice
pedem tuum in compedes illius, & in torques
illius collum tuum. Subiice humerum tuum,
& porta illam: & ne acedieris vinculis e-

ius, &c. Ita enim multi grauibus pressi in-
 firmitatibus, quibus magna amputada sunt
 membra ne totum corpus inficiant, se ligari
 rogant à chirurgis: petunt quoque vt quid-
 quid postea reclamauerint sectionis tempo-
 re, non audiantur; sed morbo succurratur
 contagioso, prout ars medicinæ dictauerit.

Tertiò, oportebat vt hostia iuglaretur,
 occideretur, seu sanguis eius effunderetur:
 quod fit, quando per veram contritionem,
 & puram confessionem sanguis peccatorum
 effunditur. Et sic vita vitiorum singulorum
 enecatur, Dei ob honorem. Vnde Isidorus Tertiò,
Hostia iugulari de-
bet.
 in Glossa Leuit. 1. Nos autem moraliter vi-
 tulum offerimus, cum in carnis superbiam vin-
 cimur; agnum, cum irrationabiles motus
 corrigimus: hœdum, dum lasciuias supera-
 mus. Et idem intelligi debet de ariete ira-
 cundiæ, de boue gulæ, de hirco auaritiæ,
 de vacca acediæ, de capra superbiæ, & de
 passere inuidiæ. Isidor. c. 1.
in Leuit.
Varia sa-
crificia in
se homo ha-
bet.

Quartò, hostia, vt munda esset, à fordi-
 bus Quartò,
Hostia abs-
tergi debet.

- bus abstergebatur & lauabatur: per quod
pœnitentia super peccatis habenda conuin-
citur. Tunc enim, in ingressu Religionis, in
multis habet illud Isaiaë 1. locum, quo ad
 Isa. 1. 5. maculatam animam: *Omne caput langui-
dum, & omne cor mœrens. A planta pedis
vsque ad verticem, non est in eo sanitas.
Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est
circumligata, nec curata medicamine, neque*
 Ioel. 1. 17. *fota oleo.* Et illud Ioëlis 1. *Computruerunt
iumenta in stercore suo.* Et illud Lucaë 10.
 Luc. 10. 30 *Homo quidam descendit de Ierusalem in Ie-
richo, & incidit in latrones, qui etiam de-
spoliarunt eum: & plagis impositis, abie-
runt semiuiuo relicto.* Danda est igitur ope-
ra tali, infecto vulneribus & fœditatibus, vt
per lacrymarum flumina pœnitētia abster-
gat, quod culpa maculauerat. hinc est, quòd
 Isa. 1. 16. vbi prius Isaïas subdit: *Lauamini, mundi
estote, auferite malum cogitationum vestra-
rum ab oculis meis. Quiescite agere peruer-
se: discite benefacere.* Et Ioël vbi suprâ:
 Ioel. 1. 8. *Plange quasi virgo accincta sacco, &c. Ac-
tingite vos & plangite sacerdotes: ululate
ministri altaris: ingredimini, cubate in sac-
co ministri Dei mei.* Et Veritas post narra-
tionem de vulnerato homine Samaritano,
eiusdē curam impositione vini & olei, ipsis
vulneribus exhibitam, & reductionem in
 stabu-

stabilium, diligenter exequitur; per omnia
 talia, poenitentiae lamenta designans. Po-
 tissime autem peccata deplangere, mona-
 chis competit: de quibus 16. qu. 1. dicit Pa-
 pa Eugenius: Agnoscat monachus nomen
 suum. *Μόνος* enim Græcè, Latine est vnus:
ἀχος Græcè, Latine est tristis. Vnde dicitur
 monachus, id est, vnus & tristis. Sedeat ergo
 tristis, & officio suo vacet. Et ibidem dicit
 sancta Synodus Nicæna: Placuit omnibus
 residentibus in sancta Nycæna Synodo, vt
 monachorum conuersatio & vita, secundum
 etymologiam nominis, ab hominibus dif-
 crepet. Monachus enim Græcè, Latine sin-
 gularis dicitur: vnde monachum per omnia
 singulariter agere oportet. Dicit autem Glos-
 sa: Singulariter, id est, non sæculariter. Nam
 sæculariter viuere non debet, dicente B. Hie-
 ronymo ad Rusticum monachum: Placet
 vt habeas sanctorum contubernium, ne ipse
 te doceas, & absque Doctore ingrediaris
 viam, quam numquam ingressus es.

Quintò, hostia vt immolationi magis
 foret idonea, excoriabatur; per quod desi-
 gnatur, quòd qui Religionem intraturus
 est, mores ineptos, & malignas consuetudi-
 nes debet deponere. Manet enim plerum-
 que iam dimissis peccatis consuetudo & ha-
 bitus inclinans ad vitia; quæ consuetudo &
 habi-

Papa Eu-
 gen. cap.
 Placuit cõ-
 muni.
 Vnde deri-
 uetur nomē
 Monachus.

B. Hier. ad
 Rusticum
 cir. med.
 tom. 1.

5. Hostia
 excoriari
 debet.

- habitus inclinans nõ nisi per oppositos actus
 eradicator. *Pellem pro pelle, & cuneta quæ
 habet homo, dabit pro anima sua,* ait Satan,
 Iob 2. Quia vt Glossa ibi dicit: Suspica-
 tur diabolus de Iob, quod communiter in
 aliis fieri viderat. Leuit. etiam 1. hostiæ vi-
 tulae pellis detrahi iubetur. vbi Glossa sic di-
 cit: Pellis detrahitur, cum diuitiis & qui-
 buscumque sæcularibus exspoliamur. Vnde
 pellem pro pelle, & vniuersa quæ habet ho-
 mo, dabit pro anima sua. Cauendum enim
 valdè est, ne Religionis assumètes habitum,
 animum retineant sæcularè. Contra quam
 pueritatem cuidam tepido conuerso mo-
 nacho, ait quidam sanctorum Patrum: Se-
 nator esse desiisti, & monachum non fecisti.
 Et Ieremias de similibus ait cap. 13. *Si mu-
 tare potest Aethiops pellem suam, aut par-
 dus varietates suas, & vos poteritis bene-
 facere, cum didiceritis malum.* Super quo
 pulchrè Glossa dicit: Hoc testimonio vtun-
 tur qui diuersas naturas inferere conantur,
 tantam nigredinem vel varietatem pecca-
 torum dicentes, vt in candorem & vnius co-
 loris pulchritudinem transire non possit.
 Non hoc attendentes, *Cum didiceritis ma-
 lum.* Quidquid enim discitur, non naturæ
 est, sed studij & propriæ volûtatis: quæ con-
 suetudo peccandi quodammodò in naturam

Iob 2. 4.

Leu. 1. 6.

Ier. 13. 23

Hieron. in
c. 13. Ier.
tom. 5.

ram tráfit. Sed quod hominibus impossibile est, Deo possibile est: vt nequaquá Æthiops & pardus suam videantur mutare naturam; sed ille qui in Æthiope operatur & pardo, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Vnde & in alio loco: *Amplius,* inquit, *illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei, quæ est in me.* & *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et iterum scriptum legimus: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Non igitur gloriatur sapiens in sapientia sua, vel fortis in fortitudine sua: & huiusmodi, quæ in omnibus operatur virtus Christi.*

Phil. 4. 13.

1. Cor. 15.

v. 10.

Gal. 2. 20.

1. Cor. 4. 7.

Ier. 9. 23.

Sextò, hostia in frustra diuidebatur. Hoc autem quatuor modis moraliter hodie fieri potest secundum Glossam Leuitici. Primò, corporis membra Dei obsequiis dando. Secundò, virtutem discretionis cunctis agibilibus applicando. Tertiò, sacræ Scripturæ verba singula ponderando, vel singulorum Christi membrorum, id est, sanctorum Patrum & fratrum facta: & Quartò, pro exemplari congruo propriæ vitæ adoptando. Vnde Glossa interlinearis super verbo *In frustra concident,* dicit; *Membra vel sensus corporis Domino consecrando, vel certa discretionem singula examinando, tamquam fideles*

Sextò,
Hostia di-
uiditur.

les

Hom. 1. in
Leuit. cir.
med.

Quatuor
modis se-
ipsum ceu
hostiam di-
uidat Reli-
giosus.

Rom. 6. II.

les dispensatores. Et Glossa ibidem Origenis dicit: Membratim vitulum diuidit, qui per ordinem distinctè explanat, quid sit profectus, Christi simbriam contigisse, quid pedes lauisse lacrymis, &c. Et ibidem Isidori Glossa dicit: Membra conciduntur, dum singulorum conuersatio in augmentum corporis, in mensura cuiuscumq; membri ædificatur. Opus ergo est Religioso, vt dum vitia per contritionem mactauit, eorumdem vitiorum postquam malæ consuetudinis pellem abstraxit, pœnitentiæque lamentis vtrumque lauit, vt prædictis quatuor mysticis insistant dimembrationibus. Primò, corporis membra Deo exhibendo: quod suis etiam indicit Apostolus discipulis ad Romanos 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Secundò, dimembrationi insistant, virtutem discretionis agilibus applicando. Quæ virtus quàm necessaria sit volenti ad perfectionis apicem sine errore, via compendiosa tendere; docet latissimè

S. Ab-

S: Abbas Moyses, vt refert Cassianus in col-
 lat. Patrum, collat. 2. Et ad idem est Philo- Cass. col. 2.
c. 1 2. &
seq.
 sophus 6. Ethic. qui Prudentiam, quę eadem
 est cum discretione, describendo ait, quod
 sit recta ratio agibilium: imò Christus hanc
 habere iubet, cum Matth. 10. Apostolis
 ait, *Estote prudentes sicut serpentes, & sim-* Mat. 10 15
plices sicut columba. Tertiò etiam, si scien-
 tiam Scripturarũ habere potest, discutian-
 tur singulę eius particulę: quia secundũ
 Psalmistam, *dulciores sunt super mel &* Psal. 18. 11
fauum. Lex Domini immaculata conuertens
animas. Et testimonium Domini fidele, ac
Dei iustitię. Quartò verò inspiciantur sin-
 gulorum bonorum gesta virtutum, velut vi-
 ua exemplaria virtutes discendi, potissimè
 tamen Christi, qui dixit Ioan. 13. *Exemplum* Ioan 13. 15
dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vo-
bis, ita & vos faciatis.

Septimò tandem hostia super altari cre- 7. Hostia
super alta-
ri crema-
basur.
 mabatur post dimembrationem. In altari
 enim iugis erat ignis. Vnde Leuitici 1. dici-
 tur: *Ponent, scilicet membra, super ligna,* Leu. 1. 12.
quibus subijciendus est ignis. Intestina verò
& pedes lavabunt aqua: & oblata omnia ad-
olebit sacerdos super altare in holocaustum,
& odorem suauissimum Domino. Per quę,
 vt Glossa dicit, intelligitur, quod Deo se to- Holocaustũ
spirituale.
 tum offerens per charitatis ardorem, omnia
 quę

quæ cogitat, affectat, facit aut loquitur, it-
giter in cordis sui ara Deo offerre debet:
quia hoc est facere Deo odorem suauissi-
mum. Sic enim, vt B. Gregorius exponit,
cor debet esse Dei altare: ligna quæ impo-
ni debent, sunt sacræ Scripturæ verba, &
fomenta charitatis ac deuotionis: deuotio
& charitas sint ignis. Libera voluntas est sa-
cerdos: vterque homo cum suis donis hostia
sint salutaris. Additur autem notâter de lo-
tione pedum & intestinorum post dimem-
brationem facienda. Super quo Gregorius:
Pedibus terra tangitur, intestinis stercorea
gestantur: quia plerumq; iam ex desiderio
in eternitate succendimur, & toto sensu de-
uotionis ad appetitum nostræ mortificatio-
nis inhiamus. Sed quia adhuc terrenum ali-
quid per infirmitatē agimus, multa etiam,
quæ iam subegimus, illicita in corde tolera-
mus. Cumq; cogitationes nostras immunda
tentatio inquinat, intestina hostiæ stercorea
portant, sed cōburi debent. Lauantur, quia
immundas cogitationes fletus diluit, quas in
acceptione sacrificij supernus amor incēdit.
Et quidquid mens vel inexperto tentamine,
vel de pristinæ cōuersationis patitur memo-
ria, lauatur: vt tanto suauius in cōspectu Do-
mini ardeat, quanto cum assistere cœperit,
nil terrenum, nihil lubricum in ara suæ ora-
tionis imponat.

CAPVT VII.

Manifestat quartum fructum, qui est holocausti veri oblatio. Vbi docetur quomodo homo totaliter se Deo per Religionis ingressum immolet per tria substantialia Ordinis.

QUARTVS fructus est, holocausti veri oblatio; quæ consistit nedum in dimissione mali (in quo præcedens fundatur vtilitas) sed etiam in exhibitione & traditione perfecti sui. In genere enim homo tria quodammodò bona habet: res exteriores; corpus, cuius potior delectatio consistit circa venerea; & animam, cuius cacumen est voluntatis libertas. Quæ omnia, profitendo Religiosus Deo sacrificat per obedientiæ votum. Hic enim est felix trinarius, quæ commendant Philosophi, laudant Sancti, & quem sacra Scriptura comprobat tam in veteri quàm in nouo Testamento. Commendant, inquam, Philosophi numerum ternarium, ita dicente eorum Principe, in principio cæli & mundi: Per hunc quidem numerum, scilicet trinarium, adhibemus nos ipsos magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorū quæ creata sunt. Quæ verba S. Thomas tractans 1. Sent. dist. 3. qu. 1. sic exponit, dicendo, quòd secundum Com-

In quo consistat ratio holocausti.

S. Thom.
dist. 3. q. 1.
art. 4. ad. 1.

X

men-

Cur genti-
les ternario
numero
Deos hono-
rauerint.

Tria Deo
vero offe-
renda.
Augustin.

* diligere

mentatorem non intendit Philosophus tri-
nitatem personarum in Deo ponere, quia
Philosophi ad hoc non venerunt: sed pro-
pter hoc, quòd in omnibus creaturis appa-
ret perfectio in trinario; sicut in principio,
medio, & fine. Ideò antiqui honorabant
Deum sacrificiis & orationibus triplicatis.
Constat autem quòd dare temporalia sua
bona Deo, primum bonum est: corpus man-
cipare castitati, melius est; quia non est con-
digna ponderatio continentis animæ: sed
optimum est, etiam animam per obedien-
tiam offerre Deo. Laudant numerum tri-
narium Sancti; vt Augustinus lib. De iudi-
cio faciendo dicit, tractas illud Psalmi, *Quid
retribuam Domino pro omnibus quæ retri-
buit mihi?* Indicabo tibi, ó homo, quid sit
bonum, & quid Deus requirat à te. Vtique
facere iudicium, & diligere misericordiam,
& sollicitè ambulare cum Deo tuo. Tria
hæc sunt, quæ offerre debes: quia & Deus
qui Trinitas est, non nisi trino sacrificio di-
gne* placari potest. Diligit autem misericor-
diam, qui temporalia dat pauperibus: facit
iudicium, qui per castitatem cum Apostolo
castigat corpus suum, & in seruitutem redi-
git; & cum Iob pactum facit cum oculis suis,
ne cogitet quidem de virgine. Sed sollicitè
cum Deo ambulat, qui mandata Regulæ &
consti-

constitutionum, per obedientiam attentè custodit. Hinc B. Bernardus in Sermone de purificatione B. Mariæ virginis, dicit: Sed quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorē quam habuit; nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus, utique nosmetipsi. Et post pauca; In oblatione illa Domini tres fuisse leguntur; Ioseph scilicet, Maria, & Christus: & in oblatione nostra tria nihilominus à Domino requiruntur. Sacra insuper Scriptura trinarium talem approbat. Nam tres illi Reges Evangelici, aurum, thus, & myrrham obtulisse Regi summo leguntur: quia in auro, thesaurus rerum; in myrrha, carnis mortificatio; & in thure, voluntatis obedientia designatur. Hinc est, quòd in veteri Testamento Religiosi figurabantur per Nazaræos perpetuos, quales fuerunt Sampson & Samuel. Debebant autem Nazaræi tempore toto, quo tales erant, scilicet diuino cultui totaliter consecrati, tria facere, ut habetur Num 6. A mortuis, etiam amicis, non contaminari; à vino & omni quod inebriare potest, abstinere; & nouacula capite non radi. Per quæ, ut Glossa ibidem innuit,

B. Bern.
Serm. 3.

*Nazaræis
quid agendum.*

Num. 6. 6.

X 2

seque-

sequestratio à temporalibus rebus interdicitur, fomentum luxuriæ in vino prohibetur, & obedientia iniungitur, per quam nec dolo nec malitia cogitationibus mētis quis polluatur. Facit igitur, qui Religionem approbatam profitetur debite, se verissimum holocaustum Domino; quod sacrificium in veteri Testamento omnia excellebat sacrificia triplici de causa, vt tangitur Leuit. 6. Quia sine macula esse debuit, scilicet, non debile vel languidum, aut re immunda contractum, per quod contagium terrenæ substantiæ figuratur. Debuit esse masculus, nunquam femina: per quem carentia venereæ delectationis intelligitur. Et oportebat totaliter incendi Deo: per quod obedientia, quæ nihil sibi propriæ voluntatis retinet, innuitur. Dicitur enim holocaustum, sacrificium totaliter incensum ad honorem diuinum; ab ὅλον, quod est totum, & καύμα, quod est incendium. Per quod etiam assignabatur, quod anima offerentis debebat totaliter resolui seu referri in amorem diuinum, secundum illud Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua,* vt Nicolaus de Lira ad litteram exponit, Leuitic. 1. Per cor enim, voluntas; per animam, sensualitas; & per fortitudinem, executiua

*Holocaustū
omnia sacrificia
excellit.*

Leu. 6. 9.

Deut. 6. 5.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, vt Nicolaus de Lira ad litteram exponit, Leuitic. 1. Per cor enim, voluntas; per animam, sensualitas; & per fortitudinem, executiua

cutiua potentia exterior intelligitur. Quæ omnia tunc & perfectè diuinæ dilectioni exhibentur, quando voluntas, obedientiâ; anima sensitiua, castitate; & exterior valor, voluntaria paupertate decoratur. Exclama-
 uit hanc sententiam religiosissimus ille olim ^{Obedientia} ^{virtus.} Samuel 1. Reg. 15. contra Saulem, qui Deo non obedierat, in interficiendo & demoliendo ea quæ erant Amalech: *Numquid, ait, 1. Reg. 15. vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obediētia quàm victima; & auscultare magis, quàm offerre adipē arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Super quo Glossa dicit, & est B. Gregorij: *Melior est obedientia quàm* ^{Greg. 1. 35.} ^{Mor. c. 12.} *victimæ: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Tanto ergo quisque citius Deum placat; quanto repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat. Ariolandi verò peccatum, inobediētia dicitur: ut quanta sit virtus obedientiæ ex aduerso demonstratur. Si enim peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere; sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisque conuincitur. Vnde Salomon: *Vir obediens* ^{Pro. 21. 28.}*

loquetur victorias. Dum enim alienæ voci humiliter subdimur, nosiplos in corde superamus. Hoc profectò holocaustum summo cum desiderio flagitabat Apostolus à suis alumnis, cum, antequam diceret; *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri;* ita præmisit: *Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum.* tria Religionum substantialia aperte suis inesse desiderans, doni terreni collationem nobilem, cum dicit, *corpora vestra hostiam:* deinde carnis munditiam ad Deum relatam, cum addit, *sanctam, Deo placentem:* sanctum enim idem est, quod mundum: & obedientiam, cum concludit; *rationabile obsequium vestrum.* Vnde Isidorus super Leuit. i. super verbo, *Si holocaustum,* dicit: Sacrificium Deus exigit, vt nobis proficiat, non sibi. Vnde, *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum.* Placens est ergo sacrificium Deo, corporum nostrorum mortificatio, qua & à peccato abstinemus, & virtutes acquirimus. hoc alij plenissime, alij faciunt ex parte. Qui se omnino mortificant, & sæculo renuntiant, holocaustum sunt,

Isidor.

*Quinam
spirituale
holocaustū.*

fiunt, dum se totos per intelligibilem ignem Deo offerunt, non iam terreni, sed caelestes effecti.

CAPVT VIII.

Ostendit quintum fructum, qui est vita Christi conformatio, potissimè in duodecim qua Christus passus est pro nobis; qua Religiosus, imitando Christum, pati debet.

QVINTVS fructus est, vitæ Christi conformatio. Est enim Christi vita, integerrimum & indefectibile ac solum perfectum exemplar viuendi virtutum. De omnibus enim aliis dicitur in Psal. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum,* scilicet Christum. Et iterum: *Omnis homo mendax.* Et Ioannes in Canonica sua: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* A qua tamen sententia B. Augustinus *De nat. & grat. c. 36.* *Vita Christi in duobus potissimum consistit.* *Vita perfectio ex vita Christi.* *Ps. 115. 11.* *1. Ioan. 1. 8.* *Psal. 13. 3.* *Omnes peccant.*

vitam & mores Religiosorum ostendit in se & in suis discipulis, latè satis illud libro 2. c. 4. dictum est. Quòd autem quoad secundum, Religiosorum vita, si seruetur vt instituta est, maximè conformetur passioni Saluatoris, liquet ex duodecim per quæ in sua passione grauissimè passus est. Nam in agonia fuit contristatus, deinde captus sustinuit vincula, à cognatis & notis derelictus, variè coram iudicibus accusatus, irrisus à vanis multipliciter, flagellatus crudeliter, vilibus indutus vestibus duriter, sub cruce oneratus flebiliter, spoliatus rebus vniuersaliter, crucifixus per peccatores atrociter, & in pœnis perseueravit immobiliter, & tandem in alieno tumultu est positus. Sic nimirum verus Religiosus religiosam vitam aggrediens, in agonia nonnumquam ponitur per tentationes varias, præsertim antequam sæculum valeat relinquere. Vinculatur captus, quando membra Regulæ & cõstitutionibus subiicit. A notis derelinquitur, cum eis nihil vltra dare consuevit. Accusatur sæpè à confratribus in Capitulo & extra etiam proximis. Irridetur à vanis plerumque hominibus iusti simplicitas. Flagellatur crebrò per disciplinas varias. Vestibus induitur ad carnem non nisi laneis & vilibus. Sub cruce frequenter gemit pœnitentiæ. Rebus spoliatur

*Christus
12. supplicia
perculit
in sua pas-
sione.*

*Verus Reli-
giosus in a-
gonia poni-
tur, & si-
militudinè
Christi pas-
si gerit in
omnibus.*

liatur omnibus per paupertatis voluntariæ
commercium. Crucifigit carnem suam cum
vitiis & concupiscentiis. Perseuerat in tali-
bus constanter sub voto obedientiæ patris
spiritualis; sine cuius nutu de cruce non de-
scendit obedientiæ, quousque moriatur. Et
sic quodammodò latet in sepulchro septo-
rum ipsius monasterij, non inde exiens nisi
ad iussum paternum. Per quæ patet, quòd
viri Religiosi perfectissime Christi passio-
nem imitantur, satisfaciens B. Petri præ-
ceptis perfectissimè, quibus dicit: *Christus* 1. Pet. 2. 21
*passus est pro nobis, vobis relinquens exem-
plum, ut sequamini vestigia eius.*

Primò itaque Religionem aggrediens, Primò,
nonnumquam in agonia ponitur, in qua Religiosus
mundus cum Religione, caro cum anima, cōformatur
sensualitas cum ratione bellū mouere con- Christo in
suevit: opus est tunc cum Christo intensius agonia po-
orationi incumbere: quia de Christo dicitur sito.
Lucæ 22. *Factus in agonia, prolixius ora-* Luc. 22. 44
bat. In tali agonia B. Augustinus olim ante
baptismum extitit; qui cum Religioni ani- Lib. 8. con-
mum daret, vehementer dubitauit; & de fess. c. 8.
B. Antonij illitterati virtutibus audiens, ait:
Quid patimur? Surgunt indocti, & rapiunt
cælum: nos autem cum scientia nostra ad
inferna dimergimur. Fleuit itaque amarif-
simè sub arbore mortem fugiens: vbi au-

Rom 13.
v. 14.
B. Greg.
24. Moral.
cap. 17.

diuit, Tolle, tolle, lege. & aperto libro à casu, sui ex parte, sed diuino nutu Dei dono legit illud ad Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum, &c.* vt in eius traditur gestibus. Vnde Gregorius 24. Moral. exponens illud, *Factus in agonia prolixius orabat*, sic inquit: Appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur; cum per solutionem carnis, æterno iudicio propinquamus. Nec immeritò, quoniam anima post pusillum hoc inuenit, quod in æternum mutare non possit. Ita etiam cum Religionis ingressus cum affectu saltè professionis, sit mors quædam ciuilis, qua mundo quis moritur; non mirum, si agonia in tali surgit, qua caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

Secundò,
Religiosus
conforma-
tur Christo
patient.

Duplicia
vincula
quibus con-
stringitur
homo.

Secundò ligatur, & vinculis stringitur, qui Regulam & statuta profitetur. Sunt autem duplicia vincula: quædam peccatorum, quæ sunt fugienda; alia virtutum, quibus se pro posse ad Deo seruiendum quisque debet alligare. De primis dicit Psalmista, glorians: *Dirupisti vincula mea* (Glossa, peccatorum) *tibi sacrificabo hostiam laudis*. Ista vincula rumpuntur faciliter, cum quis in gratiarum actione se per Religionis ingressum Deo immolat. De quo apertè intelli-

telligi potest præfatus pænè totus Psalmus, *Credidi propter quod, &c.* præsertim à versu, *Quid retribuam Domino, pro omnibus* Psal. 115. 2
que retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, &c. *Vota mea Domino reddam*, per professionem scilicet, &c. Alia sunt virtutum vincula, quibus Deo astringimur, & ad mandata licita Religionum. Vnde Apostolus ad Coloss. 3. multis præannumeratis virtutibus concludit: *Super omnia autè hæc,* Colof. 3. 14
charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Glossa: Charitas enim homines alligat, ne abeant. Certum est autem, quòd omnia Religiosorum mandata pro fine charitatem habent, in qua omnimodè nostra consistit sapientia. Ideò Eccles. 6. dicit: *In* Eccli. 6. 27.
omni virtute tua, conserua vias sapientie. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi: & continens factus, ne derelinquas eam. In nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ.

Tertiò, Religiosus cum Christo à notis *Tertiò,*
 relinquitur, quando permittit mortuos se- *Religiosus*
 pelire suos mortuos, & mundum & orna- *ut Christus*
 tum eius arbitratur cum Apostolo, vt ster- *à notis re-*
 cora. Et nedum tales à mundanis, sed etiam *linquitur.*
 ple-

plerumque à bonis relinquuntur vtriusque
sexus hominibus. Sicut Christo iam capto,
omnes eius discipuli fugerunt, eò relicto; &
eodem in cruce immolato, dicitur Mat. 27.

Mat. 27. 55 *Erant autem ibi mulieres multe à longè,
que secuta erāt Iesum à Galilæa, ministran-
tes ei.* Per quæ datur intelligi, vt animæ quio-
res simus, si mundo renuntiantes, societate
priuamur notorum. *Non enim est seruus
maior Domino suo, nec discipulus super ma-*

Sen. De re-
med. for-
tutorum.

gistrum. Docet prætereà Seneca in De re-
mediis fortunæ, de perditione amicorum
non esse tristandum, quando meliores repe-
riri possunt, cum dicit: Amicum perdidisti; sed
multum erubescere, quod in tanta tempesta-
te ad vnā anchoram stabas. alium quære.
Etenim & ibi quæras, vbi inuenies. Quære
inter liberales artes, inter recta & honesta
officia: quære in laboribus. Ad mensam res
ista non quæritur. Est autem certum, quod
in Religione tales idonei reperiuntur multi
amici; ita vt ibi illud Christi Mar. 10. locum

Mar. 10 29 *habeat: Amen dico vobis, nemo est, qui
reliquerit domum, aut fratres, aut soro-
res, aut patrem, aut matrem, aut filios,
aut agros propter me & propter Euange-
lium, qui non accipiat centies tantum in
tempore hoc, domos, & fratres, & sorores,
& matres, & filios, & agros, cum persecu-
tio-*

tionibus, & in saeculo futuro vitam eternam.

Quartò, Religiosus accusatur propter Christum; nunc in Capitulo à Prælatiis, aut à fratribus, aut à seipso pro negligentiis, etiam minutis, prout Religionis mos est: nunc à secularibus viris, quòd Religionem intrando, stultè egerit: modò à falsis fratribus iniuste. Quo vitio nec Christi schola caruit.

Quartò,
Vt Christus
accusatur.

Pro bonorum itaque fratrum correctione, cum pro negligentis nos accusant, purgamur, illuminamur, & perficimur. Pesticente

Nota tres
fructus ex
correctione
nascentes.
Pio. 19. 25.

enim flagellato, stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Et: Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis, quam

Ibid. 28. 23

ille qui per linguæ blandimenta decipit. Pro malorum verò detractio, à Deo beatificamur, Christo attestante Matth. 5. Beati

Mat. 5. 11.

estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum, aduersum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Pro falsorum insuper fratrum accusatione, consolari debemus;

Quibus
assimiletur
qui accusantur ini-
què.

quia in hoc confortes fieri meremur Abel primi electi. De quo B. Gregorius ait: Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Ioseph innocentissimo tunc assimilamur, quem fratres sui ad mortem persecuti sunt:

B. Greg.
Hom. 38.
in Euang.

imò

imò tunc veri imitatores efficimur Christi, qui à suis contribulibus mortis dispendium falsò accusatus subiit.

Quintò,
Religiosus
à vanis ir-
ridetur.

Quintò, Religiosus à vanis sæpè irridetur hominibus. Quidam enim Religiosos despiciunt propter paupertatis vsum; alij eos contemnunt propter vilem habitum; alij eos non curant, quia magnorum beneficiorum, sicut sæculares clerici, non habent titulum; alij, eos pediculosos nominant; alij auram de serenitate in pluuiam esse commutandam, cum in publicum incedunt, derisorie clamitant. Ita enim, iuxta B. Iob vaticinium, in eis *deridetur iusti simplicitas*. Super quo B. Gregorius 10. Moral. inquit: Animus quippe viri iusti nonnumquã operi recto constanter innititur, & inde humanis irrisionibus vrgetur. Miranda agit, & opprobria recipit: quia ab huius mundi sapientibus, puritatis virtus fatuitas creditur. Sed quod abominantur Ægyptij, hoc Israëlita Deo offerunt: quia simplicitatem & mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi, fatuitatem putant. Hæc iusti simplicitas breuiter & sufficienter exprimitur, cum protinus subinfertur: *Lampas cõtempta apud cogitationes diuitum*. Quid in hoc loco signatur nomine diuitum, nisi elatio superborum? Qui cum vitam simplicium

B. Gregor.
10. Moral.
cap. 27. 28.
& 29.

cium in hoc mundo humilem abiectamque despiciunt, elati protinus despectis illudunt. Sed usquequò lampas ista conténitur? Nam cum lampas contempta apud cogitationes diuitum diceretur, protinus additur: *Parata ad tempus statutum*. Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est extremi iudicij prædestinatus dies, quo iustus quisque non despicitur, sed quanta potestate fulgeat, demonstratur.

Sextò, Religiosus cum Christo flagella sustinet: aliquando disciplinas recipiendo virgarum à Prælati; aliquando etiam sibi met talia inferens pro peccatis propriis & alienis. Hunc enim morem in Religionibus Sancti plurimum habuisse leguntur. Hinc B. Gallus Abbas in capsâ de corio cilicium & catenam tinctam sanguine, quæ eius corpus in quatuor partibus sulcauerat, vita functus, habuisse repertus est. Et B. Dominicus apud se occultaſſe legitur catenam ferream, qua in cuiuslibet noctis silentio tres disciplinas proprio intulit corpori: vnâ pro se, aliam pro animabus in purgatorio, & tertiam pro viuus peccatoribus. Tales disciplinas apud Religiosos consuetas, deuotus & litteratissimus Hugo de S. Victore, propter teneritudinem corporis, in vita aliquoties fugisse legitur; cum generaliter infere-

*Sextò,
Religiosus
cum Christo
flagellatur.*

*Sur. tom. 5.
16. Octob.
lib. 1. vitæ
cap. 31.*

Surius.

*Cantipra.
li. 2. apum,
cap. 16. p. 5*

- Hugo de S. Victore disciplinae Ordinis fugiens, à dæmonibus excipitur.* ferebantur conuentui. Vnde post mortem, quando statim ad cælum eius anima ascendere debuit, vix aliquem dæmoniorū (quorum caterua magna in via astitit) euadere potuit, qui ei alapam non infligeret. Disciplinarum etiam modum iniungi & commendari frequenter in sacra Scriptura reperimus. Vnde Salomon: *Flagellum equo, & camus asino; & virga in dorso imprudentium.* Cuius pater in Psalmo 37. pœnitentialem ait: *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Et iterum ad Deum dicit: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Prou. 22. *Stultitia enim colligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam.* Et ibidem 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Idem Apostolus seruauit, qui ait: *1. Cor. 9. 27 Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis predicauero, ipse reprobus efficiar.* Et: *Heb. 12. 7. Quis filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis.*

Septimò, Religiosus cum Christo vestitus vilis.

Septimò, Religiosus vestibus induitur ad carnem laneis pro Christo, qui pannis vilibus in infantia tectus est, & in passione alba veste:

veste: deinde purpura, ac demum propriis indutus est, vt sermo refert Euangelicus: imò postremò aliena sindone obuolutus, sepulture est traditus. Quòd autem vestimen-

vestitus virorum sanctorum qualis.

Mat. 3. 4.

ta virorũ sanctorum & Christi fuerint aspectus, de quo Matth. 3. dicitur: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Vbi Hieronymus: De pilis enim habe-

Hieron. in cap. 3. Mat. tom. 9.

bat vestimentum, non de lana: aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ mollioris. Et ibidem Chrysostomus: Seruis Dei non conuenit habere vestimentum ad speciem visionis, vel ad carnis delectamentum;

Chryl. homil. 3. Op. imp. tom. 2.

sed tantum ad tegumentum nuditatis. Sic de antiquis sanctis Prophetis ad Heb 11. dicitur: *Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.* De Christi autem

Heb. 11. 37

vestibus, dicit Chrysostom. super Ioan. 19. *Erat autem tunica incõsutilis, desuper con-*

Hom. 84. tom. 3.

textata per totum. Ipsam speciem tunicæ Euangelista historicè designat: quia enim in Palæstina duos pannos connectentes subtexunt indumenta, ostendit Ioannes, quòd talis erat tunica Iesu, occultè vilitatem vestimentorum insinuans.

8. Religiosus fert crucem pœnitentis

Octauò, Religiosus etiam crucem portat

Y

pœni-

pœnitentiæ cum Iesu, & Simone, qui inter-
 preatur obediens. Vnde super Matth. 27.
Angariauerunt Simonem, ut tolleret cru-
 Hier. to. 9. *cem eius*, dicit Hieronymus: Egrediens de
 prætorio Iesus, ipse portauit crucem suam:
 postea obuiam habuerunt Simonem, cui
 portandam crucem imposuerunt. Mysticè
 enim crucem suscipiunt nationes, & pere-
 Lib. 6. to. 5. grinus obediens portat ignominiam Salua-
 toris. Et Beda super Lucam 23. dicit: De vil-
 la autem Simon egrediens, portat crucem
 post Iesum; cum populus nationum, paga-
 nis ritibus derelictis, vestigia Dominicę pas-
 sionis obedienter amplectitur. Et Theophy-
 In cap. 23. lactus; Ille tollit crucem Iesu Christi, qui
 Luc. venit de villa, id est, qui dimittit hunc mun-
Quis fert
crucem
cum Iesu.
 antea, quando Lucæ 9. ad omnes inquit:
 Luc. 9. 23. *Si quis vult post me venire, abneget semet-*
ipsum, & tollat crucem suam quotidie, &
 Ibid. 14. 27 *sequatur me.* Et ibidem 14. *Qui non bai-*
lat crucem suam, & venit post me, non potest
meus esse discipulus. De hac cruce dicit
 Bernardus. Bernardus. mini: Graue iugum super filios Adam: si
 essem filius noui Adam, leue iugum porta-
 rem. Quid est onus graue? Talentum plum-
 bi. Et quid est onus leue? Crux Christi.
 Mira res. Nihil formidolosius hominibus,
 quàm

quàm crucem pati : quia latrones sunt. Nū-
quid Christus crucem timuit ? numquid
Petrus ? numquid Andreas ? Qui crucem ti-
met, ipse sibi testis est, quòd adhuc latro est.

Nondò, cum Rege nostro Religiosus ex-
spoliari debet rebus omnibus per pauper-
tatem voluntariam. Vnde Ambrosius* : Re-
fert considerare, qualis crucem ascendat.
Nudum video. Talis ergo ascendat, qui sã-
culum vincere parat, vt sæculi indumenta
non quærat. Victus est Adam, qui vestimen-
ta quæsiuit ; vicit ille, qui tegumenta depo-
suit : & talis ascendit, quales nos auctore Deo
natura formavit. Talis in paradiso homo
primus habitauerat : talis in paradysum ho-
mo secundus intrauit. Cùm enim Christus
crucem ascendere voluit, antè resignavit,
pauperculis quibus vsus fuerat vestimentis,
& in cruce omnia. Vnde Ambrosius in quo-
dam Sermone : Auctor pietatis in cruce pen-
dens testamentum condidit, singulis pieta-
tis opera distribuens ; Apostolis persecutio-
nem, Iudæis corpus, Patri spiritum, Virgini
paranymphum, latroni paradysum, pec-
catori infernum, Christianis pœnitentibus
crucem.

Decimò, debet crucifigi totaliter, ita vt
anima, sensualitas, & corporei gestus, crucis
vestigia ostendant. Quæ tria ostendit & iu-
bet

Nondò,
Religiosus
cũ Christo
exspoliari
debet rebus
omnibus
per pauper-
tatem.
* Lib. 10.
in Luc.

Testamen-
tum Iesu in
cruce con-
ditum.

Decimò,
Debet tota-
liter cru-
cifigi.

Gal. 5. 24.

bet Gal. 5. Apostolus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Ecce sensualitatis crucifixio. Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus.* Ecce animæ per vitam Christi imitatio. *Non efficiamur inanis gloria cupidi: quod fieri consuevit in exterioribus apparentiis. Ecce mortificatio gestuum.* Et ibidem: *Christo confixus sum cruci. Vno autem iam non ego, vivit verò in me Christus.* Hæc Apostolus ibidem servasse se asserit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Vnde Glossa: Non sine causa utrumque dixit, scilicet sibi mundum crucifixum, & se mundo. Plerumque enim contingit, ut homo mundum non teneat, sed tamen eum mundus in suis occupationibus astringit. Tunc mortuus est homo mundo, & mundus eum quasi vivus concupiscit, dum alio intentu in suis actibus rapere contendit. Sed nec Paulus mundum concupiscit, nec mundus eum; ut in duobus mortuis neuter neutrum videat. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebat; ideò & se mundo, & sibi mundum esse crucifixum, gloriatur. Propriè autem Religiosus, cum Christo, per obedientiæ votum crucifigitur.

Vnde

cap. 2.

cap. 6.

Vnde ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum*, Phil. 2. 8.

factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Animæ enim manus dextera,

Quæ dextera & sinistra anima crucifigenda.

est potestas faciendi quod placet: sinistra, potestas dimittendi quod displicet. Pes dexter, sensus proprius: sinister, propria voluntas. Quæ omnia cõfiguntur clauis obedi-

tia. Vnde anima dicit: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Constat

Cant. 7. 8.

autem crucem de palma fuisse factam pro parte. Taliter crucifixus verè dicere poterit

R. P. Alfonso Ciaconus lib. de cruce, c. 30. multis confirmat crucem fuisse quernæam.

cum Apostolo: ** Sciens, quia vetus homo non ster simul crucifixus est, ut destruaturs corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato.*

* Rom. 6. 6.

Vndecimò, Religiosus cum Christo perseuerare debet in pœnitentiæ cruce, per obedi-

Vndecimò, Cum Christo perseuerandum in cruce.

entia votum, nec ad cuiuscumque suatum ab hoc resilire proposito. Nam sic Christo

in cruce suspenso dæmon per Iudæos consulebat ut descenderet de cruce: *Descendat,*

inquiunt, de cruce, & credimus ei. Vbi Chrysostomus: Considera nunc vocem filiorum

Chrysost. serm. 3. de pass. Dom.

diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus dicebat: *Si Filius Dei es,*

mitte te deorsum. Iudæi dicunt, *Si filius Dei es, descende de cruce.* Et Rabanus ibidem:

Raban. super Si Filius Dei est.

Si autem tunc de cruce descenderet, insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ

non demonstraret. Sed expectauit paululum,

lùm, & irrisionem sustinuit; & qui de cruce
furgere noluit, de sepulchro surrexit. Perse-
ueranter ergo in cruce Religionis, per man-
datorum clauos confixi, manere debemus:

Lib. 1. Mo-
ral. c. 40.

Quia, vt Gregorius dicit 1. Mor. incassum
bonum agitur, si ante vitæ terminum dese-
ratur: quia & frustra velociter currit, qui
priusquam ad metas venerit, deficit. Et Ber-

Bern. epist.
129. ad Ia-
nuenses.

nardus in quadam Epistola: Absque perse-
uerantia, nec qui pugnat, victoriam; nec pal-
mam victor consequitur. Nutrix est ad me-
ritum, mediatrix ad præmium, soror patien-
tiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitia-
rum nodus, vnanimitatis vinculum, sancti-
tatis propugnaculum. Tolle perseuerantiam,
nec obsequium mercedem habebit, nec be-
neficium gratiam, nec laudem fortitudo.
Sola est, cui æternitas redditur, vel potius
quæ æternitati hominem reddit, dicente

Mat. 10. 22

Domino: *Qui perseuerauerit vsque in fi-
nem, hic saluus erit.*

Duodecimò,
cum Christo
sepeliatur.

Duodecimò ergo in sepulchro claustra-
lis habitaculi cum Christo sepeliatur Reli-
giosus, nisi euocatus à Patre, inde surgat, in-
terim in pace in idipsum dormiat, & re-
quiescat, & in pace sit locus eius. Vnde Be-
da super illud Lucæ 23. *Et posuit Ioseph
Iesum in monumento:* Post mortem quidem
corpora in tumulis, animæ verò cum Do-
mino

mino requiescunt. Usque nunc etiam mulieres sanctæ, & animæ humiles, dilectione feruentes, passioni Christi diligenter obsequuntur; & si fortè valeant imitari sedula curiositate, quo ordine sit eadē passio completa, perpendunt. Qua lecta, audita, recordata, mox ad paranda se opera virtutum, quibus Christus delectatur, conuertunt: ut finita presentis vitæ parasceue, in requie beata expectent tempore resurrectionis occurrere Christo cum aromatibus spiritualium actionum. Ad baptizatos igitur Religiosos baptismo sacrę Religionis dirigi possunt verba ista Pauli: *An ignoratis, fratres, quia Rom. 6. 3. quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

CAPVT IX.

Manifestat sextum fructum, qui est plena remissio peccati, & à purgatorio pro tunc absolutio, si ita decederet. Et ostenditur, quomodo Religiosus moriatur mundo.

SEXTVS fructus Religionis, est plena peccati remissio, absolutio videlicet ab omni pœna peccatis debita, si præit vera contri-

tio, & quodammodò baptismalis innocen-
 tiæ restitutio. Patet hoc auctoritate & ratio-
 nibus. Auctoritate, quia in vitis Patrum le-
 gitur, & allegat S. Thomas 2. 2. q. 189. ar. 3.
 quòd eandem gratiam consequuntur Re-
 ligionem ingredientes, quam consequuntur
 baptizati. Vnde & idem allegat 4. dist. 4.
 q. 3. ar. 3 q. 3. In vitis Patrum dicitur, quòd
 quidam Patrum vidit eandem gratiam de-
 scendentem super eum qui habitum Religio-
 nis assumit, & super eum qui baptizatur. Gra-
 tia autem Dei in baptismo non requirit ge-
 mitum & planctum, sed gratis omnia con-
 donat secundum Ambrosium. Idem patet
 per aliam visionem B. Antonij, qui cum ab
 Angelis leuaretur in cælum, obstitit diabo-
 lus, obiiciens peccata sæculi. Cui dictum est
 ab Angelo: Dimissa sunt ei, ex quo sæculum
 dimisit: sed si alia habet, illa proponas. Quæ
 cum non haberet Antonius, liber in cælum
 leuatur, & liberiùs deponitur. Idem patet
 in Authentica de monachis, vbi dicitur,
 quòd ingressus monasterij omnem macu-
 lam abstergit. Nam Collatione i. sic habent
 verba Iustiniani Imperatoris: Conuersatio-
 nis monachalis vita sic est honesta, sic com-
 mendare nouit Deo ad hanc venientem ho-
 minem, vt omnem humanam quidem eius
 maculam detergat, purum autem declaret,

*Remissionè
 peccatorum
 dari in in-
 gressu Reli-
 gionis pro-
 bat ratio-
 nibus & au-
 thoritate.*

*Amb. in il-
 lud. 11. ad
 Rom. Sine
 pœnit. sunt
 dona, &c.
 tom. 5.*

ac rationabili natura decentem, & plurima
 secundum mentem operantem, & humanis
 cogitationibus celsiorem. Bernardus in li-
 bro suo De præcepto & dispensat. Audire
 & hoc vultis à me, vnde inter cetera pœni-
 tentiæ instituta, Monasterialis disciplina me-
 ruit hanc prærogatiuam, vt secundum ba-
 ptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam
 mundi abrenuntiationem, ac singularem
 excellentiam vitæ spiritualis, qua præemi-
 nens vniuersis vitæ humanæ generibus hu-
 iusmodi conuersatio, professores & amato-
 res suos Angelis similes, dissimiles homini-
 bus facit; imò diuinam in homine refor-
 mat imaginem, configurans nos Christo,
 instar baptismi. Et quasi denique secundo
 baptizamur, dum per id, quòd mortifica-
 mus membra nostra, quæ sunt super terram,
 rursus Christum induimus, complantati
 denuò similitudini mortis eius. Sed & quo-
 modo in baptismo eruimur de potestate te-
 nebrarum, & in regnum transferimur cla-
 ritatis aternæ; ita & in sancti huius secunda
 quadam regeneratione propositi, de tene-
 bris æquè non vnius originalis, sed multo-
 rum actualium criminum & delictorum e-
 uadimus, lumen virtutum acquirimus, re-
 aptantes nobis illud Apostoli: *Nox præces-
 sit, dies autem appropinquauit, &c.* Hæc

B. Bern. de
 præcept. &
 dispensat. 4

4.d. 4. q. 3. Bernardus. Ad idem est S. Thomas in 4.
 art. 3. q. 3. vbi suprà, ita dicens, quòd Religionis habi-
 tum assumens, eo ipso quòd suam volunta-
 tem in seruitutem redigit propter Deum,
 plenariè iam pro omni peccato satisfecit,
 quam cariorem habet omnibus rebus mun-
 di. De quibus tatum possit dare, quòd ele-
 mosynis omnia peccata redimeret, etiam
 quantum ad pœnam. Et in Summa vbi su-
 præ art. 3. ad 3. idem sic clariùs exprimit:

2. 2. q. 189. art. 3. ad 3. Rationabiliter dici potest, quòd etiam per
 ingressum Religionis aliquis consequatur
 remissionem omnium peccatorum. Si enim
 aliquibus elemosynis factis, homo potest
 satisfacere de peccatis suis, secundum illud
 Danielis 4. *Peccata tua elemosynis redime:*
 multo magis in satisfactione pro omnibus
 peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter di-
 uinis obsequiis mancipet per Religionis in-
 gressum: quæ excedit omne genus satisfa-
 ctionis, etiam publicæ pœnitentiæ: vt ha-
 betur in Decretis 23. qu. 2. cap. Admonere.
 Sicut etiam holocaustum excedit sacrifi-
 cium: vt Gregorius dicit super Ezechielem.

Hom. 20. à
 medio.

Cum dictis concordat Bernardus Clare-
 montensis Quodlib. 8. q. 17. per septem ra-
 tiones propositum probans sic: Religiosus,
 inquit, ex hoc ipso, quòd profitetur, & ob-
 ligat se ad opera pœnitentiæ in suo aeterno,
 quia

quia vsque ad mortem, consequitur remissionem omnis pœnæ. Probat primò, sicut S. Thomas, quia tantum possit homo dare de temporalibus pro eleemosyna, quòd omnia peccata sua redimeret à pœna. Dicitur enim Danielis 4. *Eleemosynis peccata tua redime.* Sed Religiosus voluntatè suam dat in seruitutem homini propter Deum, quam tamen cariorem habet, & habere debet, quàm omnes res mundi. Ergo per hoc quòd voluntatem suam sic abnegat, & homini subiicit propter Deum, plus redimit peccata sua apud Deum, quàm si omnia bona temporalia daret propter Deum.

Secundò, quantumcumque sit homo peccator magnus, cum pœnitentia tamen potest tantam pœnam in mundo sustinere, quòd dimittitur ei pœna tota, ad quam est obligatus. Sed Religiosus in professione obligat se ad magnam & perfectam satisfactionem, quia ad opera pœnalia secundum omnes partes satisfactionis; quia ad orationem, ieiunium, & eleemosynam. Nam in ipso ingressu Religionis non solum dimittit partem temporalium, sed totum: quia amplius non licet ei habere proprium. Ergo Religiosus in professione consequitur remissionem pœnæ, ad quam obligatus est.

Tertiò, sustinere mortem, facit plenam remissionem.

*Probatur
remissio pec-
catorum in
ingressu Re-
ligionis, ra-
tionibus.
1. Ratio
Dan. 4. 24.*

2. Ratio.

3. Ratio.

Sur. 10. Ianna. in act. S. Sebast.

remissionem pœnæ: quia Martyres statim euolant. Hoc autem nō facit acerbitas pœnæ: quia aliqui Martyres non senserunt acerbicatem: imò cū ambulabant super prunas, videbantur eis prunæ rosei contactus, vt B. Tiburtius ait de se. Ergo cū hoc non sit propter acerbicatem pœnæ, est propter hoc quòd Martyr vitam mundanā contemnit & amittit propter amorē diuinum. Sed hoc facit Religiosus, qui licet vitam naturalem retineat, vitam tamen mundanam propter Deum dimittit, & ad martirium perpetuum vsq; ad mortem se obligat: quia ad opera pœnalia secundū instituta suæ Religionis, in qua sic moritur, & in qua sic ad perpetuum martirium obligatur, dimittitur ei tota pœna, ad quam obligatus est.

4. Ratio.

Quartò, nullus dubitat, quin homo possit tantam sustinere pœnam, ad quam est obligatus, supposita pœnitentia & interiori deuotione: sed inter omnes pœnas maxima reputatur seruitus, quam etiam Iuristę mortem appellant. In Religione autem maxima seruitus est, quantum ad omnia opera seruitia: imò quantum etiam ad exteriora, quia tenetur obligatus in omnibus, quæ Prælatus præcipiet secundū suæ Religionis instituta, quæ etiam corporaliter operatur, non sui gratia, sed communitatis, vel sicut Præla-

tus

tus disposuerit. Ergo voluntariè se tantæ seruituti subiicere, facit plenam remissionem pœnæ.

Quintò, conuersioni ad creaturam, & ^{Ratio.} delectationi correspondet pœna sensus; & complacentiæ volûtatis, sicut auersioni, correspondet pœna damni. Sed tanta potest esse displicentia habitualis in voluntate, quòd remittatur tota pœna, etiam sine exteriori pœna aliqua. Non autem videtur, quòd aliquis possit sic habere maiorem displicentiam habitualement in voluntate, quàm propriam voluntatem dimittere propter Deum: quia hoc est abnegare seipsum, & dimittere omnes complacentias voluntatis, quas homo possit habere, si suæ voluntatis existens remaneret. Dimittit autem eas Religiosus, cùm ponit voluntatem suam in voluntate alterius; qui frequenter iubebit, quod placeret Religiosis dimittere, & quod displiceret facere: quia professio Religionis de sui natura habet, vt cùm voluerit dormire, iniungatur vigilia; cùm voluerit comedere, imperant instituta aut Prælatus ieiunare, &c. Ergo de sui natura habet, quòd quicumque eam ritè profiteretur, plenam remissionem culpæ consequatur.

Sextò, secundùm Iuristas, quantumcum- ^{6. Ratio.} que sit quis debitis obligatus, si cedit bonis,
non

non compellitur soluere, nisi ad pinguiorem fortunam pertingat. Sed Religiosus cedit bonis omnibus temporalibus, quando proficitur in Religione: imò etiam quod plus est, proprio corpori, quod ponit in voluntate Prælati illius Religionis, in qua iam est professus: imò quod maximum est, propriæ cedit voluntati. Nec ad pinguiorem fortunam siue virtutem potest peruenire, quia vsque ad mortem durat cessio ista. Ergo Deus, qui est misericordior quocumque alio iudice, propter quem Religiosus istam cessionem facit, debet ei debitum pœnæ dimittere.

7. Ratio.

Septimò, obligatio perpetua ad Religionem, est perpetua obligatio ad pœnitentiã. Vnde pœnitentiã Religionis videtur perfecta esse, quia voluntaria, & quia perseverans vsque ad mortem. Vnde cum homo talem pœnitentiã vult facere propter Deum, baptizatur baptismo pœnitentiæ, qui reducit ad baptisma flaminis, quia à Spiritu sancto est, totum tempus vitæ suæ ad faciendam pœnitentiã eligere. Et licet non quilibet baptismus pœnitentiæ mereatur plenam remissionem pœnæ, iste tamen baptismus pœnitentiæ, quo homo sic obligat se ad pœnitentiã in suo æterno, meretur remissionem plenam pœnæ. Vnde liberatur à
futu-

futura miseria, qui ad tantam pœnam se obligat in præfenti. Ex quibus infert idem Doctor, quòd quantum ad consecutionem plene remissionis, negotium crucis non præfertur Religioni. Nec solùm putandum est meritum passionis Christi valere in negotio crucis: imò valet in omni pœnali opere, quod propter amorem Christi sustinetur: imò & in omni opere meritorio, quia passio sua virtutem satisfaciendi & merendi omnibus satisfactionibus & meritis dedit. Unde Religiosus habet illà indulgentiam non solùm ex merito proprio, sed etiam ex merito Christi. Hæc de Claremontensi. Concordat cum his Petrus de Palude in 4. d. 38. licet prius in eodem scripto supra dist. 4. q. 3. inuestigando materiam, aliquam distinctionem dederit. Sed in distinct. 38. simpliciter dicit, quòd ingressus Religionis, coram Deo ab omni pœna liberet.

CAPVT X.

Deducit septimum fructum, qui est philosophia supremæ professio. Et ostenditur quòd Religio sit vera philosophia.

SEPTIMVS fructus Religionis reformatæ est philosophiæ supremæ professio. Dicitur enim philosophia, vt eadem studentibus

*Quid phi-
losophia, &
unde dicta.*

Sen. ep. 89.

*De consol.
philos. li. 1.
prof. 1.*

bus est notissimum, à φίλος Græcè, quod est amor Latinè, & à σοφία, quod est sapientia, quasi amor sapientiæ. Potest enim sapientia vera, sine scientia haberi artium liberalium, teste Seneca dicente: Temperantia scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas, sumere: potest sine liberalibus studiis veniri ad sapientiam. Quamcumque partem rerum humanarum diuinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum fatigaberis. Hæc tam multa, tam magna, ut habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Laxum spatium res magna desiderat, totum pectus illi vacet. Plus scire velle quam satis est, intemperantiæ genus est. Quid, quod ista liberalium artium confectatio molestos, verbosos, intemptuos facit, & non ideò discentes necessaria, quia superuacua didicerunt? Quatuor millia librorum Didymus grammaticus scripsit: miser, si tam multa superuacua legisset. Et Boëtius, loquens de sæcularium philosophia, dicit: Studia Philosophorum, infructuosus affectuum spinis, vberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt, morbo, non liberant, quæ dolores eius nullis fouent remediis, sed dulcibus insuper alunt venenis, Sirenes vsque ad

ad exitium dulces. Posuerunt ergo tam gentiles Philosophi, quàm nostri Theologi, veram philosophiam consistere in diligendo Deum, in acquisitione virtutum, & in meditatione imminentis mortis. Et de tali philosophia verè illud dictum Senecæ locum habet: In obsessa via pauperi pax est, &c. Sen. ep. 14.

Numquam in tantum conualescet nequitia: numquam sic contra virtutes coniurabitur, vt non philosophiæ nomen venerabile & sacrum maneat. Sapiencia igitur suprema, est Dei Filius, eo teste, qui eandem, in cælum raptus, studuit. *Nos, inquit, prædicamus Christum, Dei virtutem & Dei sapien-* 1. Cor. 1. v. 24.

tiam. Hanc amare & eius amori insistere, suprema est sapiencia. Et ad hoc Religio principalissimè omnis ordinata est, tâquam ad potentissimum finem, vt patuit lib. 2. c. 3.

Afferit hoc Augustinus ita in Epistola ad Volusianum prope finem: *Diliges, ait, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut te ipsum.* Epist. 3. tom. 2. Mat. 22.

Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diligantur, hoc est Deus &

Z

proxi-

proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non nisi Deus est. hic etiam laudabilis Reipub. salus, &c. Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem Prophetasque pendere, vlllo modo sunt comparandæ? Non magnopere igitur est curandum de inanis philosophiæ verbis, his, qui ad veram vocati sunt sapientiam. Vnde Ambrosius in Epist. ad Coloss. Ideò, inquit, non legimus quadriuium in Euangelio vel in Epistola, quia curam animæ impedit: cum in agnitione Christi, omnem salutem & sapientiam habeamus. His concordant Philosophorum gentilium dicta. Vnde Hermes Trismegistus, aliàs Mercurius dictus, lib. ad Asclepiadem, sic inquit: Deus te nobis, ô Asclepi, vt diuino sermoni interesses, adduxit: quem si intelligens videris, eris omnium bonorum tota mente plenissimus, si tamen multa sint bona, & non vnum, in quo omnia: alterum enim alterius consentaneum esse dignoscitur. Philosophia sola est in cognoscenda diuinitate frequens obtutus, & sancta Religio. Simplici enim mente diuinitatem colere, eiusque facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est sola bonitas plenissi-

Trism. ad
Ascl.

nissima, hæc est nulla animi importuna curiositate violata philosophia. Et post pauca: Hæ sunt enim summæ intētionēs Dei, cū gratiæ aguntur à mortalibus: hominum adorationibus & laudibus & obsequiis cælum cælestesque delectantur. Hinc Tullius De natura Deorum: Religio est, per quam reuerenti famulatu cærimonix diuini cultus exercentur. Luce verò clarius est, in omni regulata Religione creberrimum esse, Deum colere, ei gratias agere, adorare, eiusque agnitioni insistere. Quòd etiam in virtutum acquisitione, vera philosophia consistat, affirmat Hieronymus in lib. i. contra Pelagianos: Hæc est hominis, inquit, vera sapientia, imperfectum esse se nosse: atque, vt ita loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est. Qui habet vnā virtutem, habet omnes participatione quidem, non proprietate. Necessè est enim, vt singuli in quibusdam excellant. Et Augustinus in libro De libero arbitrio: Non aliam putes esse sapientiam, nisi virtutem, in qua cernitur & tenetur summum bonum. Nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet cernentes in se; omnes in melius commutat, à nullo in deterius commutatur: nullus de illa iudicat. Est autem, vt tota Theologorum turma tradit, Religio, status

Quid Religio secundum Ciceronem.

*Cur Religio-
forum
habitus à
facularium
distinctus*

*In Reg. ful.
disp. cap. 22*

*Philosophia
consistit in
meditatio-
ne mortis.*

*Hieron. ad
Princ. circa
med.*

perfectionis, seu virtutis acquirendæ, non autem est status perfectionis exercendæ. Vnde ipse Religiosorum habitus, ideò à sæcularibus vestibus debet esse distinctus, quatenus Religionem ipsam professo pædagogus philosophiam discèdi & tuendi existat. Tradit illud B. Basilius sic in sua Regula: Velut, inquam, quidam pædagogus est infirmis habitus ipse Religionis, vt etiam inuitos eos ab opere inhonesto indecentique custodiat. Non enim similiter turpe est in quolibet alio, si inhonestè quid agat; sicut in his, qui vitã sobriam etiam ipso habitu profitentur.

Prætereà tertio, si Philosophorum dictis credere placet, philosophiam reperimus eos posuisse in meditatione mortis. Vnde Plato in suis sententiis ait: Mors philosophantibus appetenda est; ipsaque philosophia est meditatio moriendi. Totius Philosophiæ robur, est patientia. Testatur idem B. Hieronymus in Epistola ad Principiam virginem, de vita & obitu S. Marcellæ. In cuius præconium dicit: Hæc annis plurimis sic suam transegit ætatem, vt antè se vetulam cerne- ret, quàm adolescentulam fuisse meminisset: laudans illud Platicum: Philosophia est meditatio mortis. Tota autem Religio- forum vita, præparatio quædam esse debet moriendi.

CAPVT XI.

Ostendit octauum fructum, qui est spiritus ad Deum facilior erectio à mundo vano: qui assimilatur visco, Aegypto, puteo fœtenti, & obsessæ ciuitati.

OCTAVVS fructus est, spiritus ad Deum facilior erectio. Est enim, vt Cassianus Cass. Col-
lat. 9. cap. 4 dicit in Collat. Patrum, anima plumæ simili-
lis leuissimæ; quæ si terreno grauat^{re} pulue- Anima plu-
ma similis.
re, ad ima mergitur: si verò absoluta fuerit, ab alieno onere, suæ relicta conditioni, sursum tendit naturaliter. Cùm autem quis Religionem reformatam ingreditur, tria à se grauissima abiicit pōdera, per tria vota principalia; diuitias, delitias, & voluntatis peruersæ concupiscentias: quibus mundus plenus existens, omnes penè suos incolas ad bathrum solet mergere. Sunt autem hæc tria manentibus in sæculo, visco aucupum infernalium similia, quo canoras, altiuolas, & seculum
visco com-
paratur. liberrimas animarum auiculas capiunt, cùm eis insidēt. Econtrà verò in Religione, iuxta verbū Dauidicum, est mons Selmon, quod interpretatur virtutis obumbraculum. Est Ps. 67. 16.
mons Dei, mons pinguis. Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Vbi fiunt penna columbæ de argentea, & posteriora

dorsi eius in pallore auri, dum discernit ibi
 caelestes Reges super eam. Hinc est, quòd
 sacrarum expositores Scripturarũ mundum,
 qui spiritum ad inferiora dirigit, tribus assi-
 milant: terræ Ægyptiæ, fluuiio foetenti, &
 obsessæ ciuitati. Ægyptus enim per Pharaon-
 nis tyrannidem, Israëlitas captiuos detinuit.
 Foetens fluuius, se potâtes inficit. Obsidium
 verò ciuitatis, libertatem ciuium impedit.
 E diuersò autem Religio assimilatur deserto
 fructifero, claustro pulcherrimo, & habita-
 culo philosophico. Primum deducit B. Au-
 gustinus libro De tribus locis: Tria, inquit,
 sunt loca, Ægyptus, desertum, & terra pro-
 missionis. In Ægypto sumus serui & miseri:
 in deserto sumus miseri & liberi: in terra
 promissionis liberi & beati. In Ægypto satu-
 ramur & cædimur: in deserto esurimus, non
 tamen flagellamur: in terra promissionis
 non flagellamur, & saturamur. Sed nobilis
 interim animus eligit magis inopiam cum
 libertate, quàm in seruitute abundantiam.
 In Ægypto peccamus, in deserto labora-
 mus, in terra promissionis requiescimus. In
 principio mundi creauit Deus primò confu-
 sionem; postea operatus est dispositionem:
 deinde suscepit requietionem. In vita sæcu-
 lari confusio est, in conuersatione spirituali
 exercitatio, in vita cælesti requietio. Sicut
 &

*Mundus
 cur Ægy-
 ptus dica-
 tur.*

& populus antiquus in Ægypto operatus est iniquitatem, in deserto accepit exercitationem, in terra promissionis inuenit requiem. In carne peccatum, in spiritu exercitatio, in Deo sabbatum. Ægyptus Iericho, desertum Zabulon, terra promissionis Ierusalem. In Ægypto seruiuimus Pharaoni, id est, diabolo, qui interpretatur Negans eum, scilicet Deum; quia dixit, *Deum non cognoui, & Israël non dimittam*. Huic seruiamus in Ægypto, in luto & palea. Lutum est concupiscentia carnis, palea est pompa sæcularis. Illa per munditiam inquinat: hæc per mutabilitatem & instabilitatem transuolat. Propterea exeuntes ab Ægypto, & per mare rubrum baptismi, sanguine Christi rubricatum, ad libertatem transituri, abdicamus seruitium Pharaonis, abrenuntiantes diabolo & operibus eius: in luto operibus, in palea pompis. Exeuntes itaque ab Ægypto in desertum, relinquimus mala, ut non consentiamus. Exeuntes à deserto in terram promissionis, euadimus mala, ut non sentiamus. In Ægypto est pugna sine victoria, vel seruitus sine pugna: in deserto est pugna cum victoria, siue victoria cum pugna: in terra promissionis, est victoria sine pugna. In Ægypto sunt delectationes malæ, & multæ: in deserto sunt delectationes bonæ & paucae, non ta-

Lutum & palea Ægypti.

Quid in Ægypto, quid in deserto.

*Religio cur
desertum
dicatur.
Psal. 54. 8.*

men solæ: in terra promissionis, sunt delectationes multæ bonæ, & solæ. Hæc Augustinus. Aptè itaque Religionis ingressus deserto comparatur, secundum illud Psalmistæ: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Deserto, inquam, comparatur, quia in paucis inhabitatur: quia ibi flores scientiarum bonarum facilius reperiuntur: quia ibi radices virtutum efficaciores acquiruntur, quia ibi fructus spiritualium consolationum amplius percipiuntur, & quia ibi Deo quietius à sæcularium tumultu deseruitur. Unde Mar. 6. 31. Christus ait discipulis: *Venite seorsum in desertum locū, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi.*

*Mundus
fluvio fœ-
renti assi-
milatur.*

*Ansel. De
simil. c. 185
Visio Ada-
mi.*

Secundò, mundus fluvio fœrenti, sed Religio clauastro assimilatur pulcherrimo. Docet hoc B. Anselmus lib. De similitudinibus, visiones S. Patris Adam recitando: *Vidit, inquit, vt asserere solebat Adam in infirmitate positus, & in ecstasi, fluvium vnum rapidum atque præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumcumque terrestrium rerum lauaturæ. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbida, & immunda, & omnium spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se quid-*
quid

quid attingere poterat, & deuoluebat tam viros quàm mulieres infra se, diuites & inopes simul. Fœda quidem erat aqua; ex ea tamen viuebant, & delectabantur in illa, vt ille assererat, qui eum ducebat. Illo verò ab ipso inquirente, quisnam torrens ille esset, vel quid multitudo in eo volutans prætenderet, adiecit ille prædux Patris nostri, atque ait: Ne mireris. Torrens mundum significat, quo rapiuntur, in cuius illecebrosis spurcitiis inuoluuntur omnes ipsum amantes. Ex his dictis, inquit, vis ne videre, quid sit ^{cap. 186.} Monachus verus? ad hoc alter: Volo. Duxit itaq; illum, quasi in conspectu cuiusdam magni claustrum, & admodum spatiosi, & speciosi, & ait: Circumspice. Aspexit & ille. Et ecce parietes claustrum illius obducti erant argento purissimo. Herba quoque virens in medio erat, & vltra humanam opinionem delectabilis. Hæc more alterius herbarum, sub his qui in ea pausabant, leniter flectebatur; & surgentibus illis, ipsa quoque surgebat. Vt quid immoror? Quidquid est iucunditatis, ibi erat. Cum ergo hoc perpetuò habitandum elegisset Adam, ductor eius se ei spondit veram ostensurum patientiam. Sed quia, vt assolet, interim euigilauit, promissi demonstratorem amisit. Hæc ibi.

Tertiò proinde, mundus obsessæ simila-

Z 5 tur

*Mundus est
quasi ciui-
tas obsessa.*

Hier. lib. 2.
rom. 2.

*Per quas
portas in-
grediatur
mors.*

Ier. 9. 21.

tur ciuitati, & Religio habitaculo philoso-
phico, vt deducit B. Hieronymus in libro
contra Iouinianum hereticū, monachatum
assimilantē sæcularium statui. Per quinque
fensus, dicit Hieronymus ibi, quasi per quas-
dam fenestras, vitiorum ad animam introi-
tus est. Non potest antè metropolis & arx
mentis capi, nisi per portas eius irruerit ho-
stilis exercitus. Horū perturbationibus ani-
ma prægrauatur, & capitur aspectu, auditu,
odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quis-
piam delectetur, si splendore gemmarum,
vestium, metallorū, & ceteris huiuscemodi;
per oculorum fenestras animæ capta liber-
tas est, & impletur illud Propheticum,
Mors intrauit per fenestras vestras. Rur-
sus auditus vario organorum cantu, & vo-
cū inflexionibus delinitur, & carmine Poë-
tarum & Comædorum, mimorumque vr-
banitatibus & strophis; & quidquid per au-
res introiens, virilitatem mentis effeminat.
Odoris autem suauitas, & diuersa thymia-
mata, & amomum, & cyphi, cœnanthe,
muscus, & peregrini muris pellicula, quòd
dissolutis & amatoribus conueniat, nemo
nisi dissolutus negat. Porrò ciborum auidi-
tas, quòd auaritiæ mater sit, & animū quasi
quibusdā compedibus degrauatum in terra
teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ
volu-

voluptatem, terræ lustratur & maria. Tactus autem alienorum corporum, & feminarum ardentior appetitus, vicinus insaniam est. Igitur cum per has portas, quasi quidam perturbationum cunei, ad arcem nostrę mentis intrauerint, vbi erit libertas, vbi fortitudo eius, vbi de Deo cogitatio; maximè cum tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodammodò exercere quod non agit? His igitur rationibus inuitati multi Philosophorum reliquerunt frequentias vrbiũ, & hortulos suburbanos, vbi ager irriguus, & arborum comæ, & susurrus auium, fontis speculum, riuus immurmurans, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum, animę fortitudo mollesceret, & eius pudicitia constupraretur. Inutile quippe est crebrò videre, per quæ aliquando captus sis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam & Pythagorę huiuscemodi frequentiam declinantes, in solitudine & desertis locis habitare consueuerunt. Platonici quoque & Stoici, in templorum lucis & porticibus versabantur, vt admoniti austerioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Plato cum esset diues, & thoros eius Diogenes luta-

luta-

lutatis pedibus conculcaret: vt posset vacare philosophiæ, elegit Academicam villam, ab vrbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem; vt cura & assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur; discipuli que sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. Hæc Hieronymus. Cùm igitur monasterium bene regulatum locus sit propter plura longè aptior pro erectione animi & spiritus ad diuina, quàm fuerint loca & scholæ Gentilium; patet quòd Religionis fructus, est spiritus ad Deum facilius eleuatio.

CAPVT XII.

Ostendit nonum fructum, qui est, in dubiis tutior ambulatio. Vbi traditur, quomodo in dubiis obediri debeat: & quòd ingressus Religionis libro vitæ ascribat.

NONVS prætereà Religionis fructus, est in dubiis tutior ambulatio: ita vt Religiosus, quando dubium est, quid in moralibus sit agendum, vel dimittendum, tutius in multis casibus ambulet, quàm secularis valeat ambulare. Quod patet ex via triplici, scilicet ex iniunctione humili à Prælato suscepta obedientia, ex probabili suæ saluationis præscientiâ, & ex virtuosorum

*Vnde pro-
ueniat Reli-
giosum tu-
tius sua
agere.*

tum exemplorum continua refulgentia.

Primò, inquam, patet ex humili iniun- ^{1. Ratio.}

ctione à Prælato suscepta obedientia. Sunt enim quædam adeò bona, quæ communiter scire debent omnes, talia esse licita. alia sunt tam mala, vt communiter agnosci valeant esse peccata. alia verò tenent medium locum, de quibus potest esse dubium, an sint licita vel non. Et cum talia à Prælato iubentur ex obedientia, sine peccato seruari possunt, iuxta modum quem B. Bernardus declarat in Sermone, cuius principium: Non

De obedi-
tia & eius
gradibus.

possumus, quæ sit obedientia spiritualis. Vt, inquit, via obedientiæ elucescat, ostendamus quantum possumus, quæ sit obedientia spiritualis ad Deum, propria ad hominem, communis inter Deum & hominem. Sunt quædam summè mala, quædam summè bona. Summè bona sunt, diligere Deum, amare proximum, veritatem loqui, non furtum facere, & alia multa, quæ sermonis breuitas numerare prohibet. Summè mala sunt eorum contraria, & similia illis. Bona præcepit Deus vt faciamus: à malis iubet vt abstineamus. Præcepti huius sancta & incommutabilis auctoritas non valet quoquo modo refelli: quia illius est caractere consignata, qui dicit: *Ego Dominus, & non mutor.* Si

Malach. 3.

ergo homo ille quem posuit Dominus super ^{7.6.}

capi-

Act. 5. 29.

capita nostra, aliter sentire voluerit, ponens tenebras lucem, & lucem tenebras, vel præcipiat prædicta bona relinquere, vel malis præfatis adhærere: audacter refutandum est præcipientis imperium, & libera voce dicendum: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus.* Hæc enim spiritualis obedientia ad Deum, nequaquam est hominis arbitrio temperanda. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio Prælatorum prædicta bona relinquant, vel facias mala. Inter summè verò bona, & summè mala, quædã media sunt ad alterutrũ se habentia, quæ boni maliq; nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, tacere, loqui: ieiunare, vigilare, dormire: & si qua sunt similia: quæ si pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur mediis, subditi & obedientes esse debemus ad nutum Præpositorum, nihil interrogantes propter conscientiam. Quia in his nullum præfixit opus Deus, sed Prælatorũ dereliquit imperio disponenda. Non autem te moueat magister imperitus, indiscreta potestas: sed memento, quòd non est potestas nisi à Deo; & qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Hæc est propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est ea inter Deum & hominem, quia quidquid obe-

obedientiæ Prælati exhibetur, Deo exhibetur, qui dixit; *Qui vos audit, me audit.* Luc 10.16.

Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum, quia & multi gradus obedientiæ ibidem delitescunt: quorum qui unum dereliquerit, ceteros sine retributione tenebit. Primus est, obedire libenter. Secundus, obtemperare simpliciter. Tertius, hilariter obedire. Quartus, velociter obsecundare. Quintus, viriliter adimplere. Sextus, humiliter obedire. Septimus, indefinenter obtemperare. Hæc Bernardus.

Hos gradus
la: è expli-
cat S. Bern.
ibidem.

Secundò, patet propositum ex probabili ^{2. Ratio} suæ saluationis præscientia. Cum enim homo ^{sumitur ex} omnibus pro Deo relictis se totum ^{probabili} perpetuè diuino tradit obsequio, vocationem ^{præscientia} suam satis certam facit, si perseuerat, quòd ^{sua salutis.} de numero extet saluandorum. Vnde 2. Petri 1. *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Ad idem notabile gestum ponit Gaufridus super Apocalypsim, prout refert Vincentius. Nam honorabilis ^{4. par. spec.} quidam, Ioannes nomine, Sacerdos ecclesiæ ^{hist. lib 26.} Lugdunensis, propositum concepit Ordinem Cisterciensem in monasterio regularissimo intrandi. Mutato autem proposito, in eius compensationem limina S. Iacobi visitauit: à quibus domum propriam rediens, ^{cap. 42.} fati-

fatigatus ex itinere, in cubiculo obdormiuit. Cui Christus cum Apostolo Petro & Iacobo apparuit. Petro autem librum tenenti, Christus iubet vt aperiat. Erat autem scriptus aureis litteris, nomina prædestinatorum continens. Et cum Petrus legeret nomina plura, & ad Ioannem veniret prædictum, dicit Christus, Tolle, tolle, dele eum, dele: quia meum se futurum promiserat, & resiliit à proposito. Accedens autem Iacobus, orabat: Domine, meus est peregrinus, ne deleas eum obsecro. Cui Dominus: Meus, inquit, non peregrinus, sed ciuis esse debuerat. Nonne maius est ciuem meum esse, quam tuum peregrinum? Et iterum Iacobus: Ne, quaeso, piissime, cum deleas, obsecro. Fideiubeo pro eo, quod propositum exequetur. Et Dominus: Quando? Cui Iacobus: Infra quindecim dierum spatium. Et tunc Ioannes euigilauit, & solo tenus prostratus pro fideiussione B. Iacobo gratias egit, cum lacrymis dicens: Faciam prorsus B. Iacobe, quod pro me spondidisti. Post fletum igitur iterum obdormiens vidit Christum, & præfatos Apostolos, ac Petrum ad Christi iussum de libro legentem ita: *Mure-nulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Iterum euigilans ante dies promissionis, mox monasterium Bonæuallis intrauit.

Cant. I. II

uit. vbi primus Abbas effectus, & post eccle-
siae Valentinæ Antistes, & in vita & morte
multis coruscans miraculis.

Tertiò patet propositum ex virtuosorum
exemplorum continua refulgentia. Nam in
omni panè arte ac disciplina, tutius bonum
ad exemplar quisque operatur extrinsecus,
præsertim si sit discipulus. Patet hoc in scri-
ptoribus, & pictoribus, ac opere polymitico
laborantibus. non minùs exemplari opus
est, in virtutibus volenti succrescere. Con-
sulit idem B. Bernardus, dicens: Elige tibi
meo consilio hominem, cuius vitæ exem-
plar sic cordi tuo infederit, vt quoties eius
recordatus fueris, ad reuerentiam cogitati
assurgas, & temetipsum ordines & compo-
nas, ac si præsens sit. Frequenter ego, quod
fateri non verecundor, corde durus & frigi-
dus cum quærerem in quo recalesceret spi-
ritus meus, nec vlla parte occurreret qui
succurreret; tunc subitò fortè ad affatum,
vel etiam ad aspectum cuiuspiam spiritualis
viri, interdum etiam ad solam defuncti seu
absentis memoriam flabat spiritus, & flue-
bant aquæ. Confundebar proinde & humi-
liabar, & indignum agnoscebam, cui per se-
ipsum dulcesceret Deus. Doleo non meruif-
se de manu in manum gratiam. Existimo a-
liquos vestros idem expertos. Qua in re quid

3. Propositum
probat ex
luce bonorum
exemplorum.

Bern. ferm.
14. sup. cat.

Quantum
prodest bo-
na exempla
cernere.

Sen. ep. II.
& 25.

fentiendum, nisi quòd nostra aut superbia
conuincitur, aut humilitas custoditur, aut
fraterna charitas nutritur. Eamdem senten-
tiam ponit Seneca: Aliquis, ait, vir bonus
eligendus est nobis, ac semper ante oculos
habendus est: vt sic tamquam illo spectante
viuamus, & omnia tamquam illo vidente
faciamus. Maxima pars peccatorum tolli-
tur, si peccaturis testis assistit. aliquem ha-
beat animus, quem vereatur, cuius auctori-
tate etiam secretum suum sanctius faciat.
O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt
ad memoriam eius se componat atque or-
dinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò
erit verendus. Hæc ille. Euidens autem est,
in quolibet reformato monasterio, multa
taliusmodi virtutum reperiri exemplaria, à
quibus vitia vitari, & virtutes docentur ope-
rari. Idcirco pro tutiori norma viuendi, quan-
do occurrunt de operabilibus dubia, datur à
Theologis regula talis, quam ponit Ioannes
de Tambaco in suo De consolatu Theolo-
gico: In dubiis, inquit, bonorum virorum
vita, aliis viuendi debet regula esse.

CAPVT XIII.

Declarat decimum fructum, qui est operum per vota melioratio. Vbi ostenditur, quòd idem factum per laicum & monasticum, est monacho magis meritorium, etiam si inuitus faciat.

DECIMVS fructus est, operum per vota melioratio. Operum, dico, omnium, quæ ex obedientiæ procedunt voto. Sunt enim tres bonorum operum gradus & differentia, etiam radice charitatis præsupposita. Quædam quæ sine voto fiunt, alia ex voto simplici procedunt; alia autem, quæ ex solemniori voto profluunt. In primis, multum est de merito: in secundis, magis quis mereri potest: & in ultimis, maximè. Tribus enim de causis, secundum S. Thomam, melius est aliquid facere ex voto, quàm sine voto, ceteris paribus; puta cum æquali charitate & lætitia.

Vota. opera nostra ornant.

Tres bonorum operum differentia.

2. q. 88.

art. 6.

Tribus ex causis melius est operari ex voto.

1. Causa.

art. 5.

Primò, quia vouere est actus patriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius & magis meritorium; vnde actus inferioris virtutis est melior, & magis meritorius, ex hoc quòd imperatur à superiori virtute, cuius actus fit per imperium: sicut actus fidei vel

A a 2 spei

spei melior est, si imperetur à charitate. Et ideò actus aliarum virtutum moralium, puta ieiunare, quod est actus abstinentiæ, & continere, quod est actus castitatis, sunt meliora & magis meritoria si fiât ex voto: quia sic iam pertinent ad diuinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Vnde Augustinus dicit in libro De virginitate, quòd neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur, quam fouet & conseruat continentia pietatis.

Cap. 8. cir.
princ. to. 6.

2. *Causa.*

Secundò, quia ille qui vouet aliquid & facit, plus se Deo subiicit quàm ille qui solum facit. Subiicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cetero non potest aliud facere. Sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantum, vt dicit Anselmus libro De similitud. Et inde est quòd etiam promittentibus gratiæ aguntur.

cap. 84.

3. *Causa.*

Tertiò, quia voluntas ibi immobiliter firmatur in bono. Facere autem aliquid ex voluntate firmata ad perfectionem, pertinet & ad bonum virtutis, vt patet per Philosophum 2. Ethic. Sicut etiam peccare mente obstinata aggrauat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum sanctum.

Lib. 2. c. 4.

Nota.

Est præterea inter vota solemnia, & inter opera

opera ex eis procedentia, triplex differentia: ut probat Petrus de Palude in 4. dist. 38. ita ut votum solemne per sacrū Ordinem susceptum sit magnum, & multum meritorium; & factum in Religione perfectiore, maximè est meritorium: emissum per approbatæ Religionis professionem, est magis meritorium. Est, inquit, in voto solemni plus de merito quàm in simplici; sicut plus diligitur vxor, quàm spōsa. Voto enim simplici castitatis fit sponsa Dei indissolubiler, sed voto solēni sponsa Christi fit vxor Agni, nisi quòd ante mortem est matrimonium quasi non consummatum: vnde de facto dissoluitur, etsi non de iure; post mortē autem nullo modo. Est proinde votum solemne post professionē maioris meriti, in quantum votum, quàm solemne per sacri Ordinis susceptionem, licet illud sit maioris meriti essentialiter & materialiter ratione Sacramenti: quòd ex opere operato confert gratiam, non autem professio: dispositiuè tamen solemnitas professionis est maioris meriti quàm Ordinis. Postremò autem solemnitas professionis vna comparatur ad aliam secundum maius & minus perfectum, & secundum maius & minus meritum, secundum comparisonem illorum ad quæ sunt, & secundum comparisonem mediōrū per

Plus meretur homo per votum solemne quàm per simplex votum.

Professionis solēnis votum magis meritorium quàm votum sacri Ordinis.

*Quàm gra-
vum Deo
opus bonum
Religiosi.*

Ansel. lib.
De similit.
cap. 84.

quæ fiunt. De quibus dictum fuit supra li-
bro 2. cap. 19. Ex præfatis patet, quòd acce-
ptabilius est Deo bonum opus alicuius ap-
probatam Religionem professi, quàm ho-
minis cuiuscumque sæcularis, modis præta-
ctis. Probat hoc etiam Anselmus libro De
similitudinibus in hæc verba: Videri potest
acceptabilius esse Deo opus bonum mona-
chi, quàm hominis cuiuscumque sæcularis.
Solet quippe accidere duos esse homines
sub dominio, singulas habentes arbores in
proprio solo. arbores autem illæ bonum fru-
ctum ferunt utrique. verum illi, qui inæqua-
liter dominum diligunt, & ei inæqualiter
de fructu earum seruiunt. Vnus enim quia
nimis diligit, fructum maturum colligit, &
domino deinde fert, quantum sibi visum fue-
rit. alius verò tantum diligit, ut dicat domi-
no: Ecce malo fructum cum arbore, vestra
esse quàm mea; ipsam assignabo vestro pro-
posito, ut exinde fructum colligat, prout
vos velle nouerit: & ego, quanta valeam
diligentia, custodiam arborem vestræ uti-
litati. Sic & seruitium monachi, Deo est
magis acceptum, quàm hominis sæcularis.
Hæc ibi. Et applicat latè ad propositum
similitudinem. Hæc quæ iam dicta sunt,
locum quidem habent in his, qui volunta-
te in sæculo manentes, vel monasterium in-
tran-

trantes, nec laudis hostias sacrificant.

Sed quid fiet de triplici genere hominum, scilicet de eis qui in saeculo manentes aliqua vouerunt, aut in nouitiatu tentati, aut facta professione inuitè faciunt ea ad quæ se voluntariè antea obtulerunt; imò dolent se vouisse, vel Religionis aut approbationis habitum assumpsisse? Respondetur, quòd adhuc utilia sunt opera, etiamsi ab aliquo inuitis fiant. Vnde dicendum ad primum, secundum Anselmum vbi supra: & Thomas sic dicit; Necessitas voti in his qui sunt benè dispositi, in quantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudium. Vnde Augustinus dicit in Epistola ad Armentarium & Paulinam: Non te vouisse poeniteat: imò potius gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Si tamen ipsum opus secundum se consideratum, triste & inuoluntarium redderetur post votum, dummodò tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est magis meritorium, quàm si fieret sine voto: quia impletio voti, est actus Religionis, qui est potior virtus, quàm abstinentia, cuius actus est ieiunare. Hæc ille. Et Petrus de Palude vbi prius: Quòd si quis de voto poeniteat, aliàs non facturum, nisi quia non vult votum frangere, adhuc est magis me-

*Questio
notatu di-
gnissima.*

1.2.q.88.
art.6. ad 2.

Epist.45.
prope fin.
tom.2.

ritorium secundum B. Bernardum. Vnde à principio, quando vouit & non soluit, tantum meruit, quantum quando sine voto soluit; & huic merito superadditum est meritum iustitiæ, quo vult facere quod promisit. Secundò, quia licet sit tristitia in hoc, quod vouit, & quædam inuoluntas: tamen in soluendo quod vouit, & in venerando votum est voluntarium. Tertiò etiam videtur, quòd non demeretur in hoc quòd vellet non vouisse: quia sicut à principio non tenebatur vouere, sic nec ex post facto tenebatur soluere. Vel dato, quòd pœnitere de bono sit peccatum, non tamen propter hoc impeditur, quin volendo bonum mereatur, maximè si sint diuersi actus. Ad secundum per idem dicendum est. Vnde Anselmus de similitud. dicit: Attendant nouitij, quoniam sic agit, qui monachus accipit difficultatem, quomodo infirmus, qui grauem accipit potionem. Infirmus plerumque potionem quærit curatiuam, medico suadente emit, vel gratis datam accipit: sed sumpta potio omnia membra percurrit, malos humores trahit, vires tollit, corpus dissoluit, terræ prosternit infirmum, desiderium maximum bibendi accendit, vel dormiendi, vel foras aduentum eundi: eique medicus hoc interdicit, comminans quòd morietur, si hoc fecerit.

Cap. 77.

Simile pulcherrimū.

cerit. Heu me, inquit infirmus, cur hanc portionem accepi? Malè priùs erat, modò peius habeo: quàm malè consiliati sunt, qui in hoc suaserunt, & non mala prædixerunt. Cùm verò mali humores defluere cœperint, & corpus leuigari, gaudet, & benedicit suadentibus medicinam. Sic plerumque cùm infirmitatem vitiorum in se considerant aliqui, Religionem intrant, & eis accidit, vt Anselmus ibi deducit. Ad tertium patet responsio sicut ad primum, & ex similitudine Anselmi de arbore & fructu totaliter Deo datis, &c.

CAPVT XIV.

Manifestat vndecimum fructum, qui est peccati commissi minoratio. Vbi ostenditur, quòd, tribus casibus exceptis, idem peccatum per Religiosum, & per secularem commissum, Religioso quoad plura est tolerabilius.

VNDECIMVS fructus Religionis est, peccati commissi minoratio, quando saltem fit sine scandalo, non ex contemptu, nec contra præceptum seu votum, sed ex infirmitate vel ignorantia. Vnde S. Thomas ^{2.2.q.186.} _{art.10.} quærit, an Religiosus eodem genere peccati grauius peccet, quàm seularis. Respondet

A a 5

quòd

*Religiosus
eodē genere
peccati mi-
nus peccat,
quā sa-
cularis.*

*Excipit tres
casus.*

1. Casus.

2. Casus.

Heb. 10. 20

*Ierem. 11.
v. 15.
cap. 23.*

quòd non, tribus casibus exceptis. Peccatum, inquit, quod à Religiosis committitur, potest esse grauius peccato sæcularium eiusdem speciei tripliciter. Vno modo, si sit contra votum Religionis, puta si Religiosus fornicetur, vel furetur: quia fornicando facit contra votum continentia, & furando facit contra votū paupertatis, & non solūm contra præceptum diuinæ legis. Secundò, si ex contemptu peccet: quia ex hoc videtur esse magis ingratus diuinis beneficiis, quibus est sublimatus ad statū perfectionis, sicut Apostolus dicit ad Hebr. 10. quòd fidelis grauiora meretur supplicia, ex hoc, quòd peccando, Filium Dei conculcat per contemptum. Vnde & Dominus conqueritur Ierem. 11. *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Et ibidem: *Contritum est cor meum in medio mei.* Et postea subdit: *Nam & sacerdotes polluti sunt, & in domo mea vidi malum eorū.* Si enim Religiosi ad hoc perueniant, quòd ex contemptu peccent, efficiuntur pessimi, & maximè incorrigibiles secundum illud Ierem. 2. *Confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam. In omni enim colle sublimi & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Vnde Augustinus dicit Epistola ad plebem Hipponensem: Ex quo

quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè
 sum expertus meliores quàm qui in mona-
 stero profecerunt; ita non sum expertus pe-
 iores, quàm qui in monasterio defecerunt
 & ceciderunt. Tunc autem committit ali-
 quis vel transgreditur ex contemptu, quan-
 do voluntas eiusdem renuit subiici ordina-
 tioni legis vel regulæ; & ex hoc procedit ad
 faciendum contra legem vel regulâ. Quan-
 do autem è conuerso propter aliquam par-
 ticularè causam, puta concupiscentiam vel
 iram, inducitur ad aliquid faciendum con-
 tra statuta legis vel regulæ, non peccat ex
 contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si
 frequenter ex eadem causa vel alia simili
 peccatum iteret; sicut Augustinus dicit lib.

Epist. 137.
 Prop. fin.
 tom. 2.

De natura & gratia, quòd non omnia pec-
 cata committuntur ex contemptu superbię.

Cap. 29. it
 med. to. 7.

Frequentia tamen peccati dispositiue indu-
 cit ad contemptum, secundum illud Pro-
 uerbior. *Impius cum in profundum venerit*

Prou. 18. 3.

peccatorum, contemnit. Tertiò, peccatum
 Religiosi potest esse maius propter scanda-
 lum: quia ad vitam eius plures respiciunt.

art. 10.
 3. Casus
 in quo pec-
 catu Reli-
 giosi est
 maius.

Vnde dicitur Ierem. 23. *In Prophetis Ieru-
 salem vidi similitudinem adulterantium,*
& iter mendacię: & confortauerunt manus
peßimorum, ut non conuerteretur vnus-
quisque à malitia sua. Si verò Religiosus

Ier. 23. 14.

non

non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ex ignorantia, aliquod peccatum, quod non est contra votum suæ professionis, committit absque scandalo (puta in occulto) leuius peccat eodem genere peccati, quam secularis: quia peccatum eius, si sit leue, quasi absorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit; & si sit mortale, facilius ab eo resurgit.

1. Ratio.

Primò quidem, propter intentionem, quam habet erectam ad Deum: quæ etsi ad horam intercipiatur, de facili ad pristina reparatur. Vnde super illud Psalmi, *cùm ceciderit, non collidetur*, dicit Origenes: Iniustus si peccauerit, non poenitet, & peccatū suum emendare nescit; iustus autem scit emendare, scit corrigere. Sicut ille qui dixerat; *Nescio hominem*: paulò post cùm respectus fuisset à Domino, flere cœpit amarissimè. Et ille qui de tecto mulierem viderat, & cupiebat eam, dicere voluit: *Peccaui, & malum coram te feci.*

2. Ratio.

Iuuatur etiam à sociis ad resurgendum, secundum illud Eccles. 4. *Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habebit subleuantem se.* His concordat illud 2. Paralipom. 30. *Dominus bonus propitiabitur cunētis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit eis, quòd minus sanctificati*

2. Par. 30.
v. 18.

3. Ratio.

cati sunt. Sed magis videntur Religiosi Dominum Deum patrum suorum sequi, quàm sæculares, qui ex parte se & sua Deo donant, & ex parte reseruant sibi, vt Gregorius dicit super Ezechielem. Ergo minùs imputatur eis, si aliquo modo à sanctificatione deficiant in his quæ per infirmitatem vel ignorantiam committuntur. Sicut ex hoc quòd aliquis bona opera facit, minùs contra peccata eius Dominus aliquando irascitur. Dicitur enim 2. Paralipom. 19. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.* Quamquam Iosaphat, cui illa verba dicuntur, non ex malitia, sed ex quadam infirmitate humanæ affectionis peccauerit. Religiosi autem plura opera bona faciunt quàm sæculares: & si aliqua peccata faciunt, minùs contra eos Deus irascitur. Iusti etiam non de facili peccant ex contemptu: sed quandoq; labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia, vel infirmitate, à quo de facili releuantur. Hæc omnia sunt verba S. Thomæ, vbi suprà, tam de nouem quàm de decem articulis.

Ex quibus sequitur, quòd quatuor decibus minùs peccat, aut citius resurgit, in Religione labens, quàm in sæculo existens, tribus

Greg. Homil. 20. à medio.

2. Par. 19. 2.

art. 10. ad 2.

Religiosus
aut minùs
peccat, aut
citius re-
surgit.

tribus demptis casibus prænotatis. Primò, quia Religiosus est feruentior, & animo erectior ad Deum: sicut candela extincta, cuius carbo adhuc calet, citò reinflammat. Secundò, quia Religiosus consuetudinem Deo seruiendi habet efficacius, atque ei peccare est magis insolitum: sicut lignum ad vnâ partem curuatum, si ad oppositam partem deflectitur, statim ad priorem redit plagam, vnde est auersum. Tertiò, quia magnam bonorum habet societatem, quæ orationibus, prece, correctionibus & exemplis non finit diu iacere in peccato collapsum: sicut in bello amici coamicum cadentem vel pressum pro viribus eleuant vel sanant. Quartò, quia ex infinita Dei misericordia, Deus opera bonorum in charitate arduè factorum sæpè inspicit, & in facinora collapsos clementer erigit; sicut Dominus, cui seruus diu benè seruiuit, in se peccantem quidem punit, sed nonnumquam recordatus de antiquis obsequiis, offendenti iniuriam dimittit. Ad præfatam sententiam B. Anselmi libro De similitud. duo accommoda exempla ponuntur, cuius verba sunt hæc: Dicit aliquis, melius esse vt Deo sine professione seruiret spontaneus, quàm in monasterio professione se alligans, seruire cogeretur inuitus. Respondeo, tanta distantia est inter illum,

Ansel. l. De
sim. cap. 81
*An melius
sine profes-
sione Deo
seruire quàm
professione
emissa.*

illum, qui non vult facere Deo professionem ad ipsi seruiendum, & eum, qui libenter eam facit; quanta inter homines duos, qui ambo ex debito debent seruire domino vni: sed vnus eorum accedit ad dominum & dicit; Domine, ex toto corde tibi seruire volo, sed me esse tibi fidelem promittere nolo: quia si tibi hoc promitto, & postea tibi peccarem, grauius delinquens, grauiori vindicta dignus existerem. Quanto autem melius potero, seruiam tibi; sed si quando peccauero tibi, iudica me vt illum, qui se tibi esse fidelem minimè promisit. Alter verò venit, & dicit: Domine, ex toto corde te diligo, tibi que fidelitatem & subiectionem promitto, vt si aliquando fecero contra preceptum tuum, non me iudices vt alienum, sed emendes vt proprium seruum. His itaque dictis, euenit vt ambo idem peccatum postea faciant, ac deinde poenitentes ad misericordiam domini sui veniant. Dicit itaque dominus illi qui fidelitatem promittere noluit: Quare hoc fecisti? At ille, Domine, inquit, confiteor, quia deliqui, sed tamen non me tibi non esse delicturum promisi. Sed ille, Ideone, inquit, noluisti mihi fidelitatem promittere, vt posses contra me liberius peccare? Ergo & ego circa te, non vt erga meum, sed vt aduersus alienum agam;

totum-

totumque quod erat mei iuris, vsque ad vltimum quadrantem exigam. Ad alium vero is dicit: Et tu serue, qui mihi fidelitatem promiseras, & ideò tibi magis cauere debueras, quare hoc fecisti? At ille, Domine, inquit, confiteor reuera me deliquisse, tibi que fidelitatem promississe: sed postquam me poenitet quia deliqui, debeo ergo peius pati, quia tibi fidelitatem, antequam deliquissem, promisi, quam qui hanc tibi non vult promittere, etiam postquam peccauit? Ideò quippe me volui esse tuum, vt si quando peccarem, non me iudicares vt alienum, sed emendares vt proprium. Ait dominus: Ita est, inquit, vt dicis. Cum ergò voluero, de te vindictam accipiam, vt de meo. Sic autè & Deus inter professum Monachum & nolentem profiteri iudicat, si ipsos contra eum peccasse poeniteat. Non solum autem professum mitius iudicat à non professo, sed etiam quolibet laico adhuc in sæculo constituto: licet enim vterque idem peccatum committat, cum tamen toto ex corde monachum deliquisse poeniteat, cumque Ordinem, cui se subdidit, feruenti amore custodiat; maiorem quam laicus misericordiam consequitur, quantumlibet ille poeniteat sæcularibus adhuc detentus.

Si verò poenitere noluerit, maiori quam
laicus

*Professum
Deus mi-
tius iudi-
cat.*

laicus damnationi subiacebit. Quod ut a- ^{obstinatus}
 pertius à simili videamus, homines duos ^{monachus}
 vnus domini seruos intueamur. Ambo ita- ^{gravius}
 que à domino illo possessiones proprias ob- ^{damnatur.}
 tineant sibi, iureiurando promisso, quòd &
 fideles existant: vnus tamen illorum condi-
 tione tali hoc faciat, quòd si quid in eum
 quandoque delinquat, de proprio suo, prout
 fuerit iustum, emendet: alter verò domi-
 num ad eò diligat, vt nihil proprium retine-
 re, sed omnibus ei dimissis familiarius ipsi
 malit seruire: hoc etiam pactum cum eo fa-
 ciat, quòd si aliquando quid contra eum de-
 linquat, de seipso, non de re aliena, sed vt de
 proprio, quam voluerit vindictam, sumat.
 His actis, si culpam eandem committat
 vterque, ac deinde pœnitentia ducti velint
 emendare, sed ille de proprio, quod nec ad-
 huc totum vult dare pro illius culpæ satis-
 factione; iste verò de seipso, quoniam etiam
 totum iam prius domini sui mancipauerat
 potestati: videatque dominus quòd ille tan-
 tum facere nolit, etiam postquam sibi pec-
 cauerit, quantum iste prius quàm in eum
 delinqueret fecit: de quo, inquam, maio-
 rem velle videtur habere misericordiam?
 an cum illo videtur velle mitius agere, quem
 operibus cõprobat se minus diligere? Quòd
 si hunc alterum velit altero durius arguere,

Bb

Serue,

Serue, inquit, male, tu quanto mihi eras familiarior, tanto es culpabilior: potest iste respondere, Domine, inquit, verum est quod dicis, sed quamdiu pœnitere nolui; at postquam toto ex corde pœniteo, meque ipsum in emendationem trado, numquid non peius illo debeo pati, qui nec illud quod habet, tibi totum vult dare pro satisfactione sui commissi? Iustumne videtur, vt quia te magis dilexi, minore debeo misericordiam consequi? Imò eo maiorem mihi deberes facere misericordiam, quo nullam maiorem tibi facere possum satisfactionem. Quid aliud dominus diceret, quam quod veritas habet? Hunc ergo mitius iudicat, vt extoto proprium; illum verò seuerius, vt minus sibi priuatum. Sic ergo & Deus mitius indulget Monacho, qui se ei totum committit, quam laico dare nolenti se vel sua pro his quæ commisit. Hæc omnia Anselmus.

CAPVT XV.

Concludit duodecimum fructum, qui est iudiciaria potestas. Vbi ostenditur quomodo in extremo iudicio multi iudicare dicuntur; sed Religiosi perfecti perfectius aliis.

DVODECIMVS fructus est, iudiciariæ potestatis traditio. Iudiciaria enim potestas

ftas in vniuersali iudicio extremo, respon-
 det voluntariæ paupertati, quam Religiosi
 omnes profitentur. Vnde Iob: * *Non saluat*
impios, & iudicium pauperibus tribuit. Et
 super illud Matthæi 19. *Vos qui reliquistis*
omnia, &c. dicit Glossa: Qui relinquunt
 omnia, & secuti sunt Deum, hi Iudices e-
 runt: sed qui licita habentes, rectè vfi sunt,
 iudicabuntur. Item patet ex modo loquen-
 di textus Matth. 19. Vbi Petrus primò alle-
 gat dicens & petens, quid daretur pro vo-
 luntaria paupertate: *Ecce, ait, nos reliquimus*
omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit no-
bis? Et Christus subiungit, & canit Ecclesia
 in Missali officio: *Amen dico vobis, quod*
vos, qui secuti estis me, &c. sedebitis & vos
super sedes duodecim, iudicantes duodecim
tribus Israël. Ergo præmium paupertatis &
 Christi sequelæ, est iudiciaria potestas. Item
 ad idem est B. Hieronymus super Matth. 19. B. Hieron.
 dicens: *Quid ergo? Non sufficit tantum*
relinquere: iungit quod perfectum est, &
secuti estis me. Ad idem est Augustinus lib. Augustin.
 De pœnitentia, sic dicens: In hoc numero,
 scilicet duodenario, omnes intelliguntur,
 qui propter Euangelium, sua omnia dimise-
 runt, & secuti sunt Dominum. Item Grego-
 rius 10. Moralium: *Quisquis stimulo diui-*
ni amoris excitatus hîc possessa reliquerit,
 illic

Iudiciaria
 potestas tri-
 buitur san-
 ctis ratione
 voluntaria
 paupertatis.

* Iob 36.6.
 Glossa sup.
 Matth. 19.

tom. 9.

Greg. lib 10
 Mor. c. 30.

Bb 2 illic

illic proculdubiò culmen iudiciariæ potestatis obtinebit: vt simul tunc Iudex cum Iudice veniat, qui nunc cõsideratione iudicij, sese spontanea paupertate castigat. Iterum ibidẽ Origenes: Si quis reliquerit omnia, & secutus fuerit Christum, quæ promissa sunt Petro, & ipse recipiet. Si autem non omnia reliquerit, sed quædam, quæ specialiter inferius referuntur, hic multiplicia recipiet, & vitam possidebit æternam. Iterum Magister Sententiarũ ad idem sic dicit: Per duodecim sedes perfectio tribunalis, id est, vniuersitas iudicantium intelligitur; scilicet, omnes perfecti, qui relictis omnibus secuti sunt Christum; per duodecim tribus, vniuersitas iudicandorum. Iudicabunt verò eos Sancti, non modò comparatione, sed etiam auctoritate & potestate. Hæc ille.

Debetur autem paupertati, dicit S. Thomas, iudiciaria potestas specialiter. Primò, ratione congruitatis, quia volũtaria paupertas est eorum, qui omnibus quæ mundi sunt contemptis, soli Christo inhærent: & idè non est in eis aliquid, quod eorum iudicium à iustitia deflectat. Vnde idonei ad iudicandum redduntur, quasi veritatem iustitiæ præ omnibus diligentes. Secundò, per modum meriti, humilitati correspõdet exaltatio pro merito. Inter omnia autem, quæ hominẽ in hoc

Orig. tra-
ctat 9. in
Matth.

4.d.47.

*Quid sedes
duodecim
significent.*

4.d.47.

*Rationes
D. Thoma
cur pauper-
tatis voto
debeat
hac potestas*

hoc mundo despectum faciunt, præcipuum est paupertas. Vnde & pauperibus excellentia iudiciariæ potestatis promittitur, ut sic qui se propter Christum humiliat, exaltetur. Tertiò, quia paupertas disponit ad prædictum modum iudicandi. Ex hoc enim aliquis Sanctorum iudicare diceretur, ut ex prædictis patet, quia cor habebit edoctum omni diuina veritate, quam alij potens erit manifestare. In progressu autem ad professionem, primum quod relinquendum occurrit, sunt exteriores diuitiæ, quia hæ sunt vltimò acquisite. Quod autem est vltimum in generatione, est primum in destructione. Vnde etiam inter beatitudines quibus est progressus ad perfectionem, primò ponitur paupertas. Et sic paupertati correspondet iudiciaria potestas, in quantum est prima dispositio ad potestatem prædictam. Et hinc est, quòd non quibuscumque pauperibus etiam voluntariè repromittitur potestas prædicta, sed illis, qui relinquentes omnia, sequuntur Christum secundum perfectionem vitæ. Et quamuis multi licitè diuitiis vten-
 tes, erunt maioris meriti multis voluntariè pauperibus, & sic eisdem superiores; & qui pauperes fuerunt, sic inferiores: tamen licet inferior non possit iudicare superiorem auctoritate propria, sed tamen auctori-
 tate

*Quibus
 pauperibus
 hæc promissio
 fiat.*

tate Superioris potest. Et ideò non est inconueniens, si iudicium datur iudicandi, tamquam accidentale præmium pauperibus, vt iudicent alios etiam, qui sunt excellentiores merito, respectu præmij essentialis. Hæc Thomas.

4. d. 48.
Iudicare
competit
alicui va-
riis ratio-
nibus.

Sciendum tamen, vt dicit Petrus, quòd iudicare potest competere alicui multipliciter. Primò, per modum primariæ potestatis & auctoritatis, & sic competit soli Trinitati. Secundò, per modum primariæ delegationis, & sic competit soli Christo secundum humanitatem. Tertiò, per modum assessoria dignitatis, & sic iudicabunt Sancti & perfecti, & eorum imitatores: sicut promittit eis Matth. 19. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c.* Quartò, per modum approbationis, & sic iudicabunt omnes Sancti: Sapien. 3. *Iudicabunt sancti nationes.* Quintò, per modum *compro-
bationis, iudicabunt vel debent iudicare minus mali magis malos, in quantum eorum comparatione damnabiliores apparent. Et sic dicitur Matthæi 12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam.* Probatum igitur per Christum, quòd sequentes in Religione voluntatem Dei perfectam, assessoria & iudiciaria potestate fruuntur: per quam etiam tandem

Sap. 3. 8.

* compro-
bationis,

Mat. 12. 14

eis

eis pauperibus, sicut Christus promisit, vitæ æternæ dabitur possessio. Ad quam nos ipse perducatur, qui in ævum vivit & regnat. Amen.

APPROBATIO.

PRÆCLARVM hoc opus De reformatione Religiosorum R. P. Fratris Ioannis Nideri, insigni doctrina & mirabili pietate refertum, quod à tenebris & teneis Frater Iacobus Buyens Mollensis Conventus Antuerpiensis Ordinis Prædicatorum magno labore & studio vindicavit, & morte præventus typis mandare non potuit; tibi R. P. Fratri Ioanni Boquetio mando ut quantocius cures typis committi, quod Religionibus collapsis & deformatis, erigendis & ornandis mirificè conducet. Datum Antuerpia in Conventu Fratrum Prædicatorum xii. Octobris, Anno M. DC. VII.

F. Petrus Vostynius Fratrum Prædicatorum per Infer. Germaniam humilis Prior Prouincialis.

PRÆSCRIPTI tres libri R. P. Ioannis Nider De reformatione Religiosorum, doctrinam & spiritum sapiunt Doctorum & Sanctorum Ordinis Prædicatorum. Rem proinde Religionibus ac Reipub. utilem mihi facturus videtur, quicumque operam dederit, ut emittantur in lucem. Datum Louanij i. Martij, Anno M. DC. IV.

Iacobus Ianssonius S. Scripturæ Louanij Professor.

PRO
D. CATHARINÆ
SENESENSIS
IMAGINIBVS
DISPVATIO

R.P.F. VINCENTII IVSTINIANI ANTISTII
Valentini, Ordinis Prædicatorum,
S. Theologiæ Profefloris.

PRO
C. G. L. H. A. R. I. A.
S. E. B. N. E. I. S. I.
I. M. A. C. I. M. E. N. S.
D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O.
V. E. R. I. T. A. T. I. S. I. M. P. E. R. I. T. A. T. I. O.
V. E. R. I. T. A. T. I. S. I. M. P. E. R. I. T. A. T. I. O.
S. T. R. E. G. I. A. S. I. M. P. E. R. I. T. A. T. I. O.

M

ILLVST^{MO} ET REV^{MO}

DOMINO

MICHAELI BONELLO

ALEXANDRINO

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO ALBANO

ex Ordine Prædicat. assumpto

F. Vincentius Iustinianus Antistius

S. P. D.



VAM QVAM breuis illa,
 & ferè ex tempore edita
 Disputatio, quam olim
 pro diuæ CATHARINÆ
 SENENSIS imaginibus,
 aduersus quædam declamatorem, Hi-
 spanè conscripsi, prudentium censo-
 rum calculo, antequam typis manda-
 retur, probata fuerit: numquam ta-
 men speravi, plerisque Theologis, ac
 Pontificij Cæsariique Iuris prudenti-
 bus,

bus, tam gratam acceptamque futuram, quàm ex multorum, & quidem grauiſſimorum hominum epistolis intellexi. Eius enim lectionem eruditis omnibus placuisse, scripserunt ex nostris Ludouicus ille Granatensis sacrorum huius memorię oratorum Demosthenes, Didacus à Chaues, qui Catholico Regi nostro PHILIPPO II. à sacris confessionibus fuit, Ioannes Cuebas, nunc Episcopus Abulensis, Ioannes Gutierrez eiusdem Regis ecclesiastes, & Timotheus Bothonius hæreticorum apud Genuenses Inquisitor: ex aliis verò, Franciscus Pegna in primis grauis & doctus sacrae Rotæ Auditor & hæreticomastix, Ioannes Baptista Cardona Episcopus Dertusensis, Didacus Perez, qui ob eximiam qua in dicendo pollebat vim, Apostolicus prædicator vulgò nuncupabatur, Alphonsus à Villegas homo omni doctrinarum genere excultus, alii que permulti. Sed illam demum ab omnibus merito

pro-

probari posse credidi, postquam tibi
 Illustris. & Reuerendis. Domino (cu-
 ius integritatis & in publicis pertra-
 ctandis negotiis diligentia prudentia-
 que fama Hispaniam totam peruasit,
 ab eo tempore, quo magni auunculi
 tui P I I Papæ V. vt auctoritate, sic
 vita sanctissimi, Legatus in eam veni-
 sti) non ingratum futurum accepi, si
 illam, vt vbiq̃ gentium facilius in-
 telligi posset, in Latinam linguam ver-
 terem. Aliis igitur studiis, quibus vt
 scis intentus eram, intermissis, Lati-
 nam iam, & nouis argumentis nouis-
 que excellentium auctorum testimo-
 niis locupletatam, confirmatamque,
 in tuo illustrissimo nomine apparere
 volui. Quod vt facerem, non tantum
 mea erga te vetus obseruantia, sed tua
 in diuam CATHARINAM reuerentia
 sæpè me, alias res agentem, adhorta-
 ta est. Neque leue atque obscurum,
 sed grauissimum & clarissimum, ces-
 sisse meis lucubrationibus, quales qua-
 les

les sunt, præmium arbitror; si tibi,
viro sapientissimo, omniumque vir-
tutum laudibus cumulatissimo, non
omnino displicuerint. Diu felix vale,
Illustrissimi Senatus splendidum lu-
men, meque tuorum clientum nume-
ro ascribe. Valentiaë, ex Prædicato-
rum Cœnobio, Anno M. D. XCVII.



DISPV-

DISPUTATIONIS
 ARGUMENTVM,
 ET INDEX
 ad Lectorem.



VIDAM admodum gratus
 plebi concionator (cuius &
 nomen & Ordinem silere pla-
 cet) omnes qui diuæ CA-
 THARINAE SENENSIS
 imagines sacris stigmatibus illustratas pin-
 gerent, aut haberent, anathematis reos fa-
 ciebat. §. 1.

Vt autem aculeos, quos in auditorum
 animis infixit, eruamus; in primis statui-
 mus, nec quemquam Diuum ob recepta
 stigmata sanctiorem esse aliis quibus illa mi-
 nimè concessa fuere, nec beatum Franci-
 scum agrè laturum, si veritate nixi, di-
 uam CATHARINAM eis donatam fuisse
 asseruerimus. §. 2.

Mox planum facimus, illum conciona-
 torem

torem Episcoporum sibi & fidei censorum potestatem usurpasse. §. 3.

Sed quoniam ipse quadam SIXTI IV. Bulla, tamquam tabulis obsignatis, imaginum illarum pictores & cultores premebat, neminem iam illa astringi ostendimus. §. 4.

Idque ex septem capitibus demonstramus. §. 5.

Quorum precipuum, & caput est, Sixtinam legem partim ab ipso latore, partim ab INNOCENTIO Octavo, succedentibusque Pontificibus, reuocatam esse. §. 6.

Qua in re à nobis stant, excellenti ingenio viri, qui Sedis Apostolicæ, eiusve ministrorum facultate, libros ediderunt, in quibus, Catharinam stigmaticam Dei ancillam fuisse, perspicuis verbis docent, tametsi ut pingere, ita quoque id scribere vetitum olim fuisset in eadem Sixtina Sanctione. §. 7.

Neruosius tamen id ipsum probatur, quia sapientissimi homines, non tantum nostri,

nostri, sed aliorum quoque Ordinum, etiam Minoritici, Professores (ex quo nulla suspicio est eos amicitiae causa mentiri) quibusdam aliis Divis patentia stigmata impressa fuisse, litteris monumentis que mandarunt, quod stante SIXTI præcepto eis integrum non erat. §. 8.

Ne tamen hac occasione nonnulli viri aut femine, qui summam nequitiam religionis simulatione contegunt, hanc stigmatum gloriam, superbia stimulis incitati, sibi mendaciter arrogent; contra tantum scelus, gravissimis verbis rationibusque agere placitum fuit. §. 9.

Sicut etiam aduersus immodicas stigmatum beati Francisci & B. Catharinae laudationes. §. 10.

Sed cum de re Ciceroni prorsus ignota disputare instituerimus, nemini mirum videatur si quibusdam vocabulis interdum utamur, quæ apud ipsum minimè reperiuntur. Nam vel ipsemet ob eandem ferre causam, in Philosophicis quæstionibus explicandis simili licentia, præter Rhetorum

rum morem & consuetudinem, sibi utendum fuisse non semel fatetur: Et nos libro 8. Dialecticarum institutionum cap. 15. firmissimis rationibus, plurimisque, tum eiusdem Ciceronis, tum Quintiliani ac diui Aurelij Augustini testimoniis, ita fieri oportere demonstravimus.



PRO

PRO
 D. CATHARINÆ
 SENENSIS
 IMAGINIBVS

R. P. F. VINCENTII IUSTINIANI ANTISTII
 Ordinis Prædicatorum Theologi

DISPUTATIO.

§. I.



EMINEM ignorare arbitror, beatum Raymundum Capuanum lib. 2. rerum à diua Catharina gestarum litteris mandasse, eam, cùm Pisis, ante Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi è Cruce pendentis imaginem, humiles ac supplices preces funderet, & quinque sanguineos radios ab illius vulneribus directò in suas manus latusque tendentes animaduerteteret, confestimque ea res quorsum pergeret, & quantum sibi splendoris & gloriæ inter mortales allatura esset intellexisset,

Cc 2.

sum-

summa eaque sanctissima cordis demissione, pioque affectu postulasse, ne vulnerum in suo corpore signa apparent: statimque radios, qui antea cruenti videbantur, in fulgorē verfos, illas eius corporis partes transfixisse. Et quidem cum Raymundus, ut eximia sanctitate præditus, à cælorum Regina diuæ Catharinæ cordis conscientiaque iudex datus sit, & illi ita charus extiterit, ut ad cælestis vitæ gaudia euolans, protinus eum inuiserit (quemadmodum in publicis canonizationis eiusdem Catharinæ litteris recitatur) profectò fides tanto patri haberi debet: præsertim cum Pius II. eximia virtute & integritate Pótifex in Horariis precibus, quas in ipsius Virginis laudem nobis dictauit, id ipsum his verbis enarret:

*Quem laet virtus, facinusq; clarum,
Quo nequit dici sanctius per orbem?
Vulnerum formam miserata Christi,
Exprimis ipsa.*

In quodam etiam elogio, quo idem Pontifex quadraginta sex versibus hanc Virginem exornauit, sic loquitur:

*Pane refecta sacro, caelesti pane salutis,
Illa crucem memori portans sub pectore
semper,
Stigmata passa fuit, dictu mirabile,
Christi.*

Duo-

Duobus his grauiſſimis teſtibus, qui nulla exceptione eleuari poterant, cum fidem à nemine abrogandam eſſe, noſtri pro certo haberent, eam, cum primùm ſtatis cærimoniis in Diuas à Pio I I. relata fuit, ſtigmatibus ornatam depinxerunt. Grauius id moleſtèq; tulerunt ij qui multum è ſancti Franciſci gloria detrahi exiſtimabant, ſi Catharina ſtigmatibus inſignita in templis collocaretur. Nam quod ipſi tãquam proprium & ſingulare diuo Franciſco collatum beneficium prædicauerant, communicari aliis minimè ferendum putabant. Sed quamuis angerentur animo, Pij tamen qui ad Eccleſiæ clauum ſedebat metu, impatientiam intra viſcera continebant. At illo eiufq; ſucceſſore Paulo I I. ex hac luce ſubtractis, Sixtum IV. (qui è ſacra Franciſcanorum ſocietate fuerat) adeunt, quoddamq; eius decretum impetrant, in quo anathemati ſubiiciebat, omnes qui imagines illas infra annum minimè delerent, aut in poſterum abſque Apoſtolicæ Sedis facultate, Diuorum quemquam, præter Franciſcum, cum ſtigmatibus depingerent, vel illis ornatũ fuiſſe ſcriberent, aut in concione affirmarent.

Eo decreto abutens quidam Turiaſonenſium declamator, ceteroqui pius, ſed ignorans quanta eſſet veteris conſuetudinis vis

ad legum feueritatem mitigandam, extinctum olim bellum instaurauit: & quasi iam omnia auditorum peccata suis concionibus emendasset, nihilque aliud quod ad Dei sanctissimi obsequium pertineret, suadendum restaret; totam Dicecesim, in qua passim huiuscemodi imagines reperiiebantur, commouit, & populares suis colloquiis concionibusque turbauit, eos à piorum contubernio exclusos denuntians. Neque eos solum, sed cunctos qui historiam sanctæ Catharinæ à Patre Antonio à Pegna olim Hispanæ conscriptam, & nuper Salmanticæ Hispaniæque excusam, apud se rerinerent: quoniam id ipsum, quod beatus Raymundus de inclyta illa Virgine asseruerat, referret. Cumque vulgi assensu, & populi approbatione inter illustres concionatores haberetur, facile, quod optabat, auditoribus, tametsi Catharinæ studiosissimis, persuasit.

§. II.

QVAMVIS autem optimè nouerim Ecclesiæ fortunas non in eo positas esse, vtrum ne Franciscus solus, an Catharina quoque stigmata Christi receperit, neque pro hac illave parte tamquam de vita dimicandum putem: tamen quia ab antiqua honoris possessione Catharinam deturbare, absque

que magno bonorum detrimento & scandalo fieri nequit; & scrupulus ab eo declamatore, in vulgi animum iniectus, plurimorum vexat ingenia; operæpretium me facturum putavi, si quoad eius potero breuiter, tum id quod in controuersia est, pro mea tenuitate dilucidè explicem: præsertim cum minimè desint, qui sopitam temporis diurnitate litem, malo cōsilio, aut potius nullo, in Hispania excitare cupiant. Itaq; oportet non tantum dissidij ramos abscindere, sed radicum etiam fibras diligenter euellere.

Sed prius lectorem neutri parti addictum (quo nunc opus est mihi) admoneo; stigmata non esse euidens signum, quo probari possit, quemquam sanctiorem fuisse, quam illos qui ipsis caruerunt. Hæreticus enim esset, qui Franciscum beatissimæ Dei genitrici præferret, vel æquaret, vel parum ab ea superari contenderet, quamuis eius corpus nullis vulneribus transfossus fuerit. Qui verò illū diuo Petro, vel Paulo, aliisve Apostolis parem faceret, si non in hæresis, at saltem in temeritatis notam incurreret, censure diuo Thoma lectione quinta in cap. 8. Epistolæ ad Romanos, & tertia in caput 1. eius quæ ad Ephesios inscribitur; & tamen ea, de quibus nunc agimus, Franciscana

Redemptoris stigmata, nequaquam gesta-
 uere, sed alia planè optabiliora. Ea scilicet,
 de quibus Paulus Galatis scribens gloriatur:
*Ego, inquit, stigmata Domini Iesu in corpo-
 re meo porto.* Equidem quid alij agerent ne-
 scio: mihi tamen (quamuis Francisci pedes
 libentissimè oscularer) si optio detur, vtrum
 Iesu Christi veneranda stigmata, Pauli in-
 star habere malim, an Francisci; Pauli eli-
 gam: id est pari charitate qua Paulus, tot pro
 Christi nomine supplicia perpeti, quot vel
 diuus Lucas Actorum cap. 13. 14. 16. 23. &
 24. eum perpeffum fuisse recitat, vel ipse-
 met Paulus ad Ephes. cap. 4. ad Colossen-
 ses cap. etiam 4. primæ ad Theffalon. 1. &
 secundæ ad Timoth. 3. narrat: potissimùm
 verò 2. ad Corinth. cap. 11. cùm ita ait: *In
 laboribus plurimis, in carceribus abundan-
 tiùs, in plagis supra modum, in mortibus fre-
 quenter. A Iudæis quinquies quadragenas
 una minùs accepi, ter virgis cæsus sum, semel
 lapidatus sum: & ea quæ deinceps enume-
 rat.* Quibus si addas caput Romæ pro Sal-
 uatoris gloria amputatum, agnosces sanctif-
 sima diui Francisci vulnera populo quidem
 plausibilia fuisse, Paulina verò, & habenti
 securiora, & toti Ecclesiæ vtiliora extitisse,
 ac Deo ipsi (vt existimo) gratiora. Sed
 quid ego meum hîc iudicium, quasi ali-
 cuius

cuius momenti sit, profero? Num vniuersa Ecclesia (quæ propter magnam bonorum penuriam in maxima nunc rerum caligine & perturbatione versatur) si Christus ei ad Dei nomen per totum orbem circumferendum, ad instaurandam ecclesiasticam disciplinam, ad deprauatos populi mores corrigendos, ad hæresum flammam restinguendas, ad ethnicos fidei dogmatibus imbuedos, Paulum aut Franciscum, pro eius arbitratu, se ei restitutum polliceretur, in deliberatione poneret, vter sibi postulandus esset? Profectò non tacitis vocibus, sed ingenti ac communi acclamatione, vel iurata responsoderet, se Paulo magis egere, quàm Francisco. Paulum illa omnia celerius cumulatiusque perfecturum, quàm Franciscum. Apostolo enim omnes Deo sacratarum societatum conditores cedere, & fasces summittere oportet. De quo si quis dubitet, pœna dignus est, nisi ipsum excuset inscitia.

Ergo nec qui Catharinam stigmaticam fuisse asserunt, eam protinus Francisco æqualem esse autumant; nec qui negant, eam illo minorem existimare debent. Quemadmodum licet beata Osanna, nostri sodalitij Tertiaria, quam Leone X. coniuente Mantuani augustè sancteque, venerantur, spineam ex carne coronam, regio diademate glorio-

C c 5 tiorem,

410 DE D. CATHARINÆ SENENSIS
fiorem, à Christo acceperit; haudquaquam
præfertur Agneti martyri illustrissimæ, quæ
plurimis & maximis à Deo cumulata fuit
beneficiis, non tamen isto. Idem prorsus de
beata Clara à monte Falcone Augustiniana
censemus, in cuius corde Iesu Christi in cru-
cem acti eiusq; suppliciorum expressa ima-
go extat, in præcordiis verò tres lapides in-
uenti fuere, qui numero atque pondere, san-
ctissimæ Triadis mysterium quasi ad viuum
(si ita loqui licet) exprimunt: ad cuius mira-
culi perennem memoriam conseruandam,
Nicolaus Quintus supremi sacerdotij mu-
nere fungens, piissimas preces cōscripsit: nec
tamen continuò eam diuo Hieronymo, aut
Petro Martyre, aut Bonaventura beatiorem
esse credere oportet. Nam gradus eius bea-
titudinis, quam Theologi essentialem vo-
cant, non ex his Dei beneficiis desumuntur;
sed ex minore, maioréve charitate: cui ex
æquo respondent luminis gloriæ & visionis
perspicuæ Dei momenta & pondera.

Præmonitum etiam lectorem volo, San-
ctos, cum omnis ambitionis expertes sint,
falsis non capi honoribus; & cum inuiden-
tia vacent, aliena felicitate gaudere. Quare
si Catharina stigmatibus caruit, haudqua-
quam volet sibi affigi: si habuit, non erit
molestum Francisco, huiusmodi laude eam
à do-

à doctis ornari; sed lætabitur potiùs seraphicam Christi sponsam ita depingi. Beatissimum igitur Patrem Franciscum, cui ego in hoc negotio primas defero, minimè offendam; si quod probabiliter sentio, dilucidè explicauero. Ipse enim tamquam egregius Pauli discipulus, qui omnes sui similes fore optabat, non modò Catharinæ, sed aliis etiam similia dona à Deo optimo maximo concessa fuisse libentissimè feret: & si nobiscum versaretur, sui que in hac parte nimium seueros ac rigidos defensores audiret, argueret eos, vt Numerorum 11. cap. sanctus Moyse Iesum Naue reprehendit: *Quid, inquit, emularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Quod de Francisco dixi, opinor etiam de eruditis & religiosis eius filiis, quorum ingens semper fuit erit que numerus. De aliis verò, si qui fortè sint, qui nec doctrina nec sanctitate polleant, ac proinde hanc felicitatem Catharinæ inuideant, nulla me cura sollicitat; quamuis minimè dubitem, me in eorum reprehensionem, velim nolim, incursum.

§. III.

QUOD autem ad illum attinet declamatorum, Episcoporum auctoritatem potestata-

testatemque sibi eum vsurpasse dico. Ipsorum enim munus est lata à Diui Petri successoribus anathemata promulgare, & excommunicatos populo denuntiare. Priuatis autem concionatoribus (nisi de iure & facto absque vlla dubitatione cōstet) nequaquam licet similia aggredi: meritoque temerarij iudicantur, qui hanc (vt vocant) iurisdictionem surripiunt. Iam verò libros semel euulgatos publicè interdicere, ad sacrum Inquisitionis tribunal spectat, nō ad vulgares concionatores: idque præsertim de libro Antonij à Pegna; cum bis excusus fuerit auctoritate Catholicæ Maiestatis, eiusque Regij senatus, qui non ita oscitanter (vt ille existimabat) libros examinari permittit. Quid? quod opus illud, simul atque editum est, dicatum fuit Archiepiscopo & Cardinali Toletano Francisco Ximeno à Cysneros Minoritæ, qui ob immaturam Philippi Regis eo nomine primi mortem omnia Castellæ regna quasi Interrex administrabat; & nostro Fr. Didaco à Deza generalis Inquisitoris munere se abdicante, supremus in eisdem regnis hæreticorum censor constitutus fuerat. Qui licet diuæ Catharinæ ita addictus esset, vt eius epistolas suis impensis, in Hispanam linguam translatas, typis mandari, ac per omnia monasteria gratis distribui iussisset:

rit:

rit: tamen si ipſius Sixti (qui ante viginti plus minus annos è vita diſceſſerat) ſanctionem vires adhuc habere putaffet, ſub anathemate prohibuiſſet librum illum legi. Quod cum vir in Theologia doctiſſimus, eccleſiaſticiq̃ iuris peritiſſimus, minimè egerit; dubitandum non eſt, Antonij à Pegna opus abſque piaculo tunc excudi, vendi, legiq̃ue potuiſſe, hodieq̃ue poſſe.

Porro ſi, vt Dialectica iubet, Turiaſonenſis ille ſibi conſtitiffet, debuiffet non modò Patrem Antonium, ſed alios etiam innumeros ſcriptores grauiffimos condènare, qui idem omnino, quod ille, poſt Sixti tempora ſcripſere. Sunt autem, Laurentius Surius Carthuſianus, cuius opera Pius ille V. ob vitam ſanctiſſimè actam meritò in numina referendus, plurimùm commendauit, Alphonſus à Villegas parte ſecunda hiftoriæ Sanctorum, Robertus à Licio Franciſcanus Epiſcopus Aquilanus in ſermone (ſi ita concionem appellari placet) de laudibus diuæ Catharinæ Senenſis, Franciſquinus Vicecomes, Minoritarum noſtræ ætatis gloria, in ſermone Paraſceues, Conſtantius Felix in hiftorica Ephemeride, Nicolaus Manerbius in vitis Sanctorum, Ioannes Pinus Tolofanus in illuſtrium feminarum Catalogo, ac demum Thomas Bozius Eugubinus in præclaro

414 DE D. CATHARINÆ SENENSIS
claro de signis Ecclesiæ opere. Nostri autem
qui id ipsum testantur, vix numerari queunt.
In quibus, post beatū Raymundum ac san-
ctum Antoninum Archiepiscopum Floren-
tinum (qui Sixtum I V. ætate præcessere)
præcipui sunt, Ambrosius Lancelotus Ca-
tharinus, cognomēto Politus, patria Senen-
sis, olim Iulij III. in ipsius adolescentia ma-
gister, postea Episcopus Minoricēsis, & tan-
dem Compſæ Archiepiscopus, in Notatio-
nibus quibus beati Raymūdi Capuani opus
locupletavit, Pater Ludouicus Granatensis
flumen orationis aureum fundens, Baltha-
sar Sorio, quo ad eluendas per Pœnitentiæ
sacramentum animi sordes Adrianus VI.
cū Dertusensis Episcopus erat, utebatur,
Guillermus Ebroicensis ac Thomas Truxil-
lus in publicis Sermonibus quos de hac san-
ctissima Virgine habuerūt, Didacus à Rosa-
rio, & Thomas à Vesac gentilis meus in eius
actis, ac denique Felix Castelfrancus, & Se-
raphinus Razius in historiis Ordinis nostri.
Hos omnes, non leui Ecclesię incommodo,
exterminari oporteret, si Patris Antonij co-
dex esset comburendus. Nec flammam e-
uaderent, tum Dominicanum Breuiarium
à Iulio I II. probatum, tum Martyrologium
nostrum Romæ excusum anno post Chri-
stum natū 1558. apud Antonium Bladium
typo-

typographum (vt aiunt) cameralem. Nam pridie Kalen. Maij sic habet: *Roma sanctæ Catharinæ Virginis. Hæc de ciuitate Senensi oriunda à Christo visibiliter annulo desponsata, dolorumq; eius & vulnerum particeps effecta, vitam ab omni mortali crimine duxit immunem.* Idem Martyrologium Chalographis datum est Salmanticæ an. 1579. præcedente iudicio, tum optimorū Patrum nostrorū Ioannis Gallo Salmantinæ Scholæ, vt appellant, Cathedratici, ac Petri Hernandez, qui Concilij Tridentini Theologi extitere, tū doctissimi viri Laurentij à Villauincenio Augustiniani, asserentis nihil non sanctum in eo contineri. Proculdubiò etiam atq; etiam bonus ille vir cogitare debuisset, cum nulli ab Ecclesia interdictum sit, ne hos libros legat, haud sibi licuisse Antonij opus damnare. In hoc tamen laudandus est, quòd nostris argumentis de sententia deductus, in frequentissima concione palinodia vsus fuit.

§. IV.

CONFIRMANDVM est igitur iam, quod de ipsarum imaginum cultoribus pictoribusq; sentimus: nimirum eos nullo ob id anathemate irretiri, nulla peccati labe contaminari, quia illud Sixti mandatum neminem

nem astringit. Cum autem Aristoteles, qui non minus docendi arte quam ingenti abundantia præstitit, doceat eos qui placitum aliquod stabiliendum suscipiunt; primum debere ostendere verum esse, ac deinde causas cur verum sit tradere: ostendam primum Sixti I V. edictum vires omnes amisisse; deinde, cur amiserit explicabo. Et quidem prorsus elanguisse hinc colligitur, quod qui anathematum indices edidere, nullam eius mentionem faciunt. non Cardinalis eruditissimus Caietanus, non Silvester Prieras Sacri palatij Magister, non Ioannes Tabienfis Inquisitor Bononiæ, non Bartholomæus Fumus hæreticorum apud Placentinos censor, non Petrus Martyr Coma Episcopus Elnensis, non denique Ioannes à Pedraza, qui omnes post Sixti mortem in sacris diris enumerandis nimij potius, quam parci fuerunt. Sed ne quisquam eos Ordinis sui amore astute hanc pontificiam legem reticuisse existimet, consulat doctorem egregium Martinum ab Azpilcueta in Enchiridio, Paulum à Palacios in scholiis ad Summâ Caietani, Paulum Borgatium Episcopum Nemouicensem de censuris, Martinum Alphonsum à Viualdo in secunda parte Aurei Candelabri, ac Ioannem Baptistam Antonutium Augustinianum in Cathéchismo Archiepiscopa-

scopatus Neapolitani, & eam minimè reperiet. Sed cur obsecro in his auctoribus recensendis immoramur? nōne vel ipsi Minoritæ illam, quasi depressam iam, & dissipatam, præteriere, velut Angelus à Cluasio eiusdem Sixti Commissarius, Ioannes Baptista de Salis, qui etiam Sixto viuo scripsit, ac Pater Alcocerius in suo libello, quem appellat Confessionarium? Cui igitur in mentem veniet tot clarissimos viros in hac sola excommunicatione dormitasse, cū in aliis non modò singillatim recensendis, sed etiam explicandis, fuerint vigilantissimi?

Vim tamen huius argumenti expendamus. Etenim Robertus à Licio (qui, vt constat ex Concione quam in diui Bernardini laudē habuit, librum Concionū post sancti Bonauenturæ apotheosim, quæ in annum millesimum quadragesimum octuagesimum secundum, edito scilicet iam illo Breui, inciderat, composuit) in Oratione de hac sanctissima Virgine, scribit non esse intolerabile ipsam illustrari signis in manibus atq; pedibus, si solū id fiat animo innuendi eam Redemptoris nostri dolores pertulisse, non tamen vt credatur eam perispicua & euidencia stigmata D. Francisci instar habuisse. Quo dicto statim multis argumentis probare contendit, id hoc sine haudqua-

D d

quam

quam fieri debere: cumque fortiùs ceteris omnibus potuisset desumere ex Sixti IV. decreto; ne tamen cupidè contra iustitiam pugnassee videretur, recens illud atque nouum, & quod maximè erat in promptu, siluit. quia videlicet intelligebat, nullis iam viribus pol- lere; fortè quia vel ab ipsomet Sixto durum iudicabatur. Accedit eòdem, quòd cum il- lis temporibus in vnum corpus coniceren- tur sacrae illaè sanctiones, quibus, quoniam extra antiquiora iuris volumina vagantur, Extrauagantium nomen impositum est, & postremus Pontifex, cuius Extrauagantes in illo referuntur, fuerit ipse Sixtus, vt patet ex quatuor illis quarum hæc sunt initia; *Cum præcelsa, Graue nimis, Quemadmodum ope- rosi, & tandem, Etsi Dominici*; hæc tamen quæ de stigmatibus agit, & omnibus illis, tertia dempta, antiquior est, reticetur: quia nimirum etiam viuentè videnteque Sixto, ac vt ego quidem reor volente, conciderat.

§. V.

CAUSAM verò ob quam antiquata fue- rit, nec iam quemquam obliget, etsi minimè teneat reddere; tamen ne quid præ- mittam, & quia id mea sponte promisi, liberaliter reddo, imò prodigè: cum non vnã tantum, verum septem in medium pro-

proferam. Vt enim sacrarum profanarumq; legum periti obseruant, totidem sunt (nisi quæ me fugiant) præcipuæ causæ quibus lex aliqua tollitur: nimirum si obreptitiè, subreptitiève (id est tacita veritate, aut suggesta falsitate) fuerit impetrata, si non sit ad iuris præscriptum promulgata, si non recepta, si eius ratio omnino cessauerit, si aduenerit tempus exceptionis positæ in ipsamet lege, si contraria consuetudine abrogetur, ac postremò si à legislatore ipso rescindatur. Et cum harum rationum quæuis ad legem antiquandam sufficeret; ad hanc abolendam, omnes quasi dato signo concurrerunt. Etenim subreptitiè obreptitièq; impetrata, neque promulgata fuit, neque recepta, eius causa cessauit, tempus exceptionis aduenit, cõmunis eam consuetudo explosit, & quod caput est, per Summum Pontificem rescissa fuit. Singulatim cuncta probabimus, si lector Aristot. pareat, qui 1. Ethic. lib. cap. 3. atque 7. non omnia accuratè subtiliterque Mathematicorum more demonstrari posse docet, sed pro subiecta materia vim argumentorum expendendam esse. A qua planè lege neque Cicero noster dissentit.

Subreptitiè impetratam dixi, quia interuentu rogatuq; procuratoris Minoritarum concessa fuit, vix auditis Prædicatoribus,

quorum erant partes pro sanctæ Catharinæ iure respondere; totaque innititur accusationi, ab illo acriter & criminose contra pios Catharinæ laudatores propositæ: quæ, præterquam quòd beati Raymundi testimonium, & Pij Papæ I I. elogium silentio inuoluit, multa falsa continebat. Afferuit etenim nostros docere, Catharinam eodè modo stigmata recepisse, quo & Franciscus, imò veriùs illo, quod proculdubiò nunquam somniauerant. Prætereà Catharinam stigmatibus caruisse probauit, quoniam Pius Secundus in publicis litteris, quibus eius in sanctas Virgines relationem testatâ esse uoluit, nullam de ipsis mentionem fecerit. Quo argumento, si quid firmitudinis habuisset, probaretur etiam nec Franciscum illa recepisse; quoniam Gregorius IX. in litteris, quibus ipsum cælitibus aggregatum fuisse pronuntiat, ne semel quidem ea nominauit. Addidit denique, Patres Minores non cœpisse diuum Franciscum ea forma depingere, donec à Romano Pontifice id fuit permissum, ut ex variis Apostolicis decretis manifestè constabat; quorù similia quia nondum pro imaginibus Catharinæ impetrata fuerant, iure illas delendas esse. Et tamen si accuratè legantur omnia Pontificia scripta, quæ de diui Francisci plagis agunt, perspicuum

cuum fiet, pios eius sectatores non obtinuisse prius peculiarem facultatem ad illum ita pingendum; quin potius ex eisdem apparebit, ut primum in Sanctorum album illatus fuit, eius imagines eiusmodi notis insignitas populo fuisse propositas: & cum quidam rei nouitate permoti, ipsos reprehenderent, Gregorium IX. & Alexandrum III. respondisse, eos nequaquam temerarios fore iudicandos, quandoquidem Franciscus stigmata habuerat. & ne innuunt quidem illos impetrata à Sede Apostolica potestate id aggressos, cum nulla ratione aptius defendi potuissent, quam ex illa, si concessa fuisset, facultate. Falsa igitur narratione criminationeque, bonus ille procurator censuram impetrauit, aut extorsit. Itaque legis & censurarum fundamenta, tamquam in aqua posuit. Quod quoties vsuuenit, libenter Pontifices suas leges, tamquam non ritè rogatas tollunt; easque minimè obseruari, aut pœnas in eis præscriptas nequaquam infligi, haud grauatè ferunt.

De promulgatione autem nil est quod timeamus, quando nec in antiquis Ecclesiarum tabulariis reperitur, eam in quoquam Episcopatu fuisse promulgatam; nec positam videamus in corpore Iuris, ut alias Sixtinas leges, nec ab iis, quos populari voca-

bulo Summistas nominamus, relatam.

Præterea non fuisse, aut esse usu receptam, ex eo intelligi potest, quòd vbique gentium apud laicos & clericos, tam sæculares quàm omnium pænè Ordinum Professores, ac præsertim Carthusianos (quos beata Catharina vehementer dilexit) veteres atque noue eius imagines, cum huiusmodi notis comperiantur. Nec vllus prudens sacerdos interrogat eos, quorum exomologesim audit, num penes se eas habeant: & si habeant, ob eam solùm causam eis absolutionis beneficium denegat. Frequentiùs verò reperiuntur in Ordine Prædicatorũ, qui perpetuò Apostolicæ Sedi ad nutum obsequens fuit: quod cum multis argumentis probari possit, hoc erimus contenti vno. Celebrato enim sacro Tridentino Concilio, pleriq; Ordines multa, & quidem Ætna ipso grauiora onera sibi fuisse imposita querebantur; nostra verò Sodalitas generalia comitia Bononiæ sub Patre Vincentio Iustiniano, postea pro suis in Ecclesiam meritis in Cardinalium ordinem cooprato, celebrans, non modò conquesta non fuit, sed leges edidit tanta erga sacrum Concilium reuerentia, tanta obseruantia, tantaque pietate, vt Illustrissimi Cardinales ad Oecumenicæ Synodi dubia explicanda designati, eas quibũsdam Ordinibus, tamquam

quam speculum & exemplar quod ipsi in
condendis sanctionibus imitarentur, propo-
suerint. Sed ad controuersiam redeamus.
Senis in Ecclesia sancti Dominici, cui à
campo Regio nomen est, vidimus elegan-
tem huius Diuæ effigiem cicatricibus orna-
tam, & Pium II. digito eam indicantem,
ac ita alloquentem:

*Vulnerum formam miserata Christi
Exprimis ipsa.*

In publicis quoque supplicationibus, eius-
dem Virginis sodales, vexillū deferunt eius
stigmatica forma insignitum. Quin etiam
in eadem ciuitate summa religione serua-
tur sacrum illud Iesu Christi simulacrum,
ante quod Pisis orabat, quando stigmati-
bus donata fuit.

Quàm autem efficax argumentum pe-
tatur ex piorum hominum usu & consue-
tudine, circa legum Pontificalium obserua-
tionem, perspicuè agnoscitur ex diuo Anto-
nino, sui æui Theologorum Iuris peritissi-
mo, Iurisq; peritorum (vt temporibus illis)
Theologiæ scientissimo, cùm de alio quo-
dam Calixti III. præcepto suam exponit
sententiam tertia Historiarum parte, tit. 24.
cap. 12. non procul à fine.

At præteriisse legis Sixtinæ causam, ne-
mo ambigat; quoniam eam ipse Pontifex

conditam esse ait ad discordias exterminandas : illæ autē iam penè conticuerunt, quoniam ferè omnes docti Franciscani, rei veritate perspecta, & quotidiano earumdē imaginum aspectu, mitiores effecti, suorum animos bonis rationibus deliniunt. Nec desunt qui ingenti gaudio easdem effigies completantur, vt egit beatus Pater Nicolaus Factor Valentinus, columbina vereque Franciscana mansuetudine clarus, cum in nostro cubiculo earum vnā Romā aduectam conspexisset. Quòd si, vt fit, illitteratorum quicquā æmulatione percitus exandescat, non poterit graues in populo discordias excitare. Etenim cum post sacrum Concilium Tridentinum magna sit Episcoporum in his discernendis auctoritas, facile huius generis turbulenti homines compescuntur, præsertim in Hispania ; cuius Inuictissimus Rex statim iubet, pacis turbatores à suis Prælatiis haud leuiter puniri. Valentia mercatorem quemdam duo Monachi, tamquam à fidelium communione segregatum, acerbè nimium & imperiosè obiurgarunt, quòd similes imagines venderet ; sed ab Archiepiscopi vices gerente grauissimè reprehensi, ne hiscere quidem postea ausi sunt. Quòd etiam in quouis alio Episcopatu fieri poterit. Iam verò præcipua illius mādati causa fuit,

ne quisquam putaret Catharinam stigmata, quæ oculis cerni & manibus cōtrectari possent, recepisse; quemadmodū beatus Franciscus. Sed hic error metuendus non est, cum disertissimis verbis nostri aliud doceat. Cum itaque recesserit iam generatim legis causa, nihil superest cur ea adhuc constringamur, ut in aliis & quidem multò grauioribus legibus experimur. Iusserat olim Adrianus Papa I. cap. Sextam, de consecratione, dist. 3. ne humani generis reparator ut agnus depingeretur: quod etiam habetur in sexta Synodo generali, canone 82. notatque ibi auctor Summæ Conciliorum, tunc etiam præceptū fuisse, ne vllus Spiritum sanctum ut columbam pingeret. In Concilio quoque Niceno secundo actione 4. & 5. laudatur beati Germani sententia, Patrem non esse pingendum, sed Christum quia homo est. Quam opinionem sequi videtur B. Damascen. lib. 4. Fidei orthodox. ca. 17. & S. Augustin. cap. 7. lib. De fide & symbolo. At quid vilitatis obsecro est, quàm Christum ut agnum, Spiritum sanctum ut columbam, & Patrem ut grauissimum senem, vulgò spectandos proponi? Num eos qui ita diuinas personas efformant sceleris arguemus, ut faciunt improbi Lutherani? Minimè verò. Quin potius laudem coram optimo & ma-

D d 5 ximo

ximo Deo, hominibusque, mereri profite-
 mur, cum ex plurimis sanctorum Patrum
 testimoniis (quæ quando cum Catholicis
 agimus recensere non oportet) constet eas
 imagines in summo honore & veneratione
 perpetuò habitas fuisse: & Ecclesia Roma-
 na, quæ columna & firmamentum est veri-
 tatis, cereas Agni figuras, quarum multæ dia-
 dema Saluatoris, & quinque vulnera in pe-
 ctore & pedibus habent, benedicere, & tam-
 quam sacra amuleta nobis tradere soleat.
 Quid igitur ad illa Sanctorum testimonia
 respondebimus? dicemus planè, illis tem-
 poribus ad vitandas hæreses Anthropomor-
 phitarum, & aliorum quorundam perduel-
 lium, qui Ecclesiam Christi aperto Marte
 vexabant, id fuisse præceptum. Extinctis
 verò illis, absque vlllo nouo decreto quod il-
 la priora tolleret, potuisse, ac posse Patrem,
 Spiritum sanctum, & Filium ita efformari.
 Quemadmodum etiam in quibusdam sa-
 cris vocabulis contigit. Nam ex sexto ana-
 thematismo quinti Concilij Constantino-
 politani, & ex sexto etiam anathematismo
 edicti Imperatoris Iustiniani, atque ex Eua-
 grio cap. 2. lib. 1. tandemque ex Ioanne Da-
 masceno cap. 12. lib. 3. De fide Orthodoxa,
 compertum habemus Ecclesiam tempore
 quo Nestorij hæresibus impetebatur, non
 admo-

admodum probauisse, Redemptoris nostri matrem vocari Christotocon, sed Theotocon; quamuis sciret vtrumque nomen illi aptissimè conuenire. Sicut enim Redemptor ipse, verè est Deus, verè est Christus; ita quoque cæli Regina Theotocos est, & Christotocos. Quo nomine illam appellamus in perdulci illo versiculo: *Sancta Maria, mater Christi, audi rogantes seruos.* At Nestorio in tartara demerso, eiusque sopitis, vel potius iugulatis erroribus, non oportuit docere populum, Mariam posse appellari Christotocon. Ad eundem ferè modum, cum vix nunc cuiquam in mentè veniat, diuam Catharinam eo modo gestasse vulnera quo Franciscus, iam absque vlllo scrupulo ita potest depingi. Sed dices: Saltem aliquis imperitus falli potest, conspectis beatæ Catharinæ stigmatibus. O grauissimum & firmissimum argumentum! quasi verò qui nunquam sacris concionibus interfuit, nec vllum cum viris doctis commercium habent, visa Patris cælestis imagine, suspicari non queant, eum esse hominem; & tamen nemo Catholicorum, ob id sanctæ Trinitatis figuram condemnat.

Age verò, tempus exceptionis legis, nimirum nisi Pontifex facultatem concesserit, aduenisse dubitabimus, cum non modò

in Italia & Hispania, sed in Gallia etiam atque Flandria, & aliis Germaniæ Episcopatibus, in quibus adhuc Romanæ Ecclesiæ dogmata piè & religiosè coluntur, tales imagines venales habeantur, & ab eiusdem Virginis cultoribus honorentur? Quin etiam in Peruana Mexicanâque regionibus, & in toto Orbe nouo, idem fieri audiuius, ex integerrimis & religiosissimis Patribus, Ioanne de la Iust, & Augustino Auila à Padilla, viro eloquentiæ laude præcellenti, cum ad generalia Ordinis nostri comitia in hanc Valentiam domû anno præterito conuenissent. Id autem minimè fieret, nisi Pontifices Maximi tacitè vel expressè consensissent: præsertim cum Pius ille V. cuius egregiè factorum nullis sæculis est interitura memoria, tam ante Pontificatum quàm in ipso Pontificatu, frequētissimè eas viderit, & Sixtus V. Franciscanus, qui à puero multis in locis easdem conspexerat, & nostrum hoc opusculum dum Cardinalis esset perlegerat, facileque tam illas, quàm hoc, in Apostolici gradus culmine constitutus à tota Ecclesia repellere potuit, nil minùscurauerit. Doctissimorum autem vtriusque Iuris consultorum constans sententia est, quãuis non omnia quæ à Christi Vicario tolerantur, sint concessis habenda; in iis tamen quæ merè
sunt

sunt contra ius Ecclesiasticum, estque facile ipsi & expeditum, populum corrigere aut reprehendere, & minimè reprehendit, eo ipso censendum esse eum consensisse. Quod ni ita esset, non possent Theologi à piaculo vindicare, multa quæ fiunt contra decreta antiqua, de quorum abrogatione nullè omnino litteræ extant, & ex sola spontanea & plenè libera Summorum Pontificum taciturnitate, absque vlla dubitatione rescissa esse creduntur. Nam Paulus Borgatius in tractatu de Irregularitatibus, titulo de Decimis, ait, consuetudinem à Pontificibus toleratam, secum ferre dispensationem, quamuis ipsi non dicant se dispensare: idque confirmat Hostiensis testimonio in Summa, & Cardinalis in cap. A nobis, de Decimis.

Quæ cum ita sint, dubitandum non est, Sixti IV. sanctionem, contraria & magno temporis interuallo corroborata consuetudine abrogatam fuisse. Ac mirum est valdè, innumerabiles leges positas in volumine Iuris, quæ olim promulgatæ receptæque fuerant, & maximam Ecclesiæ utilitatem adferebant, vt de sacris quibusdam ritibus ac cærimoniis, de ieiuniorum fetuera obseruatione, de publicis priuatisque criminum pœnis, de Episcoporum, Monachorum, Clericorumque eximia sanctimonia, & id ge-

nus

nus aliis, potuisse consuetudine contraria aut aboleri, aut mitigari, ut videre est apud Pontificalis iuris interpretes, & Summistas; contrā autem non desunt qui permolestè ferant, hanc Sixti IV. legem, quæ illarum comparatione de re planè tenui lata videtur, per contrariam, & quidem generalem consuetudinem abrogari, cum nec satis fuerit promulgata, nec vsquam recepta, Summis etiā Pontificibus conuiuentibus. Nam Sixto viuente, populus eam minimè recepit; & eius successores, sin minus contrario decreto, aperta saltem, ac voluntaria diffinitione, taciturnitateq; ipsam deleuerūt.

Hinc tandem sequitur, eam palàm vel occultè, seu, ut scholæ Doctores loquuntur, formaliter aut virtualiter, fuisse à Summis Pontificibus obliteratam; nolleque ipsos, ut quemquam nostra ætate obliget, cum tales effigies, etiam Romæ, vnde longè lateque diffunduntur, publicè depingi, haberi, ac vendi, volentes scientesque permittant.

§. VI.

CETERVM postquam hæc annis superioribus prælo subieceram, missæ sunt ad me ex Romana curia, atque ex Archiuo cœnobij nostri Cæsaraugustani, duo exempla.

plaria derogationis huius, quæ nos torquere posset, Sixtinæ. Ipse enim met legislator censuras in ea contentas reuocat, & vt eius verbis utar, prorsus annullat, & cassat, datis ad Ordinis nostri Præpositum maximum litteris, quas totidem verbis in hunc locum transtuli.

DILECTO FILIO
LEONARDO DE PERVSIO
S. THEOL. PROFESSORI
ORDINIS PRÆDICATORVM
GENERALI MAGISTRO
SIXTVS PAPA IV.

DILECTE fili, Salutem & Apostolicam benedictionem. Olim tua deuotioni commissimus, vt in tui Ordinis Capitulo generali, quod nuper celebrastis apud Perusiã, in proximè præterito festo Pentecostes, cum Definitoribus, Prioribus, & Patribus dicti Capituli maturè & consultè deliberares, quid in factò stigmatum sanctæ Catharinæ de Senis, pro tuenda pace, inter Ordinem Seraphici Francisci, & tuum, foret agendum; suspendens interim omnia pœnalia, quæ in Bulla per nos contra quosdam super hoc edita sub
datis

432 DE D. CATHARINÆ SENENSIS
datis Romæ apud sanctum Petrum anno
M.CCCC. LXXV. VIII. Kal. Augusti, Pontifi-
catus nostri anno IV. contineri dicebantur,
quæ quidem Bulla incipit: Licet dum mili-
tans in terris. Tu verò veluti sanctissima
Sedis Apostolicæ, & salutaris obedientiæ fi-
lius, sicut semper fuit tuus Sacratissimus
Ordo, in ipso Perusino vestro Capitulo ge-
nerali, maturo & longo habito consilio, su-
per hac re, nobis exposuisti, ex parte tua &
omnium Definitorum, qualiter vos statuistis
sub grauißimis censuris & pœnis, ne de ce-
tero sancta CATHARINA cum stigmatibus
depingatur, nève de eius stigmatibus fiat
verbum aut sermo, vel predicatio, ad tol-
lendam omnem scandali occasionem; & hanc
ipsam vestram ordinationem, tam Generali
ordinis Minorum, quàm aliquibus Prioribus
ipsius Ordinis ostendistis, quam minimè re-
spuerunt. Quare tuam & tui Ordinis obe-
dientiam laudantes & approbantes, hor-
tamur te & tui Ordinis vniuersos fratres in
Domino, vobisq; omnibus districtiùs pra-
cipimus, vt quæ in vestro Capitulo genera-
li benè & optimè ordinastis, obseruari in-
violabiliter studeatis. Nos autem de gratia
speciali, omnia pœnalia contenta in dicta
Bulla suprâ nominata, nunc votu proprio,
& ex certa nostra scientia cassamus & re-
uoca-

uocamus & annullamus; & nolumus, quòd dicta pœnalia in eo contenta aliquem in aliquo obligent, vel astringant: *in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.*
Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia Octobris, anno M. CCCC. LXXVIII. & Pontificatus nostri anno VII.

Relinquitur ergo, nullum iam laicum aut clericum, aut alicuius sodalitij (nostro dempto, de quo postea agemus) Professore, vlla prorsus Sixti IV. censura ligari; quamuis vel imagines ipsas pingat, aut habeat, vel Catharinam stigmatibus à Christo condecoraram fuisse in concione afferret.

Deinde verò inter nostri Ordinis priuilegia, Venetiis opera Lazari de Soardis anno Domini M. D. VI. ab Alberto Castelano Veneto peruulgata, habetur aliud Innocentij Papæ VII. Edictum, anno M. CCCC. XC. die VI. Iulij datù ad Ioachimum Turrianum Ordinis Prædicatorum generalem Magistrum; in quo sub excommunicationis pœna vetat, ex imaginibus beatæ Catharinæ, vsque ad illum annum, tam antequàm post decessoris sui interdictionem, depictis, vulnerum notas expungi, vel deleri. Eas enim vult, imò iubet, factas tectas conseruari. In posterum autem minatur à

Ee

piorum

piorum communicatione repellendos, qui eas depingerent, usque dum per ipsum liceret. Minatur dixi tantum; quia nullam sententiam fert, aut (ut Canonum interpretes loquuntur) nullum latæ sententiæ anathema transgressoribus suæ legis imponit. Non enim quemquam percutere voluit, sed terere solum, donec Catharinæ imaginum reprehensores sensim mitigarentur.

At dicet quispiam in priori Sixti diplomate duo contineri: præceptum scilicet, & censuras, quæ Catharinæ stigmatum defensoribus, aut pictoribus imponebantur. & quidem censuras per hanc posteriorem fuisse oblitteratas; præceptum verò adhuc persistere, sicut & Innocentij VII. minas, quoad imagines, quæ post annum M. cccc. xc. pictæ sunt, aut depinguntur. Nostamen vno verbo respondemus, plerosque titulos ex septem quos antè recensuimus, si rectè illi expendantur, eodem modo quo Sixti censuras elanguisse conuincunt, cumulatissimè probare, nec eius præcepto nec Innocentij interdictione quemquam astringi, ut quilibet in Dialectica mediocriter versatus intelliget.

§. VII.

436 DE D. CATHARINÆ SENENSIS
nus Primus scribens ad Carolum Magnum,
recipiturque in cap. Perlatum, de consecra-
tione, distinctione 3.) docet, imagines esse
libros illitteratorum. Quam doctrinam am-
plectitur quoque sacrum Concilium Tri-
dentinum sess. 25. cap. 2. Octava præterea
Synodus generalis, tam affinem putauit do-
ctrinam picturæ, vt cap. 7. actionis 10. simul
cauerit, ne hæretici docerent, & ne pinge-
rent in locis sacris. Euidens planè signum,
picturam esse doctrinæ & scripturæ cogna-
tam. Si ergo scriptores & concionatores, ab-
que vilo prorsus cōscientiæ angore aut pon-
dere, de stigmatibus Catharinæ scribere ac
verba facere potuerunt, non secus quàm si
propriis luminibus omnium præceptorum
ac minarum abrogationem legissent, cur so-
lis pictoribus atque statuariis religionem in-
iiciemus? præsertim cum doctissimus vir
Melchior Cano Episcopus Canariensis lib. 9.
De locis Theologicis cap. 5. scribat Six-
tum IV. Catharinæ stigmata minimè ap-
probasse, sed alium Pontificem ea recepisse;
id verò ab aliquo ex proximis Sixti & In-
nocentij successoribus propterea factum cre-
dimus, quia, vt postea dicemus, & rei veri-
tatem planè agnouit, & difficile existimauit
cognitu, quæ imagines ante annum M, cccc.
xc. & quæ postea depictæ fuissent.

§. VIII.

§. VIII.

FIRMIORI præter ea argumento probabimus, Sixti decretum (quod aliqua ex parte Innocentius renouauit) omnes omnino vires amifisse. Nam quod de diua Catharina nominatim prohibet, vetat expresse de quibuscumque Sanctis, excepto Francisco. Et tamen, non solum vniuersæ Ecclesiæ consensu, decem Martyrum millia, cum quinque truentis plagis merito depinguntur, sed plurimi diuinarum & humanarum rerum peritissimi scriptores (quorum indicem subiiciemus) non paucos cælites stigmata habuisse scripserunt, lata iam Sixtina lege. Quo fit vt præterire hoc loco debeam tam Dionysium Richelium Carthusianum, virum sanctissimum, & ecstaticum, qui admirabilem Christi ancillam nomine Christinam, se viuo, hoc cælesti dono à diuina bonitate, quam persanctè colebat, perspicuè dotatam fuisse, prodit Sermone 6. De sacra Eucharistia suscipienda; quàm etiam Ioannem Brugmanum Minoritã, qui beatam virginem Lydvvinam eiusdem cælestis doni nequaquam expertè fuisse refert ca. 3. lib. 3. vitæ ipsius, quam in septimum de Sanctorum historiis volumen Surius conie-

cit. Nam cùm ambo vetustiores Sixto fuerint, nil iuuant ad eius legis abrogationem demonstrandam. Iuuabunt autē plurimū, quos iam enumerabimus testes, & quidem idoneos mea sententia. Sanctam Gertrudim Oestensem quinque plagas ita luculentas recepisse, vt palàm sanguinem, nullo prauo humore permistum, crebrò profunderent, prodit Laurentius Surius tomo 7. De vitis Sanctorum, die 6. Ianuarij, Beatam quoque Osannam, quam Mantua religiosè veneratur, præter sertum spineum, quo diuinitus redimita fuit, stigmata pertulisse tradunt, eiusdem illustris beneficij testes & conscij Hieronymus Mantuanus Montis Oliueti sacerdos, & Franciscus Siluester Ferrariensis, interpres operis D. Thomæ contra gentes, qui paucis ab eius morte elapsis diebus aut mensibus inclyta eius facta conscripserunt. Inter Batauos etiam, in oppido Delft, anno circiter M. CCC. XLIV. piam quamdam mulierem (cuius nomen non proditur) stigmata in manibus & pedibus habuisse, narrat auctor Fasciculi temporum, quem aut Carthusianum aut Carmelitam fuisse probabilibus argumentis ductus coniicio, & quod magis mirere, vno post latam legem anno, dum Sixtus ipse rerum potiretur, opus illud edidit. Sanctam insuper Gertrud.

trudim, aliam à superiore, eadem insignia
in corde accepisse, memorat Ludouicus
Blosius Abbas Lætiensis in Monili spiritua-
li, cui astipulatur Franciscus à Ribera, glo-
riosa memorabilisque virtutis viri Ignatij
Loiolæ sectator eruditissimus, capite vnde-
cimo lib. 1. actorum beatæ Teresæ Carme-
litæ. Sancta item Elizabeth de Spalbehec,
durissima quæ pro nobis Christus pertulit
supplicia, assidue cum lacrymis recolens,
magnum atque amplum pij mœroris præ-
mium accepit, vulnere in manibus, pedibus,
atque latere; ex quibus recentissimus cruor
plerumque manabat, Feriis maximè illis,
quas Ecclesiastico vsu sextas nuncupamus,
auctore Blosio in eodem Monili cap. 2. Se-
raphinus præterea Caualli Brixienfis, totius
Ordinis Prædicatorij moderator, qui post
Pauli I V. obitum à seditiosis sanctæque In-
quisitionis aduersariis malè tractatus, san-
guinem pro sacro illo Magistratu (cui tunc
inferuiebat) profuderat, in Hispaniam ve-
niens, peculiari edito opusculo, nos de bea-
tæ Stephaniæ Soncinatis stigmatibus certio-
res fecit. At maiora de beata Lucia Nar-
niensi, cuius corpus Ferrariæ in eminenti lo-
co eleuatum est, non modò Hippolytus
Cardinalis Estensis Mediolani Archiepi-
scopus, & Hercules Estensis Ferrariæ Dux,

Ee 4

qui

qui eiusdem cum in ecstasi posita esset vulnera contemplati fuerant, & profluentem sanguinē collegerant, ac minimè putrescentem seruauerant, attestantur; sed & nostra beata Columba Reatina, quæ Pij Papæ V. facultate Perusij à suis Monialibus propria oratione colitur, non semel retulit, diuaque Osanna innuit, teste Hieronymo Montolietano. Obiit verò Lucia Pauli Tertij Pontificatu anno M. D. XLVI. cum stigmata supremum Ecclesiæ sacerdotium obeunte Alexandro V I. recepisset. Verumtamen occulto Dei iudicio, quadraginta ferè annis, tam plagis quàm miraculorum operatione destituta, vt amens, imò vt fallax & dolosa, à doctis & indoctis habita fuit: donec sex ante obitum mensibus, nouis miraculis illustrata, pristinam sanctitatis opinionem, cum plagis, quasi postliminiò domum reuertentem, recuperauit. Illud enim quod bonis magno solatio est, cum impiorum criminatione à iustis proteruntur, negare minimè conuenit, Deum immortalē sic suos nonnumquam ad tempus tractare, vt ad rerum humanarum ludibrium, etiam probis & piis improbi videantur. Id quod non modò olim in beato Iob, & multo post in diuo Petro martyre Inquisitore Mediolanēsi cernere licuit, verum etiam post mille & quadringin-

dringentos à virgineo partu annos in Ioanna Tullensi, & Eustachia Paduana: quarum prior boni cuiusdam spiritus monitu, diuinaque virtute incitata, plurimas de Anglis victorias reportauit, & à durissima illorum feruitute Galliam eripuit; sed tandem in eorum potestatem redacta, non vita solùm, sed bono quoque nomine multata, vt magicæ superstitionis rea, ab Antistite Bellouacensi combusta fuit, reclamante Ioanne Magistri ex Prædicatorum Ordine generali Inquisitore. Qua infamia viginti sex plus minus annis, post mortem, puella inclyta laborauit, laboraretque etiam nunc, nisi Callisti Tertij Romani Pontificis auctoritate, eius innocentia, & aduersariorum fraudes, immanisque sæuitia, detectæ fuissent. Cuius præclarissimi Iudicij autographa instrumenta in maiori Lutetiæ phano ad perpetuitatem seruantur. Qua de re legendi sunt Æneas Siluius in Europa, Gobelinus Pij Secundi historicus libro 6. Iacobus Meyerus in Flandriæ Annalibus, Ioannes Mariana Iesuita subtilis & elegans scriptor libro vigesimo De rebus Hispaniæ cap. vltimo, & Papius Massonus in Annalibus Franciæ libro quarto, vbi plurimos eiusdem præclarissimæ Virginis defensores laudat. Posteriores verò Paduanus Episcopus aliique docti

viri carceri vt veneficam addixerunt, quem admodum Ioannes Molanus, pius sanè auctor, Vsuardi Martyrologium augens, die 3. Februarij in eiusdem Virginis cōmendationem scribit. Sed ad id quod nobis propositum est reuertamur. Diua Helena Vngarica præstantis sanctimonix femina & D. Margaritæ Vngariæ Regis filix (cuius vitam Surius tomo primo habet) magistra, eisdem plagis compuncta fuit, vt Leander Bononiensis & Felix Castelfrancus litteris consignarunt. Iustorum quoque memoria dignam Mariam virginem ab Aiofrin Toletanam, cuius ossa in monasterio Cislano celeberrimi Ordinis Hieronymiani iusta veneratione asseruantur, vulnus minimè putridum, aut tumens, sed mundum in latere sinistro habuisse, asserunt locupletissimi testes Alphonus à Villegas tomo 3. & Gratianus à Berlanga Notarius Apostolicus, & à sacello Regina Catholica Isabellæ. Patrem verò Ioannem Grayum Scotum martyrem Minoritam diui Francisci stigmata in pedibus gestasse narrat Thomas Bonchirus Anglus eiusdem Ordinis Monachus: quæ vidit, in Anglicanam historiam contulit. Pænè oblitus fueram optimæ illius virginis Mariæ à sancto Dominico, quæ trigésimo tertio ætatis anno exacto, cum adhuc nostri

nostri Ordinis tirocinia in religiosissimo
diuæ Mariæ apud Vaenam monasterio age-
ret, in eum locum migravit, vbi perenni fe-
licitati sedes est cõstituta. Ab infantia enim,
parentum, quos haud ignobiles habuit,
Christiana educatione ac disciplina, diuinis
obsequiis mancipata, atque in adolescentia,
tum à Iesuitis, tum à nostris, piissimè insti-
tuta, exiguo vitæ curriculo in eam sanctita-
tis magnitudinem progressa est, vt in tota
ferè Bætica tamquam Deo charissima ha-
beretur, vt erat; & postquam animam egit,
eius corporis venerandi causa, ex vicinis
populis incredibilis gentium concursus fa-
ctus fuerit. Hæc, præter alia rerum omnium
conditoris beneficia, Christi doloribus in
capite, in corde, in manibus atque pedibus
cruciabatur, ad eum modum quo diua Ca-
tharina Senensis. Eius autem vitam admi-
randam, egregia facta, mortem piissimam,
& exequiarum celebritatē, primùm in ma-
nuscriptis codicibus legi, deinde typis ex-
cusa vidi, ac meritò dicata Annæ à Cardo-
na Comitissæ Teuarensi, Marchionissæque
Ardalensi, quæ ipsam vt viuentem, sic etiam
mortuam quasi patronam habuerat, ho-
dieque habet, quemadmodum & eius con-
sanguinei, fraterque præsertim Sessæ Dux:
qui quanta eam pietate prosequerentur,
incero-

mœrore simul ac pompa funeris indicarunt.
 Libet autem hoc loco superiorum testium
 astipulatorem, & quasi vadem aduocare
 Thomam Bosium, variæ lectionis eximii-
 que iudicij virum, in eo opere quod De si-
 gnis Ecclesiæ Dei Gregorio XIV. ac Inno-
 centio VIII. consecrauit. Ipse enim Romę
 scripsit, & cum inter ingeniosissimos curiæ
 Doctores, præcipuè autem suæ perillustis
 Congregationis Oratorij presbyteros, diu
 versatus fuerit; nequaquam in lucem pro-
 tulisset, quæ vel tantillum Sedis Apostolicæ
 iudicio voluntatiq; aduersarentur. Eius igitur
 expressa verba referam, lib. 1. cap. vlt. ait:
*Cor ego Clare virginis vidi omnibus Chri-
 sti passi insignibus, quamuis antiquitas non-
 nihil eis detraxerit, in sculptum. lib. 9. cap. 8.*
Dedit Dominus, inquit, aliud admirandum
*corporibus Sanctorū. Multis namque claris-
 sime stigmata impressit, vt sancto Francisco.*
 lib. 12. cap. vltimo, ita habet: *Lucia Nar-
 niensis virgo sacris Iesu Christi stigmatibus*
fuit insignita. Demum cap. 3. libri quinti-
 decimi sic scribit: *Idem contigit (egerat au-
 tem prius de beati Francisci stigmatibus)*
sanctæ Catharina Senensi virgini eximia,
Helena virgini Hungarica, quæ fuerunt ex
*Ordine sancti Dominici, Gertrudi ab Oo-
 sten, & Lucis virgini Narniensi tempore*
Alexan-

Alexandri V I. Hæc ille. Et tam hoc loco quam lib. 12. cap. vlt. à Summo Pontifice de ipsius Lucie stigmatibus diligenter inquisitum esse, & vt dicebatur sic fuisse compertum, summa cum laude memorat, asserens se eius rei publica instrumenta Romæ vidisse. Ne autem oscitanter & aliud agens ista referre existimaretur, inter Ecclesie Dei signa, de quibus ex professo agit, hanc stigmatum Christi communicationem, vt quinquagesimum nonum signum recenset: tantum ab aduersa sententia abest.

Facebant igitur, qui alium neminem, nisi Patrem Franciscum, huiusmodi notis à Redemptore nostro exornatum fuisse contendunt (quod neque Sixtus neque Innocentius affirmauerant) & qui autumant, eos qui alium quemuis cælitum stigmatibus donatum fuisse scribunt, à fidelium consortio explodendos. Quis enim credat tot pios religiososque Doctores Innocentij aut Sixti decreta, nisi iam illis aut eorum successoribus conniuentibus exaruisent, ausu temerario violasse? quod si ipsi ita inconsiderati fuissent, minimè effugissent Antistitum Inquisitorumque animaduersionem, nec per sacri Palatii Magistros ea opera Romæ excudere ipsis licuisset. At integerrimi illi iuris & religionis vindices, eos minimè arguerunt, quin potius

potius

potiùs facultatem ad ea opera euulganda libentissimè concesserunt, idque Romæ: sciebant igitur nullam iam superesse vel parua saltem dubitationis causam, de legum illarum abrogatione, que ea abrogatio uspiam, siue nusquam extet. Et verò incredibilis arrogantia est, Roma vidente, tacente, consentiente, aut saltem quod agitur minimè prohibente, quoddam hominù genus perpetuò nobis obstrepere, & quotidianis querelis Hispaniæ Antistitum aures obtundere.

Quod de Sixto ac Innocentio erga omnes dixi, dictum etiam puta de congregationis Perusinae decreto, circa nostræ societatis homines, in quos certum est ferè omnes illos septem titulos conuenire: vt interim taceam cuncta comitorum generalium præcepta, & sacras diras, nisi per duos generales conuentus proximè consequentes approbentur, expirare, finita illorum comitorum auctoritate, quæ solùm vsque ad proximam vniuersalem congregationem viget: vt in prologo Constitutionum nostrarum Thomas à Vio Caietanus, multæ & reconditæ doctrinæ laude clarissimus, cùm totius Prædicatorij Ordinis præfecturam gereret, Iulij II. auctoritate decreuit. Itaque omnes generalium (vt vocant) Capitulorum, quæ in illam diem celebrata fuerant, censuræ atque

atque præcepta, in iisq̄ue Perusinae congregationis anathemata atque mandata, volente Iulio Secundo euanuerunt. Quare quod in earumdem Constitutionum Glossa, tum in Prologo littera P. tum cap. 9. distinctionis secundæ, ex Generali conuentu Castrensi de præceptorum & anathematum siue execrationum perenni duratione dicitur, ad antiquiora tempora, id est Vincentij Bandedelli magistratum, referri debet; ac proinde nihil omnino, etiam nobis, restat quod formidemus. Nam si vllum adhuc restare scrupulum, Iulius II. Sixti ex fratre nepos, & ab eo in Cardinalium numerum ascitus, intellexisset, cum teste Panuino, in Purpuratorum Patrum collegio, quatuor eiusdem Sixti cognatos, in iisq̄ue vnum Franciscanum, præter duos alios Minoritas, qui plurimum apud collegas gratia & auctoritate valebant, haberet, simul cum alio Innocentij Octaui nepote (qui omnes, obiecto scrupulo, facile in vnam sententiam iissent) contra autem, vt est humanarum rerum vicissitudo, nullus in supremo illo Senatu ex Predicatorum Ordine tunc inueniretur, qui Catharinæ causam suscipere aut pro ipsa intercedere posset, proculdubio illius imagines vulneribus consignatas pingi, sculpi, vendi, retineri vetuisset. Sed veritatis & iustitiæ

stitione euidencia persuasus, eas sciens prudens-
que permisit. Nimirum quia & suo & Ale-
xandri V I. tempore perspicue explorauerat,
verè accidisse in sacris virginibus, Stephania,
Lucia, atque Osanna, quod pridem de Ca-
tharina in cōtrouersia positum fuerat. Hinc
effectum reor, vt Minoritæ oportunitum &
domesticum iudicem, & tamquam ipsum
Sixtum Quartum in hanc lucē reuocatum,
nacti, nostros in ius iterum vocare nolue-
rint, ne periculosi videlicet belli aleam sub-
irent, iudice iam & consiliariis optimè ab
æterna sapientia, & rerum experimento in-
structis. Alioquin enim tantam victoriæ adi-
piscendæ opportunitatem, è manibus elabi
minimè permisissent.

Sed instabunt tandem, atque nos vehe-
menter vrgebunt: Si diua Catharina non
habuit stigmata, quæ possent videri, cur ei
perspicua à pictoribus tribuuntur? At Deus
quà Deus est, & Angeli quoque, corporum
expertes cum sint, effinguntur quasi corpo-
rei. Nam quæ sub aspectum cadere non pos-
sunt, nequeunt penicillo exprimi, aliter quàm
si essent spectabilia. Animus certè, qui cor-
pore vacat, si ex hac lugubri vita in cælum
emigrans est depingendus, necessaria est cor-
poris lineamentorum conformatio. Idem
pro diuæ Catharinæ stigmatibus responderi
posse,

posse, Robertum à Licio auctorem habeo. Sed iam cur nobis vitio dant, quod sibi in B. Francisci plagis depingēdis licere putant? Nam nec illi ea ratione vulnera inflictā fuerunt, qua frequentius depinguntur. In latere enim patulum foramen habuit, ex quo sanguis nonnumquam decurrebat: in manibus verò & pedibus minimè; sed quosdam carnis clauos transfixos, hinc indeque prominentes, incruentos tamen, vti ex eius actis à sancto Bonaventura relatis cap. 13. & ex duabus Alexandri Quārti litteris constat. Pictores verò, quia ipsis difficile videbatur, id perinde ac fuerat penicillo imitari, ita vt eminus cerni posset; cruenta quædam, & quasi excauata foramina, in eius manibus atque pedibus satis commodè impressere. Sæpè enim vt rudi populo aliquid designēt, aliter res pingunt quàm fuerunt. Diuum Hieronymum, vt innuant Cardinalem fuisse, purpureis vestibus ornant; quamquam, ante Innocentij IV. tempora, eo amictu Cardinales minimè vterētur. Acerbissimos quoque dolores, quos virgo Maria, Christo condolens, in animo pertulit, septem mucronibus in eius corpus infixis designant. Sed nihil opus est exemplis hoc facere longius. Commodum tamen erit legere quæ de symbolicis picturis docet Illustrissimus

Ff ille

ille S. R. E. Cardinalis Cæsar Baronius, omni sapientiæ laude commendatissimus, & sacræ atque profanę vetustatis acerrimus indagator, in Notationibus ad Romanum Martyrologium, cum de Georgio & Christophoro agit.

Verum ad omnes contentiones sopiendas, & controuersiam ex æquo & bono finiendam, vtrique parti optimè consultum erit, si sanctæ Virginis Catharinæ imagines (nam de aliis qui manifesta vulnera habuerunt, nil dico) quando non solo atramento, sed coloribus variis posthac formabuntur, non sanguineis, sed aureis aut fulgidis, & quasi radiantibus notis effingantur: quod aliqui Pontifices Maximi, vt est apud Razium, & si non iusserint, vehementer probauerunt. Idque etiam placuisse scio beato Ioanni Miconi, huius nostri Valentini cœnobij monacho, beatiq̃ue Ludouici Bertrandi (cuius memoriam propediem ritu solemniter consecrandam speramus) magistro, in aureolo quodam opusculo, quod de iisdem iconibus ad Patrem Sangenesium Carthusianum anno 1552. scripsit. Vbi etiam narrat, cuiusdam familiæ monachum diuę Catharinæ vulnerū iconoclastam, anno 1514. Lutetiæ tam infortunatè periisse, vt continuo regij Senatores, ne tum per ipsos, tum per

per omnes sceleris affines, cælestis ira breui tempore peruagaretur, pœnasque improbi facti exigeret, illa contingi vetuerint. Guillelmus præterea Ebroicensis in Oratione, quam anno 1529. in huius Diuæ commendationem dictauit, plurimos Catharinæ stigmatum osos, repentina infeliciq; morte præreptos, impietatis pœnas dedisse refert. Nominatim autem multis testibus probari posse ait, Doctorem quemdam, cum aduersus illa è suggesto disputaturus pergeret, fulmine ictû concidisse; & Lutetiæ duos iuuenes, qui nefaria contemptione ex ipsius Virginis simulachro, ad diui Eustachijposito, cicatrices manè abraferant, vespere (nequis Deum rebus humanis indormire putaret) Sequanæ aquis submersos periisse; ac demum nonnullos, qui paulò antè quàm ipse scriberet, litem aduersus easdem imagines contestati fuerant, nondum expleto anno, tristem vitæ exitum, qualem scilicet merebantur, habuisse.

§. IX.

CETERVM in tota hac Disputatione duos, & quidem inter se è diametro pugnantes errores, tamquam Scyllam & Charybdim vitare oportet. Vnus est fratris Samuelis à Cassinis;

fano libro 1. Siluæ nuptialis, numero 166. opusculū edidit sub hac inscriptione: *Quod non est possibile aliquam mulierē, licet sanctissimam, recipere stigmata, prout habuit sanctus Franciscus.* Sed ludimur ab homine ad scribendi licentiam libero. Vel enim de potestate naturam superante agit, vel de naturali. Si de illa, error est scriptoris, tam Dei quàm hominum patientia abutentis, cū & immensæ præpotentiq̄ue illius efficiētię modum statuere homunculus ex argilla & luto fictus audeat; & nobis tāquam infans se impositurum confidat, quasi nesciamus Gabrielem Archangelū apud Lucam cap. 1. affirmasse, non esse impossibile apud Deum omne verbum; & Isaiam c. 59. dixisse, Domini manum nequaquam esse abbreviatā; neque memoria teneamus præclaram illam diui Pauli sententiam in Epistola ad Galatas cap. 3. de omnibus cælesti lauacro expiatis: *Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Itaque si Gabrieli, si Isaiæ, si Paulo credimus, vt necessariò credere debemus, nullū tam extraordinarium donum, tam superum beneficium, tam cæleste signum cuiquam viro Christus concessit; quod si velit, mulieribus communicare
non

non possit , cùm nec Franciscus , nec quifquam virorum , totam eius vim atque facultatem exhauserit . Si verò de naturæ potestate loquitur , profectò nec beatus quidem Franciscus ita plagas habuit , alioquin nos in tantam sui admirationem & venerationem non raperet .

Alter error , & fortè periculofior , est eorum , qui facilè credunt deterrimis quibusdam mulierculis , ex impotenti effrenataque in diuam Catharinam æmulatione hæc vel talia muliebri temeritate de se arroganter iactantibus : quales fuere in aliis prouinciis plurimæ , & in Hispania nonnullæ , duæ præsertim Olyfiponenses (quæ Græcorum more mutuam sibi inuicem testimonium dabant) & quædam Cordubensis . Quarum flagitia vtinam ita obscura fuissent , vt nisi dicerentur à me , perenni obliuione posteris celarentur . At quoniã satanicis illis figmentis , maculæ & dedecori fuerunt duabus sacratis familiis , quarum seraphica instituta violarunt , duabusque clarissimis vibibus , excellentium ingeniorum altricibus ; non erit ab re impendentibus malis occurrere . Quemadmodum enim sacrorum Martyrum nomen vsurpant fucati Martyres , & Apostolorú adulterini Apostoli , quin etiam & Christi gloriam pseudochristorum exer-

citius aucupatur : ita quoque veras humani generis Redemptoris ancillas, hæ artificiosæ feminæ, diuæ nimirum Catharinæ competitorices, æmulabantur. Ceterum vt ex laruatorum Martyrum, Apostolorum, & Christorum sceleribus, nihil gloriæ detrahitur veris Martyribus, aut Apostolis, aut Christo Domino : ita harum figmenta, beatæ Catharinæ eiusque sociarum honorẽ apud viros prudentes haudquaquam minuere debent ; sed cautiores eos reddere, ne præcipiti iudicio, quemadmodum populus, qui specie sanctitatis facillimè circumuenitur, inani- bus illarum insomniis (versutiis dicam veriùs) credant.

Nam istius farinæ aut furfuris mulierculæ, vel ex imperitia, quàm sit perniciosum in diuinis rebus mentiri ignorant, atq; ideò somnia oculorumq; ludibria tamquam visa & gesta narrant, vel ex insatiabili cenodoxia appetitu laudem in impudenti mendacio ponunt ; eisq; testimonium ludus est, iusiurandum iocus, & sapientium existimatio vanitas, dummodò ex miniatis cicatricibus, aut styli cuspide confectis, & arte aliqua conseruatis plagis, gloriosum inter plebeios nomen consequantur. Operæpretium igitur erit, ne ab ipsis infatuemur, de eis cum ratione dicere, quod obfirmato animo Thomas

mas Apostolus olim de Rēdemptore nostro, qui nec falli nec fallere poterat, inconsideratè dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorū, non credam.* Contra quam nonnulli nimium creduli faciunt, qui spirituali, vt ita dicā, mulierositate ducti, mentium feminarum ecstases, id est (vt ego interpretor) furores; visa, id est insomnia; vaticinationes futurorumque euentuum prædictiones, id est meras nugas; Diuorum ad eas aduentantium, aut aliorum mortuorum, de suæ æternæ salutis vel fiducia vel desperatione eis multa narrantium colloquia, id est dæmonum scelerata commercia; sacros ardores (ipsarum enim vocabula interdum retinemus) id est gehennæ igniculos; spiritualia monita, id est præmeditados errores; miracula, id est præstigias; sanctitatem, id est superstitionem; corporum macerationem, id est insignem hypocrisim; stigmata, id est perniciofa Luciferi, ad capiendos homines, stratagemata, vel sophismata; ingēti plausu, apertoque sinu excipiunt, ac proinde earum fide, imò perfidia miserè eluduntur: non secus quàm si quis rusticus, simiarum gesticulationes, tamquam si benè moratorum hominū aut siderum compositi motus essent, attentissimè consideraret, in ipsis curiosè philosopharetur, in eoque studio tempus &

mentem perderet. Hæc verò non obscure, nec dubitanter affirmo. Diuus namque Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cuius iudicium apud Eugenium I V. magni ponderis fuit, in prima suæ Theologiæ parte titulo octauo cap. 2. sub finem, & in tertia historiæ parte titulo 19. in vltimis verbis vndecimi capitis, & titulo 23. cap. 8. in calce §. Quarti, apertissimè docet, non omnia etiam sanctorum hominum visa, aut si maioris reuelationes, indubitatae fidei & veritatis esse; quia nonnumquam viri pij allucinantur. Quid, obsecro, vir sanctissimus diceret, de his quæ illitterati viri, temerariæque mulieres, ad nominis celebritatem consequendam, religionis & prolixæ sacrarum rerum meditationis velo tecti, confingunt? Nam in quemuis eorum mirificè quadrat, quod de se ipso Terentius dixit:

Poëta cum primùm animum ad scribendum appulit,

Id sibi negotij credidit solùm dari,

Populo vt placerent, quas fecisset fabulas.

Passim tamen nonnullos reperies, qui vt sunt otiosi, nulli alio negotio vacent, quàm vt ex his fraudum magistris nouum aliquid audiant, & quæ ab illis vana suspicione aut simulatione dicuntur, pro certis habeant, atque vt Delphica quædam oracula per forum,

rum, per vicos, per compita dissipent. Porro phanaticis illis, quod in buccam venit de quavis re proposita liberè garrientibus, & cuique negotio sese vtrò ingerentibus, si fortè fortuna quidquam, vt dixerant aut optauerant, prosperè euenerit; continuò hi sacrarum rerum inepti existimatores, tamquam vaticinium aut prodigium insolenti ostentatione venditant. Quæ omnia quamuis nil stabilitatis habeant, plebem à solida veritate alienissimam (vix enim quidquam sanctuarij pondere examinat) in stuporem vertunt, & ad superstitionum mystagogos supra modum venerandos amandofq; pelliciunt: sed à viris diuina prudentia præditis excussa, extemplò inanissima reperiuntur, fraudis scilicet & stultitiæ plena.

Plura de his, aliisq; improbis vtriusque sexus hominibus, narrare potuissem; sed ne plus iniucunditatis atque fastidij in hanc disputationem afferam, cum hæc legi sine molestia nequeant, ad Siluësem Episcopum Aluarum Pelagium Minoritam, qui sub Ioanne XXI. religionis & doctrinæ laude multis præluxit, lectorem mitto. Nam in libro cui De Ecclesiæ planctu titulum fecit, plurima ad hoc argumentum pertinentia memorat, & quidem expertus, & aliquando ab hac hominum fæce delusus, vt inge-

nuè concedit. Nec pauciora leget apud nostrū IOANNEM NIDER in Formicarij libro, quem Patribus Basileensis Concilij (nōdum ab Eugenio Pontifice exauctorati) publicè recitauit. Nobis autem præ utroque adiumento fuit, commentarium De vita spiritali à B. Vincentio Ferrario editum. Nam capite 12. & 13. apertissimè docet, quàm facile huiuscemodi negotiis, supremus mendaciorum technarumque architectus diabolus, se permiscere possit, ac soleat, crebrò se lucis angelū simulans. Ex quo effectū est, ut sæpè à satanicis viris aut feminis, de suis (quas & ipsi ita vocant, & nos docendi causa sic nunc appellamus) reuelationibus, apparitionibus, sentimentis, corporum ardoribus, & tandem raptibus, cōsultus nullam prorsus fidem eis habuerim, sed illicò vniuersa contempserim, & deinceps mendaciis resperfa fuisse experimento didicerim. Equidem non inficior, quod (ne longius abeam) vel hīc Valentij in Ioanne Micone, Ludouico Bertrando, & Nicolao Factore, quos in cælum merita vocarunt, experti sumus; nimirum Sanctos sæpè à Deo de rebus futuris præmoneri, sæpè à cælitibus, aut ab illis qui purgante igne cruciantur conueniri, sæpè in ecstasim rapi, sæpè etiam verè dicere posse quod de se ipso Re-

gius

gius Vates inquit: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* innuens videlicet eam, quæ ex rerum diuinarum intima vehementique contemplatione capitur, siue voluptatem, siue mœstitiam, interdum ex animo in corpus diffundi, illudque peculiari aliquo iucunditatis, aut cruciatus sensu, vt in stigmatum inflictione accidit, afficere. Sed hæc longè aliter spectatæ sanctitatis viris atque feminis, quàm istis simulandi dissimulandi que egregiis artificibus vsu venire, tam certum est, quàm quod certissimum. Quod autem qualëve fit inter hos atque illos discrimen, & quomodo lupi à canibus, vulpes ab agnis, inauratum æs à solido auro, fermētum dæmonis ab azymo & sinceritate Christiana, Satanæ versutia à disciplina Christi, discerni queant, aliud discendi tempus magis idoneum dabitur. Interim immensas supremæ Veritati, cui omne mendacium displicet, gratias ago; quòd, vt olim altaria, imagines, tabellæ, atque dona, quæ vulgi errore, fictorumque prodigiorum & simulate sanctitatis nomine, quibusdã sceleratis viris aut feminis iuxta eorum sepulchra atque idola, nonnulli delictorum complices & maleficiorum satellites, cum gloriosis, sed mendacibus laudationibus epitaphiisque erigi ac poni curauerant, admirabili

460 DE D. CATHARINÆ SENENSIS
bili illustrium Inquisitorum vigilantia dili-
gentiâque prorsus diruta, deleta, ac solo æ-
quata fuere, & improborum ossa, aut com-
busta, aut in mare proiecta, vt Petri Ioan-
nis, Guillermi Cornelij, Hermanni Ferra-
riensis, Guidonis à Lacha, & nescio cuius
Guillermæ, quoniam post eorum interitum
ac celebrem humationem, habita de ipso-
rum vita atque obitu diligenti inquisitione,
illâ frequentibus flagitiis confersam, hunc
nec pium, nec pacatum, nec virtutum odo-
re fragrantem, sed odiosum, & execrandum
fuisse compertum est; ita quoque nostro sæ-
culo eorumdem sacrorum iudicum acri se-
ueritate, & Dei domus zelo, quo dies atque
noctes, Dauidis exemplo, aduersus religio-
nis violatores exeduntur, tot commentitiæ
ecstases, artificiosæ vaticinationes, fictitię ap-
paritiones conticuere, atque e mentita stig-
mata refrigere. id quod inter vberimos fru-
ctus, quos sacrum Inquisitionis Officium,
diuina prouidentia ad nostra tempora refer-
uatum, Ecclesiæ Catholicę attulit, numera-
ri debet. Aliter enim dæmonis astu fortasse
iam factum esset, vt non modò, ob recen-
tium hypocritarum multitudinem, quid in-
ter viuentes pios impiósque intersit, vix dig-
nosci posset, verùm etiam vt populus videns
eos quorum scelerum meminit, tamquam
san-

sanctos post mortem ab aëclis commendarari, iustam existimationem sanctamque opinionem deponeret illorum, qui propter eximiam vitæ sanctitatem, cum Christo felicissimè regnant, quamuis nondum fuerint publica celebritate Beatorum numero aggregati.

§. X.

SED vt paucis ad hæc additis finem dicendi faciam (nam satis huius Disputationis magnitudo creuit) relegandas omnino censeo, duas ultra omnem hyperbolem insulas superlationes: vnâ vulgariū quorundam poëtarum, qui beatum Franciscū, stigmatibus receptis, tam similem humani generis Seruatori euasisse aiunt, quàm ouum ouo; adeò vt si ambo cinericiis vestibibus induti, simul Deiparæ virgini insperanti occurrerent, haud facilè primo aspectu ab illa internoscerentur. O miserum sæculum, quo talia effundere licet! Numquid fulgentissimo Soli incēsa stipula æquabitur, vt quanta sit illius immensitas, quanta huius paruitas, minimè agnoscat? Certè oues & capræ suos foetus ab alienis nullo negotio discernunt; & aues, quos ex ouis excluderint pullos, sine errore diiudicant: & feminarum sapientissima, in suo agnoscendo filio, præ
cun-

cunctis hominibus speciosissimo, laboraret? Deliaci quidam gallinarij, quorum meminit Cicero in Academicis quaestionibus, quamuis magna esset inter se ouorum similitudo, cum vnum inter innumerabilia conspexissent, quæ id gallina peperisset dicere consueuerant: & Maria, obiectis Christo & Francisco, hæreret, ne vnum pro altero videretur? quis id benè sanus dicet aut credit? illi tantum credent, qui nesciunt solè, cum ortus est, obscuratis ceteris sideribus, solum apparere. Sed vt tantisper Dei Genitricem missam faciamus, & moderatiùs infaniendi obtenta licentia, ego multo magis animi penderem, sustineremq; iudiciù, si mihi Christus vnà cum Petro Apostolo Romæ crucifixo, cù Simone Chanaëo, qui Ierosolymis idem supplicium subiit, aut cum Christophoro Toletano, cuius iam est in tota Hispania celebratum nomen, (quoniam spinosis primùm virgis crudelissimè cæsus, deinde vepribus coronatus, ac tandem clavis & gladio in cruce pro Christo & sancta Inquisitione transfossus fuit) occurreret, quàm si cum Francisco. Illi enim, oculorum saltem iudicio & existimatione, vulnera eodem modo quo Christus pertulere, hic longè aliter. Neque alienus à vanissima illa hyperbole & superlacione fuit, immodi-

cus quidam sanctissimi Patris nostri Francisci laudator; qui peramplo verborum apparatu, eam, post recepta vulnerum insignia, inter ipsius ac Christi corpora similitudinem fuisse dixit, ut cum eius animus cælum ingressus est, nisi lumine gloriæ illustratus fuisset, ut primum corpus Christi conspexit, in illud sese, tamquam si suum foret, immerisset. Ridèda planè philosophia. Quasi animus à corpore auulsus, generatim atque vagè in corpus humanum sit propensus, & non in proprium corpus tātum. quid? quòd non dico Francisci animus, qui ut in corpore existens purus & integer fuerat, ita ab eo liberatus maximè perspicax fuit; sed cuiusuis pueri etiam ad supplicia eterna damnati mens, si corpus Christi videat, agnoscat esse viuens, & proprio animo tamquam forma præditum: quomodo igitur in illud, tãquam si suum esset, impetu suo ferretur? Pudet in his anilibus fabulis refellèdis immorari, præfertim cum eos corrigere velimus, de quibus vix sperandum est, etiam his perlectis, linguam cohibituos, & tanti Ordinis gloriam huiuscemodi nugis imminuere desituros. Illud tamen haudquaquam tacebo, ridiculum valde esse, Scoto existimante animum beatum ad diuinam essentiam perspicuè contemplandam minimè egere lumine
glo-

gloriæ, quemquam eius asseclam illud efflagitare ad corpus Christi ab alio corpore discernendum.

Altera est imperiti cuiusdam Poëtæ emphasis, qui cum nonnullas Catharinæ imagines supposito disticho ornare voluisset, fœdauit. Hac enim inepta collatione vtitur:

Parce hominum superumq̄, Pater: tibi turpia miles,

Nobiliora mihi vulnera fecit amor.

Quis, obsecro, hunc hominem ferat, qui Catharinam talia proferentem inducit, quæ ne præfata quidem venia dici absque intolerabili arrogancia possunt? Nam neque Christi vulnera turpia sunt, neque vlla nobiliora dantur. Qui igitur huiuscemodi exaggerationibus proferendis, populorum plausum quærunt, nisi in deteriora labi cupiant, illud beati eximiique Doctoris Hieronymi, quasi vaticinium pertimescant: *Ex verbis inordinate prolatis incurritur heresis.* Quod ne vniquam nobis contingat, non modo quidquid in hac Disputatione ad Dei, omnium benefactorum beneque dictorum magistri, impulsoris, causæ opificis, & conseruatoris gloriam, eiusque seraphicæ sponsæ Catharinæ encomium diximus, sed vniuersa quæ in hanc diem scripsimus, sanctissimo Patri Clementi VII. qui sedē cælo proximam tenet,

tenet, eiusq; perdoctis & integerrimis delegatis, fidei censoribus corrigenda offerimus.

Te autem beatissimam præpotentis Dei matrem, te angelorum Imperatricem, te Ecclesię propugnaculũ, te omnium sacrarum Religionum Patronam (cuius sanctissimis & Deo gratissimis precibus, si quid in me boni est, si quid mali non est, me debere profiteri) obsecro, vt quemadmodum à Deo Optimo Maximo, mihi tanto munere indigno, obtinuisti, vt seruum tuum Franciscum, conserui sui Patrisq; mei Dominici socium, commilitonem, & quasi germanum fratrem, à puero vehementer dilexerim, eiusq; Ordinem, ex quo tamquam è sacro fonte innumerabiles Sancti promanarunt, æquè ac meum ipsum amauerim; ita nunc quoque, pro data tibi à Filio potestate, nostram hanc elucubrationem ab omnibus Dei seruis (quos, cuiuscumque Ordinis sint, summa pietate veneror) præcipuè verò à tuis filiis, meisq; fratribus Minoritis, in bonam partem accipi iubeas.

Gg

APPRO.

APPROBATIO.

HA N C de diuæ Catharinæ imagi-
nibus Disputationem, iussu Pa-
tris nostri Fratris Hieronymi Baptiste à
Lanuzza sacre Theologiæ Professoris, &
Aragoniæ Regnorum Prioris Provincia-
lis, attenta consideratione perlegimus, ac
mira & exquisita Patrum lectionis præ-
stantisque doctrinæ copia refertam conspe-
ximus. Quapropter tamquam sapientibus
ac insipientibus utilissimam, prælo dignam
iudicauimus.

F. Lupertius de Guete Conuentus
Prædicatorum Valentiaë Magi-
ster & Regens.

F. Didacus Mas, sacre Theologiæ
Doctör, & eiusdem in Academia
Valentina publicus Professor.

DVDM post huius Auctoris editam Disputationem, & clarissimam demonstrationem, accessit edictum & diploma Summi Pontificis Clementis VIII. quo contentiosum zelum quorundam, & omnem litem in posterum reprimat, praesentis tenoris.

C L E M E N S
P A P A V I I I.

VNIVERSIS Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per uniuersum Orbem constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis sancti Francisci pretendant imaginem sanctae Catharinae de Senis non esse depingendam cum stigmatibus, sed solius sancti Francisci imaginem ita depingi debere, ac super hoc saepe cum Fratibus Ordinis Praedicatorum altercentur, & contendant: Nos huiusmodi altercationes & contentiones praecidere cupientes, negotium istud Venerabilibus Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus super sacris ritibus & caerimoniis deputatis examinandum, cognoscendum, & decidendum, ac

G g 2

termi-

terminandum commisimus; cum decreto ta-
men, quod interim nihil innouaretur. Ne
autem, dum in dicta Congregatione præ-
dictum negotium deciditur, in aliqua Or-
bis terrarum parte circa hoc aliquid inno-
uari contingat, Vobis, & cuilibet vestrum
per presentes committimus, & mandamus,
ut auctoritate nostra curetis, & præcipia-
tis sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, ar-
bitrio vestro infligendis, ne in Ciuitatibus
& Diocesibus vestris quisquam Fratrum
prædictorum sancti Francisci, aut alij qui-
cumque, donec in dicta Congregatione Car-
dinalium huiusmodi negotium Stigmatum
sanctæ Catharinæ definitum & declaratum
fuerit, circa illud aliquid innouare, aut vl-
terius altercari vel contendere præsumant:
Constitutionibus & ordinationibus Apo-
stolicis, ac præsertim fel. record. Sixti Pa-
pæ Quarti prædecessoris nostri, ceterisque in
contrarium facientibus, non obstantibus
quibuscumque. Ceterum quia difficile fo-
ret, presentes litteras originales ad vnum-
quemque vestrum deferri, volumus, & au-
thoritate Apostolica decernimus, ut præ-
sentium exemplis, etiam impressis, manu
alicuius Notarij publici subscriptis, ac si-
gillo personæ in dignitate Ecclesiastica con-
stitutæ munitis, eadem prorsus fides ubi-
que

que habeatur, qua ipsismet presentibus haberetur. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesima septima Nouembris, Millesimo quingentesimo nonagesimo nono, Pontific. nostri anno octavo.

M. Vestrius Barbianus.




SVMMA PRIVILEGII.


ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ
EUGENIÆ, Archiducum Austriae,
Ducum Burgundiae, Brabantiae, &c. Sere-
nissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio
cautum est; nequis, *R. P. F. Ioannis Nider
Ordinis Predicatorum Theologi De refor-
matione Religiosorum libros tres*, itemque
*R. P. F. Vincentij Iustiniani Antistij Va-
lentini, eiusdem Ordinis Theologi, pro diuæ
Catharina Senensis Imaginibus Disputa-
tionem*, præter Martinæ Plantinæ viduæ
& Balthafaris & Ioannis filiorum Ioannis
Moreti p. m. voluntatem, intra sexennium
imprimat, aut alibi terrarum impressos, in
has Inferioris Germaniæ ditiones importet,
venalesve habeat. Qui secus faxit, confisca-
tione librorum, & aliâ graui poenâ mulcta-
bitur, vti latius patet in litteris datis Bruxel-
læ, v. Febr. M. D. C. XI.


Signat.


Buschere.

















17

845

Th
2631